



37
19 R
4



KALENDARIA
ECCLESIÆ UNIVERSÆ
TOMUS TERTIUS.

KALENDARIA
ECCLESIÆ UNIVERSÆ

IN QUIBUS

TUM EX VETUSTIS MARMORIBUS, TUM EX CODICIBUS, TABULIS, PARIETINIS, PICTIS, SCRIPTIS, SCALPTISVE, SANCTORUM NOMINA, IMAGINES, ET FESTI PER ANNUM DIES.

ECCLESIARUM ORIENTIS, ET OCCIDENTIS,

PRÆMISSIS UNIUSCUJUSQUE ECCLESIÆ ORIGINIBUS.

RECENSENTUR, DESCRIBUNTUR, NOTISQUE ILLUSTRANTUR

STUDIO, ET OPERA

JOSEPHI SIMONII ASSEMANI

BIBLIOTHECÆ VATICANÆ PRÆFECTI, ET SACROSANCTÆ BASILICÆ PRINCIPIS APOSTOLORUM DE URBE CANONICI.

TOMUS TERTIUS.

KALENDARIA ECCLESIÆ SLAVICÆ, SIVE GRÆCO-MOSCHÆ.



ROMÆ, MDCCLV.

SUMPTIBUS FAUSTI AMIDEI

BIBLIOPOLÆ IN VIA CURSUS.

SUPERIORUM FACULTATE.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

JOACHIMO PORTOCARRERO

S. R. E. CARDINALI,

FERDINANDI VI. HISPANIARUM REGIS
AD BENEDICTUM XIV. PONT. MAX.
LEGATO,

COLLEGII, NATIONISQUE SYRORUM MARONITARUM
PROTECTORI VIGILANTISSIMO.

JOSEPH SIMONIUS ASSEMANUS
SEMPITERNAM FELICITATEM.



VOD primum animo conceperam, quum edendis Rerum Slavicarum Commentariis manum admovi; ut illos scili-

cet Tibi, EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS, *præcipue commendarem*, *Tuoque ſub auſpicatiſſimo nomine in publicum protraherem; id nunc ut perficerem, non publicæ tantum, ſed privatæ etiam rationes, ac eæ quidem graves, perpulere. Tametſi enim omnibus notiſſimus eſt favor ille inſignis, quo non ſolum domeſticos, verum etiam quoſcumque exteros, qui ad Te undique a remotiſſimis regionibus confluunt, incredibili benignitate proſequeris: hoc tamen mihi, Gentique meæ, quæ Syriam, Phœnicen, ac Palæſtinam incolit, præ aliis fortu-*

natiſſi-

natissimum esse existimo, ut Te nobis Sapientissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. *dederit beneficentissimum Patronum, Nemo eorum, qui virtutes tuas perspectas habent, ac Te noverunt, sibi imperare potest, ut non idem humanitatem tuam, pronamque juvandi omnes, qui Tuo Patrocinio fruuntur, voluntatem eximiis laudibus ad cœlum ferat. Tanta quippe liberalitate ac munificentia quotquot ex Oriente in Urbem adventant excipis, ut Patriam hic, Patremque amantissimum reperire sibi videantur. Sed quid ego aliena commemoro? Tuam ipse erga me benevo-*

len-

lentiam, jam viginti & amplius annorum ſpatio, eamque non vulgarem expertus ſum, & experiri pergo, ex quo mihi datum eſt frui honore, ut tuorum familiarium numero adſcriberer: id quod tamen tuæ magis humanitati ſingulari, quam ullis meis meritis acceptum refero. Geſtiit proinde animus, monumento aliquo teſtatum omnibus facere, quantum Tibi Syria univerſa, quantum ego debeam, quos Patrocinio Tuo complecteris.

Quod cogitanti mihi, alia inſuper cauſa ſe ſuggeſſit, quæ, hunc Tomum ut Tibi, PRINCEPS EMINENTISSI-

TISSIME, *nuncuparem; me facile potuit impellere. Ecclesiarum Slavicarum Origines, utcumque a me illustratas exornatasque, continet. Non pauca a me, pro veritatis studio, adnotantur, quæ neotericis Antiquitatum hujusmodi Scriptoribus fortasse non arrideant. Quantum igitur dignitatis ac celebritatis ex Tuis auspiciis huic operi comparatur; tantum præsidii adversus morosos obtrectatores ex Tua auctoritate ei accessurum confido.*

Itaque hoc qualecumque mei, Meorumque grati ob accepta a Te beneficia animi monumentum, qua so-

lis

les benignitate, ut admittere velis, etiam atque etiam rogo; dum DEVM optimum maximum precari non desino, ut Te nobis, orbique Catholico universo diutissime servet atque incolumem tueatur.

E Bibliotheca Vaticana Idibus Aprilis Anni MDCCLV.

A P-

APPROBATIO

VOLUMEN Tertium DE KALENDARIIS ECCLESIÆ SLAVICÆ versans nihil offendi aut Fidei aut bonis moribus adversum, sed uberrimam admiratus sum eruditionis copiam, quæ in omnibus Illustrissimi ac Reverendissimi Auctoris Operibus quammaxime elucet; quamobrem publica luce dignum censeo.

Petrus Franciscus Fogginius.

APPROBATIO

MANDANTE Reverendissimo P. Augustino Orsi Sacri Palatii Magistro legi ea, qua par est diligentia, Librum Tertium DE KALENDARIIS ECCLESIÆ SLAVICÆ, ab Illustrissimo, atque Eruditissimo Josepho Simonio Assemano Basilicæ Vaticanæ Canonico, ac Bibliothecæ Custode mira de more doctrina refertum, in quo quum nihil Christianæ, ac Catholicæ Fidei dissonum, sed omnia veræ pietatis, ac Religionis præceptis consona observaverim, publica luce, ac laude dignum censeo. In quorum fidem &c.

Franciscus Marianus Vatic. Basil. Benef. & Bibliothecæ Græcus Scriptor.

I M-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

F. M. de Rubeis Patriarcha Constantinopolitanus Vicesgerens.



IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Magister Socius Reverendissimi Patris Sac. Pal. Apost. Mag. Ord. Prædic.

L I-



LIBER TERTIUS

DE KALENDARIIS ECCLESIÆ SLAVICÆ, SIVE GRÆCO-MOSCHÆ.

PARS I.

De Sanctis Cyrillo et Methodio Slavorum Apostolis: Deque Chazaris, Bulgaris, et Moravis ad Christi Fidem conversis.

CAPUT I.

De Sanctis Cyrillo ac Methodio, Chazarorum, Bulgarorum, & Moravorum Apostolis.

I. S. Cyrillus, qui & Constantinus Philosophus, reprehendit Photium, duas animas in quovis homine constituentem.



Uum mihi propositum fuisset in Secunda Secundi Libri Parte, non solum de *Russis* & *Bulgaris*, sed etiam de *Moravis* agere, id propemodum in me sum expertus, quod sæpe sæpius in summo altissimorum montium jugo fieri solet, ut nivis flocculi ex arboribus decidentes, in seseque conglobati, præcipiti progressu tandem in immensas moles excrescant. Ubi enim ad Ecclesiæ Bulgaricæ origines deventum est, plura, eaque fortasse non inutilia, neque inju-

injucunda, repente mihi affulserunt, quæ grandiorem, quam Typographus præfixerat, Libri molem effecere, ita ut reliqua ad Moravos spectantia, quæ uberius accuratiusque præparaveram, commode iis subjungi non possent. Hinc e re futurum putavi, si a secundo Libro avulsis, principem locum in hoc Tertio concederem.

Anastasius Bibliothecarius Præfat. in Conc. Constantinopolitanum IV. de S. Cyrillo, *Constantino* antea dicto, Slavorum Apostolo, deque Photio nondum Sedis Byzantinæ invasore hæc scribit. " Ante annos aliquot (*a*) Photius idem ,, duarum unumquemque hominem animarum consistere ,, prædicabat. Qui quum a Constantino Philosopho, magnæ sanctitatis viro, fortissimo ejus amico, increpatus fuisset, dicente: cur tantum errorem in populum spargens, tot ,, animas interfecisti? Respondit: non studio quemquam ,, lædendi, talia, inquit, dicta proposui; sed probandi, ,, quid Patriarcha Ignatius ageret, si suo tempore qualibet hæresis per Syllogismos Philosophorum exorta pate- ,, sceret: Qui scilicet viros exterioris sapientiæ repulisset: ,, Verum ignoravi me sub hujus fomite propositionis tot ,, animos fore læsurum. Ad quod ille: o sapientia mundi, ,, quæ infatuatur & destruitur! Jactasti sagittas in multitudinem copiosæ turbæ, & ignorasti quemlibet ex his ,, omnibus vulnerandum. Certe omnibus liquet, quia ,, sicut oculi quantumlibet sint magni & aperti, si fumus ,, palearum interjacuerit, videre ultra non possunt; ita ,, oculi sapientiæ tuæ quantumlibet sint ampli & patuli, avaritiæ tamen & invidiæ fumo penitus obcæcati, tramitem justitiæ videre non possunt. Ac per id ,, verum est, quod dicis, neminem ictu tuo putasse esse læden-

a Hic Photianus error damnatus fuit in Synodo VIII. canone XI. ex interpretatione Anastasii Tom. 8. Concil. Labb. pag. 1132. & can. X. juxta Græcam editionem, Tom. cit. Concil. pag. 1174. quæ sic habet: *Quum vetus novaque Lex Testamenti doceat, unicam homini eamque ratione & intelligentia pollentem esse animam; eandemque sententiam Deiloquorum omnium patrum & doctorum Ecclesiæ doctrina confirmet; sunt tamen qui duas homini esse animas asserant, & quibusdam vitiosis ratiocinatiunculis suam hæresim stabiliant. Itaque Sancta hæc Oecumenica Synodus hujus impietatis conditores cum tota secta sua, magna voce anathematizat. Qui vero posthac contraria dicere ausus fuerit, anathema est.*

„ lædendum, quùm sic obcæcatum sensum prædictis adversum Patriarcham passionibus habens, nec quid emiseris „ prævidisti. „ Constantinus iste, cognomento *Philosophus*, (ut recte observant Henscenius ad IX. Martii §. IV. *de SS. Cyrillo & Methodio* num. 29. pag. 17. & Pagius ad ann. 857. num. XI.) alius non est, quam *S. Cyrillus*, qui una cum *S. Methodio* germano suo, Slavorum gentem ad fidem Christianam adduxit. In historia de Regno Slavorum a Diocleate Presbytero composita, id legitur: " Tunc vir „ Dei Constantinus, cui nomen postea Cyrillus a Papa „ Stephano impositum est, quando consecravit eum Mo- „ nachum, cæpit prædicare Regi Evangelium Christi, & „ fidem Sanctæ Trinitatis: cujus prædicationem Rex (*scilicet Slavorum in Moravia*) Sphetopelech credidit Chri- „ sto, & baptizatus est cum omni regno suo. „ Antea vocaverat eum *Philosophum*; sed in eo errat, quod scribit, *Cyrilli* nomen illi a Stephano Papa datum fuisse; Cyrillus enim usque ad Stephani V. tempora vivere non potuit, uti mox dicam. Id porro Constantini cum Photio colloquium, Pagius serius quam anno 857. accidere nequivisse scribit: nam eo anno 857. die 23. Novembris, S. Ignatium Patriarcham e Sede dejectum, & anno 846. die 4. Julii ordinatum fuisse, ostendit ad ann. 847. num 19. & ad ann. 858. num. XII. Henschenius vero loc. cit. *videtur* (inquit) *illud temerarium Photii dogma circiter annum* 848. *aut sequentem, reprehendisse sapientissimus Constantinus*; *quum esset anno* 847. *ad Patriarchales infulas regiæ urbis, post obitum S. Methodii, evectus S. Ignatius, Michaelis Curopalatæ Imp. filius*.

II. Hinc erroris arguuntur qui eundem Constantinum anno 843. ad prædicandum Chazaris Evangelium missum scribunt. Nam S. Ignatius nondum Patriarcha eo anno fuerat: neque Constantinus a Chazaria perhibetur Byzantium circa annum 847. vel 848. rediisse. Joannes Georgius Stredowskius *in sacra Moraviæ historia*, sive *vita SS. Cyrilli, & Methodii, Solisbaci* 1710. impressa p. 92., & Kohlius *in Introductione in historiam & rem literariam Slavorum Altonaviæ* 1729. pag. 135. sic scribunt: " Accidit inter-

Quo tempore S. Cyrillus id Colquium cum Photio habuerit: & quando in Chazariam missus sit, & a quo? & an in Russiam?

„ ea, dum hi duo fratres, Cyrillus & Methodius, Constantinopoli versarentur, anno circiter 843. ut Gazarorum „ Princeps singulari quodam numinis instinctu percitus, „ Legatos ad Theodoram Imperatricem mitteret, petitum, ut nonnullos ad se spectatæ pietatis, doctrinæque „ viros divini verbi præcones mitteret. Ad quod illa faciendum paratissima, Methodium ac Cyrillum statim „ ablegavit. „ Non in anno tantum, sed etiam in numero præconum Evangelicorum est error manifestus: nam in vita SS. Cyrilli & Methodii ab Henschenio (*a*) edita, solus Cyrillus sive *Constantinus*, ad Chazaros missus dicitur, his verbis: " Tempore Michaëlis Imperatoris, fuit quidam vir genere nobilis, civitate (*b*) Thessalonica ortus „ nomine Constantinus [*c*], qui propter mirabile ejus ingenium dictus est Philosophus (hic quinquagesimo die „ ante obitum suum, ex licentia Summi Pontificis (*d*) imposuit sibi nomen Cyrillus, asserens sibi nomen hoc divinitus fuisse revelatum) quumque adolevisset, magna „ religione & prudentia est præditus, honoremque Sacerdotii ibidem est adeptus. Eodem tempore ad præfatum „ Imperatorem in Constantinopoli venerunt Gazarorum „ Legati, supplicantes quatenus dignaretur aliquem virum eruditum ad illos mittere, qui eos fidem Catholicam veraciter edoceret; adjicientes inter cætera, „ quomodo nunc Judæi, nunc Saraceni, ad suam fidem „ eos molirentur convertere. Tunc Imperator cum Pa- „ triar-

---

a Ex Cod. Ms. Blauburano, ad 12. Mart. pag. 22.

b In Breviario Olomucensi excuso anno 1495. pro *Thessalonica* perperam legitur *Alexandria*, sic: *Quemadmodum ex historiis plurimorum Sanctorum, & Chronicis diversis colligitur, SS. Cyrillus & Metudius, fratres germani, de Alexandria, Græcæ & Sclavonicæ linguæ periti, venerunt in terram Moraviæ.*

c Jacobus de Voragine: *Sacerdos quidam, nomine Philosophus.* Petrus de Natalibus, *nomine Philippus.* Uterque non recte. Nomen ei erat Constantinus, professione *Philosophus*. In breviario, quo Bohemi, Moravi, Poloni utuntur, Lect. 1. Cyrilli & Methodii pater suisse *Constantinus cognomento Philosophus*, perperam dicitur: erat enim hoc ipsius Cyrilli nomen: uti ex Epistola Anastasii Bibliothecarii testis oculati data ad Carolum Regem anno 875. constat, in qua hæc de eo dicuntur: *Vir magnus & Apostolicæ Vitæ præceptor Constantinus Philosophus Romam sub Venerabilis memoriæ Hadriano Papa venit, S. Clementis corpus sedi suæ restituit.*

d Adriani II., quem Constantinus & Methodius a Nicolao I. Romam evocati, convenerunt post Idus Novembris anni 867. quo is Nicolao mortuo suffectus fuerat.

„ triarcha habito confilio, præfatum Philofophum illuc „ tranfmifit, optime confidens de ejus prudentia, converfatione laudabili, & morum puritate. „ Idipfum, de folo fcilicet S. Cyrillo five Conftantino Philofopho, traditur in altera (*a*) ejufdem ac Methodii fratris vita apud Henfchenium, verbis fere iifdem, fic. " Tempo- „ re igitur, quo Michael Imperator, novæ Romæ rege- „ bat Imperium, fuit quidam vir nobili genere, civita- „ te Theffalonica ortus, vocabulo Conftantinus, qui ob „ mirabile ingenium, quo ab ineunte infantia mirabiliter „ claruit, veraci agnomine Philofophus eft appellatus. Hic „ quum adoleviffet, atque a parentibus fuiffet in Urbem „ regiam ductus, effetque infuper magna religione & pru- „ dentia præditus, honorem quoque Sacerdotii ibidem, „ ordinante Domino, eft adeptus. Tunc temporis ad præ- „ fatum Imperatorem Cazarorum Legati venerunt, oran- „ tes, ac fupplicantes, ut dignaretur mittere ad illos „ aliquem eruditum Virum, qui eos fidem catholicam „ veraciter edoceret, &c. Tunc Imperator, fimul cum „ Patriarcha confilio habito, præfatum Philofophum ad- „ vocans, fimul cum Legatis illorum ac fuis, honorificentif- „ fime tranfmifit illuc, optime confidens de prudentia & „ eloquentia ejus. „ Quis fuerit is Patriarcha, non exprimitur in utraque vita. Eum autem S. Ignatium fuiffe, conftat ex iis, quæ ex Anaftafio Bibliothecario retulimus, nequiter nempe ea confinxiffe Photium, ut eidem Ignatio conflaret invidiam, de quibus eum Conftantinus Philofophus redarguit: quod omnino factum videtur, antequam ad Chazaros proficifceretur. Atqui, ut modo dicebam, S. Ignatius non ante diem 14. Junii anni 846. Methodio defuncto in Conftantinopolitano Patriarchatu fuffectus, die 23. Novembris anni 857. e Sede inique dejectus, fubftituto in ejus locum Photio; demum eodem Photio die 25. Septembris anni 867. depofito, iterum die 23. Nov. ejufdem anni Throno reftitutus, deceffit die 23. Octobris anni 877. Fal-

(a) Ex Ms. Cod. Francifci Duchefnii de translatione Corporis S. Clementis Papæ, ad ix. Mart. pag. 19.

Fallitur ergo Kulcinius, dum in Præfat. ad Specimen Ecclesiæ Ruthenicæ, inter eos, qui fidem Christianam in Russiam invexerunt, post S. Andream Apostolum recensens SS. Cyrillum & Methodium, sic de Cyrillo scribit: " Cyrillus enim patria Thessalonicensis, Constantinopoli literis profanis sacrisque imbutus, & ob eximiam sapientiam Philosophus dictus, a S. Ignatio Patriarcha anno 867. missus fuit in Russiam, ad quam quum pergeret, Chersonæ corpus S. Clementis Papæ & Martyris invenit: hinc cum tanto thesauro in Russia aliquo tempore commoratus, rediit rursus Constantinopolim; inde vero ad instantiam Rastislai Principis in Moraviam se contulit, ibidemque cum socio Methodio multis annis laboravit in conversione Slavorum, Moravorum nimirum, Bulgarorum, Serborum, ac Russorum: tandem Romam profectus obiit circa annum 880. " Nam primo, error est in anno 867. quo S. Ignatius dicitur misisse in Russiam S. Cyrillum: quum eo anno Cyrillus ac Methodius, Chazaris, Bulgaris & Moravis jam antea ad fidem Christi conversis, Romam a S. Nicolao I. Papa evocati sint, uti ex dicendis constabit: Secundo, error est in *Russia*: non enim in Russiam, sed in *Chazariam* S. Cyrillus primum missus fuit: deinde una cum fratre Methodio Bulgaros docuit: postremo Moravos vicinosque Bohemos. De Russis ne verbum quidem apud veteres Scriptores.

III. Nomen, patria, parentes S. Cyrilli seu Constantini Philosophi.

Stredowskius (a) affirmat, Cyrillo ac Methodio patrem fuisse *Constantinum Philosophum* cognomento dictum, civem ac patricium *Romanum*, ex illustri Romanorum familia natum: qui Constantinopoli, quo demigraverat, vale dicto, sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Thessalonicæ collocaverit. Videtur istud quidem, quod de Urbe *Roma* ejus patria, unde Constantinopolim demigraverat, dicitur, ex Cedreno hausisse, qui Methodium Cyrilli fratrem, genere *Ramanum* vocat, **Μεθόδιόν τινα Μοναχὸν, Ῥωμαῖον τὸ γένος, ζωγράφον τὴν τέχνην,** " Methodium quemdam Monachum, Romanum genere, arte " picto-

a Fortasse id hausit ex Breviario Olomucensi, de quo supra in Adnotatione.

„ pictorem : „ Verba ejus hæc sunt , edit. Basileen. pagin. 443. " Alia res quoque tum evenit , Regem ad „ pietatem manu quasi ducens , in eaque eum confirmans. „ Quum enim inexplebili venandi cupiditate flagraret , „ intemperantius aliquando his suis deliciis usurus , Me„ thodio Monacho , genere Romano , arte pictori , ut „ picturis historicis habitaculum suum instrueret , man„ dat . „ Constantinus quoque Porphyrogenitus in Chronograph. lib. 4. num. 15. *Romanum* appellat Methodium , inquiens : " Sed & aliquid ejusmodi accidisse ajunt ; nem„ pe quum Bogoris Princeps venatione supra modum „ delectaretur ; hæc quoque in domo quadam , in quam „ frequens concedebat , voluisse depingi , ut noctu per„ inde interdiuque iis spectaculis oculos pasceret . Hoc „ itaque amore captus , *Μεταχαλεῖται μοναχόν τινα τῶν καθ' ἡμᾶς Ῥωμαῖον ζωγράφον* , *Μεθόδιος ὄνομα τῷ ἀνδρί*, Mona„ chum quemdam ex nostris Romanum pictorem , Me„ thodium nomine , accersit . „ At de nomine parentis eorum *Constantini* merito dubitatur: nam liber Slavonicus, cui nomen (*a*) *Stepennaja Kniga* , Cyrilli ac Methodii patrem vocat *Leonem Thessalonicensem* , his verbis (*b*) capit. XI. „ Ablegati a Michaele Imperatore Orientis , Me„ thodius & Constantinus , filii Leonis Thessalonicensis , „ quum multos libros sacros transtulissent , & peculiare „ quoddam Alphabetum suo ex ingenio concinnassent, ma„ gna cum laude Ecclesiæque fructu , Evangelii docendi „ munus obierunt ; Methodio tandem Moraviæ Episcopo „ constituto ; Constantino autem in Monachali vita , quæ „ Cyrilli nomen illi indiderit , defuncto . „ Patria proinde illis non *Roma* , sed *Thessalonica* : unde & in veteri ms. Breviario Olomucensi apud Henschenium ad diem IX. Martii pag. 24. Cyrillus natione *Græcus* dicitur , sic : " Beatus „ Cyrillus natione Græcus , tam Latinis , quam ipsis „ Græcorum apicibus instructus , postquam Vulgari cre„ diderunt , aggressus est in nomine Sanctæ Trinitatis & „ indi-

a Id est , *Gradualis Liber* , Slavonica lingua scriptus .
b Apud Kohlium in Histor. Codicis sacri Slavonici §. VIII. pag. 125.

„ individuæ Unitatis, etiam genti Moraviæ fidem Domini „ nostri Jesu Christi prædicare „ Hoc ipsum intelligunt Græci Scriptores, quum *Methodium* & *Cyrillum Romanos* genere appellant: nimirum quotquot Imperio Orientali sive Byzantino suberant Christiani, ii *Romæi* sive *Romani* dicebantur, juxta consuetum loquendi morem, quo Imperium illud *Romanum* dicebatur, & Imperatores Orientis, *Romanorum Imperatores* sese appellabant, etsi revera Græci essent, aut Syri, sive Armeni, seu alterius Orientalis regionis: propter Regiam scilicet Urbem Constantinopolim, Imperii illius Sedem, quæ *Romæ novæ* nomen obtinuerat.

IV. Acta SS. Cyrilli ac Methodii, edita & manu exarata. Utraque eorum Vita ab Henschenio evulgata expenditur. Item quæ de iis Andreas Dandulus, & Stredovuskius scribunt.

Extat duplex SS. Cyrilli ac Methodii vita ab Henschenio ad diem IX. Martii edita. Prima cum Translatione S. Clementis ex Ms. Francisci Duchesnii " Initium pag. 19. „ Tempore igitur quo Michael Imperator novæ Romæ regebat Imperium, fuit quidam vir nobili genere, civitate Thessalonica ortus, vocabulo *Constantinus*: „ Altera *ex Ms. Blauburano*: initium pag. 22.. " Tempore „ Michaelis Imperatoris, fuit quidam vir genere nobilis, „ civitate Thessalonica ortus, nomine Constantinus. „ Subjunguntur pag. 24. *Lectiones Ecclesiasticæ de iisdem SS. Cyrillo, & Methodio, ex veteri Ms. Breviario Olomucensi*. Initium: *Beatus Cyrillus natione Græcus, tam Latinis, quam ipsis Græcorum apicibus instructus, postquam Vulgari crediderunt, aggressus est in nomine S. Trinitatis, & individuæ Unitatis, etiam genti Moraviæ fidem D. N. Jesu Christi prædicare*. Bohemorum denique conversio per S. Methodium Episcopum ex Ms. coenobii Budecensis in vita S. Ludmillæ Mart. Initium pag. 24. col. 2. " Pestilentiæ cladibus afflicti infelices illi, qui nunc Slavi Bojemi sub Arctum positi „ Idem Henschenius in Commentario prævio agens de gentibus a SS. Cyrillo & Methodio ad Christi fidem conversis, *Chazaris* scilicet, *Bulgaris*, *Moravis*, & *Bohemis*, Chronologiam insuper Apostolicæ eorum prædicationis tradit §. IV. asserens, Sanctum Cyrillum post annum Chr. 848. in Chersonesum profectum, Chazaros convertisse; tum Moravos circa an-

num

num 867. advenisse: denique mortuo Cyrillo, Bohemos a Methodio Christiana sacra accepisse ante annum 894. Hæc summatim Henschenius: quæ sunt a nobis singillatim expendenda.

Et primo de Chazaris est dicendum. In utraque Vita de *Constantino* Philosopho, qui *Cyrilli* nomen assumpsit: *Hic quum adolevisset, atque a parentibus fuisset* (ex Urbe Thessalonicensi) *in Urbem Regiam ductus, honorem Sacerdotii ibidem est adeptus*. Andreas Dandulus in Chronico ubi de Urso Particiaco Venetorum Duce anno Chr. 864. inaugurato. „ Eo„ dem tempore Constantinus Thessalonicensis, cui Papa, *Cy„ rillus* nomen imposuit, vir catholicus, divinisque scriptu„ ris eruditus, & in variis idiomatibus peritus, Regem Bul„ garorum cum gente sua ad fidem convertit: & acceptis a Se„ de Apostolica sacri Ordinis Ministris, adeo Rex in fide soli„ datur, ut non multo post, filio majore in Regem ordinato, „ ipse abrenuncians sæculo, factus est Monachus. *Et post pau„ ca*. Hujus autem B. Cyrilli prædicatione Svetopolis Rex „ Dalmatiæ, qui ab Odroillo germano Totilæ Regis Gotorum „ originem duxerat, cum toto suo populo catholicam fidem „ suscepit, & ab Honorio Cardinali Legato Apostolicæ Sedis, „ assistentibus Orthodoxis Episcopis, & Apocrisariis Michae„ lis Imperatoris Constantinopolitani, a quo Regnum suum re„ cognoscebat, in plano Dalmatiæ coronatus est, & Regnum „ suum in quatuor partes divisit. *Et post pauca*. Hic B. Cyril„ lus pene omnium Sclavorum dictus Apostolus, qui hos ad fi„ dem reduxit, & divinum Officium in lingua Sclavonica eis „ transtulit, corpusque B. Clementis Papæ a Chersona, ubi in „ mare Ponticum projectum fuerat, mari siccato abstulit, & „ Romam detulit, ubi in Ecclesia sui nominis reconditum „ est, & consequenter B. Cyrillus paucis interjectis diebus „ obiit. „ Nulla, ut vides, Methodii mentio. Sed quot sint in hac narratione errores, mox videbimus.

Jo: Petrus Kohlius in hist. Codicis Sacri Slavonici p. 134. ex Stredowskio. Cujus (de Constantino & Methodio est sermo) „ cujus fama quum ad Theodoræ Theophili Imperatoris „ conjugis aures pervenisset, quæ literas, artesque liberales „ cum ipsis Magistris ac eruditis, a Michaele Balbo Constan„ tinopoli quondam ejectas, restituendi consilium ceperat;

„ haud invito fecit, ut inter cæteros famæ florentis viros *Me-*
„ *thodium* ac *Cyrillum* quamlibentiſſime eo vocaret. Hi vero
„ non multo poſtquam huc venerant, Methodio Conſtantino-
„ politano tum Antiſtite, Eccleſiaſtico muneri præfecti ſunt.
„ Monachorum habitu ibidem indutos nonnulli tradunt: ſed
„ negat Stredowsckius, priuſquam è Græcia Slavorum terras
„ adierint, Monachorum Ordini acceſſiſſe. *Et poſt pauca con-*
„ *cludit*: Longe poſt demum quam duumviri noſtri Slavorum
„ terras intraverant, Cyrillus pullatorum ordine ſuum nomen
„ profeſſus eſt: Methodium autem huic ordini unquam adſcri-
„ ptum fuiſſe, nuſquam legimus. „ Verum quæ hic de *Cy-
rillo* ac *Methodio* ab Imperatrice Theodora Conſtantinopolim
evocatis dicuntur, nullum habent antiquum teſtem: quin imo a
Stredowsckio ea videntur ad Theodoram eoſque fratres perpe-
ram referri, quæ ab hiſtoricis de Michaele Balbo, Barda Cæ-
ſare, & Leone Philoſopho Epiſcopo Theſſalonicenſi narrantur.
Cedrenus pag. 499. de Michaele Balbo: „ Literaturam quo-
„ que adeo eſt averſatus, ut ne pueros quidem ea permiſerit
„ erudiri, vel veſaniæ ipſius coarguendæ atque refellendæ in-
„ ſtrumenta alii inde pararent; vel diſciplina adjuti, quum
„ oculorum ac linguæ velocitate in legendo uterentur, ipſi pal-
„ mam ejus rei præriperent; adeo enim in literis componendis
„ tardus erat, & ſyllabis conficiendis, ut librum alius facilius
„ perlegeret, quam ipſe ſui nominis elementa recenſeret. „
Idem Cedrenus pag. 430. de Barda Cæſare: „ Interim Bardas
„ negotia publica procurabat, imperiumque animo ſibi deſtina-
„ bat, quod ſuo tempore adipiſceretur. Idem profanas quo-
„ que literas, quæ Imperatorum barbarie atque inſcitia jam a
„ multis annis prorſus obſoleverant & evanuerant, recreavit,
„ ſingulis ſcientiis certo loco ſuas ſcholas attribuens, ſupremæ
„ autem omnium Philoſophiæ ad ipſam Regiam in Magnaura.
„ Itaque ex eo rurſum florere ſcientiæ cœperunt ... Philoſo-
„ phiam docebat magnus ille Philoſophus Leo, conſobrinus
„ Joannis Patriarchæ. Hic Leo Epiſcopus quum eſſet Theſſa-
„ lonicæ, Imaginiperdis (*Iconomachis*) ſubmotis, ipſe quo-
„ que munere ſuo privatus, quum in otio degeret, huic fuit
„ negotio adhibitus. „ Pergit enarrans, quo pacto is Leo
antea in notitiam Theophili Imperatoris pervenerit. At vero
quum

quum a Theodora Augusta restituto imaginum cultu, tam Joannes Patriarcha, quam Leo Episcopus Thessalonicæ suo gradu submoti fuerint, utpote Iconomachi, quumque post Theodoræ e palatio ejectionem, Bardas Cæsar eundem Leonem Philosophiæ edocendæ magistrum præfecerit; satis aperte colligitur, neque hunc Leonem fuisse Cyrilli ac Methodii parentem, neque a Theodora eosdem Cyrillum ac Methodium a Thessalonica in Urbem regiam evocatos, aut ab ipsa consilium restituendi literas captum. Omnia ergo hic miscet Stredowsckius.

Cyrillum autem in Slavorum terris Monachum egisse, constat ex priori vita, in qua pag. 21. num. XI. post ejusdem Cyrilli mortem, quę Romæ anno exeunte 867. vel ineunte 868. contigit, sic Methodius ipsius frater ad Papam Hadrianum secundum dixisse perhibetur: „ Tunc supradictus frater ejus „ Methodius accedens ad S. Pontificem & procidens ad vestigia ejus, ait: Dignum ac necessarium duxi suggerere Beatitudini tuæ, Apostolice Pater, quoniam quando ex domo „ nostra ad servitium, quod auxiliante Domino fecimus, sumus egressi: mater cum multis lacrymis obtestata est, ut si „ aliquem ex nobis, antequam reverteremur, obiisse contingeret, defunctum fratrem frater vivens ad Monasterium „ suum reduceret, & ibidem illum digno & competenti obsequio sepeliret. Dignetur igitur Sanctitas Vestra hoc munus „ meæ parvitati concedere, ne precibus matris vel contestationibus videar aliquando contraire. „ In altera vita pag. 23. num. 12. dicitur B. Methodius corpus defuncti Romæ fratris Cyrilli voluisse ad *Moraviam secum deportare*. Quod argumento est, utrumque fratrem, si non Constantinopoli aut Thessalonicæ, saltem in Moravia Monasterium proprium habuisse. Certe Methodium ordini Monachorum fuisse olim adscriptum, testantur Continuator Porphyrogeniti in Michaele Theodoræ filio num. 15. Curopalates pag. 25. & Cedrenus pag. 540. dum scribunt, Bogorim Bulgarorum Regem conspecta, quam *Methodius Monachus* fecerat, secundi Dominici adventus pictura territum, ab eoque edoctum, suam ejurasse superstitionem. Eorum verba mox recitabo.

Utraque vita pag. 19. & 22. „ Tunc temporis ad præfatum „ Imperatorem (*Michaelem Theophili ac Theodoræ filium*) Chaza- V. Sancti Cyrilli ad Chazaros Evange-

lica expeditio. An etiam Methodio fratre comite? definitur ejus expeditionis tempus & occasio.

„ Chazarorum legati venerunt, orantes ac supplicantes, ut „ dignaretur mittere ad illos aliquem eruditum virum, qui „ eos fidem Catholicam edoceret; adjicientes inter cætera, „ quoniam nunc Judæi ad fidem suam, modo Saraceni ad suam „ nos convertere e contrario moliuntur. Verum nos ignoran- „ tes, ad quos potissimum nos transferamus, propterea a sum- „ mo & Catholico Imperatore consilium quærere nostræ fidei „ ac salutis decrevimus, in fide vestra ac veteri amicitia plu- „ rimum confidentes. Tunc Imperator simul cum Patriarcha „ consilio habito, præfatum Philosophum advocans, simul „ cum legatis illorum ac suis honorificentissime transmisit illuc, „ optime confidens de prudentia, & eloquentia illius. E ve- „ stigio igitur præparatis omnibus necessariis, iter arripiens, „ venit Chersonem, quæ nimirum terræ vicina Chazarorum „ & contigua est, ibique gratia discendi linguam gentis illius, „ est aliquantulum demoratus. „ Pergit historicus, enarrans, quod Cyrillus de corpore S. Clementis Papæ inquirens, cum Episcopo, Civitatis Duce, & aliis insulam quandam adiit, ubi costam, caput, & alias Sancti Clementis reliquias unacum anchora, cum qua in mare fuerat præcipitatus, invenit, easque solenniter ad Metropolitanam Ecclesiam transtulit. Mox subdit: „ Post hæc prædictus Philosophus iter arripiens, & ad gen- „ tem illam, ad quam missus fuerat, veniens, comitatus Re- „ demptoris omnium Dei prædicationibus & rationibus elo- „ quiorum suorum, convertit omnes illos ab erroribus, quos „ tam de Saracenorum, quam de Judæorum perfidia retine- „ bant. Unde plurimum exhilarati, & in fide Catholica corro- „ borati atque edocti, gratias referebant omnipotenti Deo, „ & famulo ejus Constantino Philosopho. Literas insuper Im- „ peratori cum multis gratiarum actionibus transmiserunt, quia „ eos studio suo ad veram & Catholicam revocare studuerit fi- „ dem; affirmantes se ob eam rem imperio ejus semper subdi- „ tos & fidelissimos de cætero velle manere. Deducentes au- „ tem Philosophum cum multo honore, obtulerunt ei mune- „ ra maxima, quæ ille omnia, ut revera Philosophus, respuens, „ rogavit, ut pro muneribus illis, quotquot captivos externos „ haberent, sibi secum mox reversuro, dimitterent. Quod „ protinus completum est.

Id

Id factum anno Chr. 843. tradit Kohlius ex Stredowfckio, his verbis pag. 135. „ Accidit interea, dum hi duo fratres „ Conftantinopoli verfarentur, anno circiter 843. ut Gazaro- „ rum princeps, fingulari quodam numinis inftinctu percitus, „ legatos ad Theodoram Imperatricem mitteret, petitum, ut „ nonnullos ad fe fpectatæ pietatis doctrinæque viros, divini „ verbi præcones mitteret. Ad quod illa faciendum paratiffi- „ ma, (*a*) Methodium ac Cyrillum ablegavit. „ At folum Cyrillum abfque Methodio miffum fuiffe, item legatos Gazarorum principis ad Imp. Michaelem adveniffe, in utraque Vita legitur. Id infuper non anno circiter 843. fed poft ann. 848. contigiffe, oftendit Henfchenius commentar. prævio in Vitam SS. Cyrilli & Methodii §. IV. num. 30. *Et non multo poft* (*b*) *ipfe Conftantinus miffus, ut Chazaris fidei Chriftianæ myfteria exponeret, qui id ab Imp. Michaele petierant, cujus erat jam celebre etiam apud exteros nomen, cum fancta matre Theodora & Thecla forore placide ac feliciter imperantis, cafte tunc colentis pietatem. Matris ergo fororifque confilio, & Patriarchæ Ignatii, ad eam rem delegit Conftantinum Michael. Qui mox in Cherfonefum profectus, ibi primum Slavicam linguam, Chazaris quoque communem, didicit: & ut verifimile eft, Evangelium in eam linguam tranftulit, aliaque e Scripturis aut Ecclefiafticis libris, quæ fibi ad barbarorum commodiorem inftitutionem utilia cenfebat, & ad publicas precationes, quarum iis formulas inculcaret, etiam privatim ufurpandas. Quam ad rem novos quoque characteres excogitavit, quum forte, ut etiamnum nonnulli Orientales populi, figuris quibufdam uterentur, quæ neque tam facile addifci præ multitudine poffent, neque ad omnia enuncianda perinde idoneæ effent, nifi formæ aliquæ, velut alphabeti ordine connexæ, effingerentur, quibus identidem*

a Kohlius in Animadverf. ad pag. 136. F. *Hanc rem Stredovuskius pag. 95. ita narrat. Læta fronte hæc Gazarorum Legatorum poftulata excepit pro filio fuo Theodora, habitoque cum S. Methodio Patriarcha (qui alius erat a noftro Methodio) confilio, Cyrillum ad hoc negotium deftinavit, qui itineris comitem poftea fratrem affumpfit.* Utrumque falfum: neque enim Methodius, fed Ignatius, tunc temporis, poft annum fcilicet 848. erat Patriarcha: neque Methodius cum fratre Cyrillo, fed folus Cyrillus ad Chazaros miffus fuit.

b Loquitur de temerario illo dogmate Photii, quod Cyrillus five Conftantinus circa anno 848. aut fequentem reprehendiffe dicitur, quum effet anno 847. ad Patriarchales infulas regiæ urbis, poft obitum S. Methodii, evectus S. Ignatius, Michaelis Curopolatæ Imperatoris filius.

dem varie transpositis, non voces integræ, nedum sententiæ, sed syllabæ, certo consonantium motu ac velut spiritu repræsentarentur; prout in Græcis ac Latinis fieri norat. Diversos tamen ab utrisque esse characteres illos necesse erat, ne perturbarentur legentes, quibus æque sua esset ac linguæ alterius nova scriptura. His ita præparatis, inventisque interea S. Clementis Papæ reliquiis, ad Chazaros adiit, eosque celeriter, quippe jam ultro expetentes, cognitione nostræ religionis erudiit. Qua re peracta, Constantinopolim revertit, relictis fortasse apud Chazaros orthodoxis e Taurica Sacerdotibus, qui linguæ eorum gnari ad Sacramenta iis conferenda, & quæ alia necessaria, præsertim Neophytis, essent, procuranda impenderent operam.

VI. Situs Chazariæ. Sermo Chazarorum a Sclavico diversus.

Ita Henschenius: cui quoad annum, quo Chazari a S. Cyrillo Christiana fide sunt imbuti, libenter assentior; eo præsertim adductus argumento, quod supra ex Constantino Porphyrogenito ad annum circiter Chr. 838. Theophili Imp. 10. eorumdem Chazarorum Chaganus per legatos petierat, ut castrum Sarcel, genti suæ ædificaret, quo a Patzinacitis sese tueri possent. At quod Henschenius subdit de lingua Slavorum, Chazaris communi, quam Cyrillus, dum Chersonæ degeret, didicerit; deque sacris libris ibi ab eodem in eam Slavicam linguam versis, novisque ejus linguæ characteribus excogitatis; hoc, inquam, nullo pacto probari posse censeo: tum quia paucorum mensium spatio, quo Cyrillus Chersonæ moratus est, fieri nequit, ut & linguam illam didicerit, & in eam tot sacros libros converterit: tum quia Chazarorum lingua a Slavica erat aliena: Chazari enim Hunnico sive Turcico sermone, non Slavico utebantur. Cedrenus ad ann. Heraclii XVI. memorat Τὺς Τύρκυς τῆς ἑώας οὓς ϰ̀ χαζάρυς ὀνομάζυσιν, *Turcos Orientales, quos & Chazaros appellant*. Porphyrogenitus de Admin. Imp. cap. 38. *Turcorum gens olim prope Chazariam habitabat, in loco cui cognomen Lebedias, a primo ipsorum Boebodo, qui nomine quidem Lebedias appellabatur, dignitate vero, quemadmodum reliqui ejus successores, Boëbodus dicebatur. In hoc igitur loco, nimirum in prædicta Lebedia, fluit amnis Chidmas, qui etiam Chingylus cognominatur. Et quidem tunc temporis non Turci, sed* σαβαρτάσφαλοι, *Sabartasphali quadam de causa dicebantur: erantque gentes eorum septem, & prin-*

principem vel indigenam, vel alienigenam habuerunt nunquam; ſed erant inter ipſos Boebodi quidam, quorum primus is, cujus ſupra mentionem fecimus, Lebedias. Habitarunt autem cum Chazaris annos tres, omnibus eorum in bellis adjutores: Chaganuſque Chazariæ princeps primo Turcorum Boëbodo Lebediæ, fortitudinis eorum ac commilitii cauſa, uxorem dedit Chazaram nobilem, motus fortitudinis ejus fama & generis ſplendore, ut ex eo prolem tolleret: & tamen caſu factum eſt, ut ex Chazara illa liberos non ſuſciperet Lebedias. Patzinacitæ vero, qui Cangar, Κάγγαρ, olim cognominabantur (nam hoc nomen Cangar apud ipſos nobilitatem ac fortitudinem ſignificat) armis contra Chazaros ſumptis, victi, terram ſuam deſerere, & Turcorum regionem incolere coacti fuere. Bello autem inter Turcos & Patzinacitas tunc temporis Cangar cognominatos exorto, Turcorum exercitus devictus fuit; atque in partes duas diviſus; & earum una quidem orientem verſus, partem Perſidis incoluit, & hi etiamnum in hodiernum diem Turcorum cognomine Sabartaſphali nuncupantur: altera vero pars occidentem verſus, ſedes poſuit cum Boëbodo ſuo ac Duce Lebedia in locis Atel-Cuzu nuncupatis, quæ nunc Patzinacitarum gens incolit. Proſequitur enarrans, a Chagano Chazarorum principe evocatum Lebediam, ut ipſum genti Turcorum, ſibi tamen vectigalem, præficeret; eo autem præfecturam recuſante, conſtitutum Arpadem filium Salmutzæ, alterius a Lebedia Boëbodi: *quem*, inquit, *Turci, ſolemni Chazarorum more ac conſuetudine in ſcuto erectum, Principem fecerunt. Et hunc Arpadem Turci Principem, alium nullum unquam habuerunt, ex cujus etiam poſteris ad hunc uſque diem* (ideſt uſque ad annum 949.) *Princeps Turciæ conſtituitur. Poſt aliquot vero annos, Turcos invadentes Patzinacitæ; eos cum principe Arpade perſecuti ſunt. Turci itaque profligati fugientes, & terram ad ſedes collocandas quærentes magnam Moraviam ingreſſi, incolas expulerunt, ibique ſedes* (a) *ſuas poſuerunt, tenentque etiam in hodier-*

a Turcis hæ gentes conterminæ ſunt: ad Occidentem Francia: ad Septentrionem Patzinacitæ: ad Meridiem magna Moravia, ſive Sphendoplochi regio, quæ omnino a Turcis vaſtata eſt, & ab ipſis jam obtinetur: Chrobati vero ad Montes Turcis adjacent. Idem Porphyrog. cap. 13. & cap. 40. *Confines Turcis ſunt, Orientem verſus Bulgari: ubi eos Iſter fluvius qui & Danubius dicitur, diſterminat: Septentrionem verſus Patzinacitæ: ad Occidentem Franci: ad Meridiem Chrobati.* Porro de Turcorum Rege recole quæ ſunt a me enarrata Tom. I. cap. 9. nu. XXI. & XXII. a p. 421. ad 428.

diernum usque diem. Et ex eo tempore bellum cum Patzinacitis Turci non habuerunt. Idem cap. 39. de Cabarorum gente: *Cabari*, Κάβαροι, *a Chazarorum gente descendunt. Facta autem inter eos secessione, belloque orto civili, prior pars vicit: quique victi, pars occisi sunt, pars fugientes ad Turcos, in Patzinacitarum terram se contulerunt, ibique sedes posuerunt, contractaque mutua amicitia, Cabari appellati sunt: unde & Chazarorum linguam ipsos Turcos docuerunt, habentque etiam hodie eandem Dialectum; aliaque item Turcorum lingua utuntur.* Quamquam Abulpharagius asserit *Chazaros* eosdem esse, ac eos populos, quos vulgo *Georgianos*, ideſt, *Colchos & Iberes*, appellamus; conſtat (*a*) tamen eum hac in re fuiſſe deceptum ex eo, quod *Chazari*, ſive *Turci* (*b*) Orientales & *Chorasmii* populi, qui ad boream maris Caſpii habitabant, irruptione in *Iberiam & Colchidem*, quæ hodie *Mengrelia* & *Guriel* vocatur, facta, illos aliquandiu ſubjugarint. Ceterum diverſos eſſe Chazaros a Georgianis, certum eſt, tum quia *Chazarorum* (*c*) regio, in quam Septentrionali ſupra mare Caſpium parte olim migraverant, ſupra Mæotidem paludem ſita eſt, Patzinacitis & Cherſonitis contermina: tum quia lingua Chazarorum *Turcica* eſt, a *Georgianorum* ſermone prorſus diverſa: tum demum, quia *Georgiani*, ſive *Iberes* (*d*) Aſiatici, ideſt, qui inter mare Caſpium & Pontum Euxinum ſedes ha-

a Vide Herbelot. in Biblioth. Orient. pag. 407. 408. in v. *Gurge*, *Kurge*, *les Georgiens*, *& Gurgistan*, *la Georgie*. Et pag. 1002. in V. *Khozar*, & *Khazar*.

b *Chazaros*, *Turcos*, *Cabaros*, unam eandemque initio gentem fuiſſe, quæ poſtea a diverſis Ducibus diverſa nomina acceperit, teſtatur Porpyrogenitus Adm. Imper. cap. 38. 39. 40.

c Prima Chazarorum Sedes ſupra mare Caſpium fuerat, unde & illud mare in hodiernum uſque diem a Perſis, Turcis, & Arabibus, بحر الخزر *mare Chazarorum* appellatur.

d Porphyrogèn. Adm. Imp. cap. 23. *Iberiæ duæ sunt: Altera circa columnas Herculeas*, ideſt Hiſpaniæ: *Altera vero Iberia apud Persas sita est*. Et cap. 45. de hac ſecunda agens: *Iberes* (inquit) *Hierosolymis, in terram quam nunc incolunt, migrarunt annis ab hinc* 400. *aut* 500. ideſt, circa ann. Chriſt. 450. Mox eorum genealogiam deſcribit cap. 46. eoſque unacum Abaſgis, Chriſtianos eſſe, disertim affirmat. Procopius lib. I. de Bello Perſico cap. 12. *Iberum Asianorum Sedes Portas Caspias contingunt a Septentrione, sinistra Lazicam, ab occasu dextra, ab ortu populos qui Persis parent. Christiani sunt inter omnes quos eo nomine censeri scimus, sacrarum legum ac ceremoniarum tenacissimi, quamvis Regi Persarum jam inde antiquitus subditi fuerint.* A Lazis dicta, Turcis, Tartaris & Arabibus, palus Mæotis بحر الازق *mare La-*

habent, usque a temporibus Constantini magni fidem Christi amplexi fuerant, eorumque tanquam Christi cultorum frequens fit mentio apud Historicos Græcos. Non mirum igitur, quod Chaganus Chazarorum, exemplo Chersonitarum, Iberum, Lazorum, & Zanorum, qui pridem Christiana sacra susceperant, excitatus, Christianam & ipse religionem amplecti poposcerit. At nullo pacto admitti posse existimo, aut Slavicam linguam Chersone Cyrillum didicisse, aut ea lingua Chaganum Chazarorum usum fuisse. Quare in eandem allucinationem cum Henschenio & Stredowskio impegisse etiam Kohlius videtur, dum hanc animadversionem pag. 136. apponit: *Factum hoc* (inquit) *anno* 843. *ex supputatione Strodowskii pag.95. Antequam Chazaros petierint* (Methodius scil. ac Cyrillus: sed hoc falsum; nam solus Cyrillus ad Chazaros perrexit:) *Antequam Chazaros petierint, Chersone, Græcorum sine dubio colonia, & multos qui Slavonica* (*a*) *lingua loquebantur incolas civesque tunc habente, sermonem Slavicum didicisse, Stredowskius affirmat. Sed multæ hic res concurrunt, unde non tum primum Slavonicam linguam imbibisse, sed jamdudum antea scivisse conficitur. Primo enim probabile non est, Theodoram Michaelis III. Imperatoris matrem ejusmodi viros, qui populi, ad quem mittendi erant, linguæ rudes essent, ablegasse. Deinde ob frequens quod cum Gazaris aliisque Slavis Græciæ intercedebat commercium, plurimis Græcorum, præsertim eruditis, familiarem hanc linguam fuisse, verosimile videtur. Denique ex Stredowskii ipsius supputatione tam breve spatium legationem Gazarorum divini Verbi ministros flagitantium, & primum Methodii ac Cyrilli in Gazaros adventum intercedit, ut linguam*

re Lazicum. Lazos etiam optimos Christianos fuisse, testatur idem Procopius lib. 2. de bello Persico cap. 28. ubi & Lazicam fuse describit a cap. 15. ad 30. & lib. 1. cap. 15. refert, *Tzanos*, alias *Zanos*, & *Sanos*, populos ad lævam Tauri montis in præruptis montibus, unde fluvius Phasis in Colchidem fertur, habitantes paulo ante bellum Persicum, cum feritate impietatem exuisse, & Christianam omnes religionem fuisse amplexos.

a Sex linguæ tunc temporis in illis regionibus, inter Caspium & Euxinum mare positis, vigebant. *Græca* scilicet, apud Chersonitas: *Georgiana* sive *Iberica*, apud Iberos & Colchos: *Slavica* apud Russos aliosque: *Armenica* apud Armenios: *Arabica* apud Saracenos: *Persica* apud Persas: & *Turcica* apud Turcos, Hunnos, Chazaros, Tartaros. *Slavice, Græce, & Latine* Cyrillum ac Methodium didicisse, eorum Acta demonstrant. Turcicam igitur Cyrillus didicerit oportet, dum Chersone degeret, ut congredi cum Chazarorum Chagano posset: nam ipsum *Chagani* nomen, Turcicum est, non Slavicum.

interea quamdifficillimam perfecte didicisse, nedum libros sacros complures transtulisse, incredibile videatur. Anno enim 843. *Legatos Gazarorum Constantinopolim venisse, sequenti autem* 844. *munus suum nostros jam auspicatos fuisse scribit. Vide librum ejus pag.*95. *&* 200. *Quid quod Illyricum* (*a*) *natione Methodium fuisse, a nonnullis statuitur: vide Acta Erudit. ann.* 1705. *pag.* 240. *ubi Ernesto Gluckio rerum peritissimo hæc sententia tributur.*

VII. Bulgaris primum, Deinde Moravis, Cyrillus ac Methodius Evangelicam doctrinam tradunt.

A Chazaris ad Bulgaros & Moravos transitum facio. In prima SS. Cyrilli ac Methodii Vita apud Henschen. ad IX. Mart. pag. 20. num. 7. nulla facta *Bulgarorum* conversionis mentione, post *Chazaros* statim subjunguntur *Moravi* ad fidem Christi unacum Rastislao eorum Principe adducti. Verum in posteriori Vita pag. 22. num. 4. præmittitur *Bulgarorum*, deinde subjungitur *Moravorum* conversio. „ Audiens autem Princeps Moraviæ, quod factum fuerat a Philosopho in Gazarorum provincia, ipse quoque genti suæ consulens, misit ad prædictum Imperatorem nuncios, rogans eum, quatenus genti suæ verum doctorem dirigeret, qui eis pleniter fidem rectam, legis ordinem, & viam veritatis valeat ostendere. Cujus precibus annuens Imperator, prænunciatum Philosophum cum Methodio germano suo illuc transmisit, mandans eis dari copiosas expensas pro itinere. Egressus itaque, primo venit ad Bulgaros, quos, divina gratia cooperante, sua prædicatione convertit ad fidem. Abinde autem procedens, venit in terram Moraviæ. „ Et num. 6. „ His omnibus auditis, Papa Nicolaus lætus factus super his, quæ sibi relata fuerunt, scilicet de conversione gentis Bulgarorum, & Moraviæ, & de reliquiis inventis S. Clementis, &c. „ Lectiones Ecclesiasticæ in Breviario MSS. Olomucensi pag. 24. num. 1. sic habent: „ Beatus Cyrillus natione Græcus, tam Latinis, quam ipsis Græcorum apicibus instructus, postquam Wulgari crediderunt, aggressus est... etiam genti Moraviæ fidem D. N. Jesu Christi prædicare. „ Henschenius commentar. prævio §. 1. num. 2. & seqq. scribit, Cyrillum & Methodium varias Slavorum gentes convertisse: & Cy-

a Nimirum, quia is Thessalonicam Patriam habuit. Illyricum autem vetus non solum Macedoniam, sed ulteriores etiam regiones continebat.

& *Cyrillum* quidem *Chazaros* Ponti Euxini accolas: *utrumque* autem, *Bulgaros* e Sarmatia oriundos,& *Triballos* Bulgaris mistos: mox *Moravos*, Slavicam gentem, latius olim dominantem; demum *Bohemos*. Et §. IV. num.31. Moravorum conversionem figit ante annum Chr.856. quam quum sequuta sit Boëmorum conversio, hanc num. 35. post ann. 867. contigisse concludit. At nos ex Annalista Metensi jam supra ostendimus, Ludovicum Germaniæ Regem anno 845. quatuordecim Duces Boëmanorum cum hominibus suis Christianam religionem desiderantes suscepisse, & in octavis Theophaniæ baptizari jussisse.

Stredowskius in sui libri titulo gentes enumerat, quas SS. Cyrillus & Methodius ad Christiana sacra adduxere: sic autem habet titulus: „ Sacra Moraviæ historia; sive Vi-
„ ta SS. Cyrilli & Methodii, genere civium Romanorum:
„ prærogativa, Patriciorum Constantinopolitanorum: eru-
„ ditione, perspicacissimorum Philosophorum: gradu Ec-
„ clesiastico, Welehradensium Archiepiscoporum; gentis Mo-
„ raviæ, Bohemiæ superioris, Silesiæ, Gazariæ, Croatiæ,
„ Mongreliæ, Circassiæ, Bulgariæ, Triballiæ, Bosniæ, Rus-
„ siæ, Dalmatiæ, Pannoniæ, Daciæ, Carinthiæ, Carniolæ.
„ & universæ pene Slavoniæ, zelantissimorum Apostolorum:
„ ex diversis historicorum, tum manu impressorum, tum scri-
„ ptorum codicibus: ex continuata majorum traditione, &
„ publicis fide dignis instrumentis, atque Romanorum Pon-
„ tificum bullis: acerbo sudore collecta; cui ob concatena-
„ tam temporum & rerum seriem, diversa Antiquitatum
„ monumenta, uti sunt Moravorum bella, paces, fœdera,
„ calamitates, veteres superstitiones &c. adjiciuntur: luci
„ publicæ exposita a Johanne Georgio Stredowskio Protono-
„ tario Apostolico &c. necnon Paulowicii Parocho, Solisba-
„ ci 1710. in quarto. „ Sed præter incultum maxime ac barbarum orationis genus,quod in Stredowskio Kohlius pag.141. in Adnot. lit. L. notat, hoc etiam vitium liber habet, quod & Cyrillum (qui Monachus & Presbyter obiit) Archiepiscopum Welegradensem facit: & eundem una cum Methodio fratre Apostolum earum regionum comminiscitur, quæ jamdudum antea in Christum crediderant. Quam [illegible] igitur Bulgari ante Moravos a SS. Cyrillo ac Methodio ad Christi fidem

adducti dicantur; nos tamen rerum gestarum seriem sic enarrandam suscipimus, uti in utraque Vita refertur, de anno quo hæc contigerint, mox disputaturi.

VIII. Mittitur Cyrillus cum Methodio in Moraviam. Uterque Romam evocatur a S. Nicolao Papa, eoque mortuo, ab Hadriano II. honorifice recipiuntur.

Philosopho autem (Cyrillo sive Constantino, uti in priori Vita legitur num. 7.) *Philosopho reverso* (e Chazaria) *Constantinopolim, audiens Rastilaus* (a) *Princeps Moraviæ quod factum fuerat a Philosopho in provincia Gazarorum, ipse quoque genti suæ consulens, ad prædictum Imperatorem nuncios misit, nuncians hoc quod populus suus ab idolorum quidem cultura recesserat, & Christianam legem observare desiderabat; verum doctorem talem non habent, qui ad legendum eos & ad perfectam legem ipsum edoceat: rogare se, ut talem hominem ad partes illas dirigat, qui pleniter fidem & ordinem Divinæ legis & viam veritatis populo illi ostendere valeat. Cujus precibus annuens Imperator, eundem supernominatum Philosophum ad se venire rogavit; eumque illuc, idest, in terram Slavorum simul cum Methodio germano suo, transmisit, copiosis valde illi de palatio suo datis expendiis.* Posterior Vita num. 4. *Egressus itaque* (Cyrillus cum Methodio) *primo venit ad Bulgaros, quos divina gratia cooperante, sua prædicatione convertit ad fidem. Abinde procedens, venit in terram Moraviæ, secum portans corpus S. Clementis.* Prior Vita num. 7. *Quumque ad partes illas, Deo præparante, venisset, cognoscentes loci indigenæ adventum illorum, valde gavisi sunt, quia & reliquias B. Clementis secum ferre audierunt, & Evangelium in eorum linguam a Philosopho prædicto translatum. Exeuntes igitur extra civitatem obviam, honorifice & cum ingenti lætitia receperunt eos. Cœperunt itaque ad id quod venerant peragendum studiose insistere, & parvulos eorum literas edocere, officia Ecclesiastica instruere, & ad correptionem diversorum errorum, quos in populo illo repererant, falcem eloquiorum suorum inducere: sicque abrasis & extirpatis de agro illo pestifero multifariis vitiorum sentibus, Divini verbi gramina seminare.* Posterior vita num. 5. „ Dum hæc saluberrima vir Dei prædi„ caret eloquia, & in corde Regis ac populi jam inspirata di„ vinitus illuxisset gratia, Rex ipse cum multitudine populi „ sui

a Rastislavus, alius a Svvatopluco, Sientipulco, Svvadopluk, Svvatopluk, & Zuentepluck; uti mox demonstrabitur.

,, sui hac doctrina firmiter confortatus, non moratus in via,
,, nil dubitans in fide, hilaritate magna animi, magna spe
,, salutis præsentis & futuræ, intimis instabat postulationibus,
,, quatenus Catholicæ fidei eum firmis initiaret Sacramentis.
,, Hoc ut audierunt viri sancti, præ gaudio lacrymati, pro
,, eorum conversione & desiderio deprecabantur Dominum
,, instantius: deinde sacri Baptismatis unda mundatum, æter-
,, no Regi munus acceptabile Regem obtulerunt mortalem.
,, Quumque viri Dei ipsum Regem cum populo suo religiosa
,, solicitudine ad fidei lumen omnino provocassent, illis de-
,, inde novum & vetus Testamenta exponentes, & infor-
,, mantes eos, plura de Græco & Latino transferentes, in
,, Slavonica lingua Canonicas Horas & Missas in Ecclesia Dei
,, publice statuerunt decantare. ,, Breviarium Olomucen-
se: ,, Et cooperante Divina gratia, postquam illos Christo
,, lucratus fuerat, etiam apices vel characteres novos compe-
,, rit, & vetus novumque Testamentum, pluraque alia de
,, Græco seu Latino Slavonicam in linguam transtulit: ac
,, Missas præterea cæterasque Canonicas Horas in Ecclesia re-
,, sonare statuit, quod & usque hodie in partibus Sclavorum
,, agitur, maxime in Vulgaris, multæque ex hoc animæ Chri-
,, sto Domino acquiruntur. ,, De sacris libris in Slavonicum
a Cyrillo conversis, deque characteribus ab ipso inventis, ali-
,, bi sermo erit. Prior Vita num. 7. ,, Manserunt ergo in (a)
,, Moravia per annos quatuor & dimidium, & direxerunt po-
,, pulum illius in fide Catholica: & scripta ibi reliquerunt
,, omnia, quæ ad Ecclesiæ ministerium videbantur esse neces-
,, saria. His omnibus auditis Papa gloriosissimus Nicolaus,
,, valde lætus super his, quæ sibi ex hoc relata fuerant red-
,, ditus, mandavit, & ad se venire illos literis Apostolicis
,, invitavit. Quo nuncio illi percepto valde gavisi sunt, gra-
,, tias agentes Deo, quod tanti erant habiti, quod mereren-
,, tur ab Apostolica Sede vocari. Mox igitur iter aggressi, du-
,, xerunt etiam secum aliquos de discipulis suis, quos dignos
,, esse ad Episcopatus honorem recipiendum censebant: sic-
,, que post aliquot dies Romam applicuerunt. Sed quum an-
,, te

---

a Ita & posterior Vita num. 6 *Manserunt autem in Moravia annos quatuor & dimidium, quibus terræ illius populum direxerunt in viam salutarem.*



„ te non multos dies supradictus Papa Nicolaus transiisset ad „ Dominum, secundus Adrianus, qui illi in Romano Pontificatu successerat, audiens quod præfatus Philosophus corpus B. Clementis, quod studio suo repererat, secum deferret, valde nimis exhilaratus est. „ Cetera quæ Romæ gesta sunt, postea referam. In Posteriori Vita num. *6.* causa affertur, cur a Nicolao Papa fuerint Romam evocati. „ His „ omnibus auditis, Papa Nicolaus lætus factus super his, quæ „ sibi relata fuerunt, scilicet de conversione gentis Bulgarorum & Moraviæ, & de reliquiis inventis S. Clementis; mirabatur tamen ex alia parte, quod ausi fuissent Sacerdotes Domini Horas Canonicas in Sclavonico decantare. Quapropter mandavit per literas Apostolicas, illos ad se venire „ Romam. Qui mox iter aggressi, applicuerunt Romam, „ Papa interim moriente. Audiens autem Papa Adrianus, „ quod Cyrillus Corpus S. Clementis secum deferret, exhilaratus valde, cum Clero & populo procedens illis obviam, „ honorifice eos cum sacris suscepit Reliquiis. *Et mox*. Apostolicus vero, & reliqui Rectores Ecclesiæ corripiebant „ B. Cyrillum, cur videlicet ausus fuisset in Sclavonica lingua Horas Canonicas statuere, & Sanctorum Patrum instituta immutare. „ Nicolaus I. Papa mortuus est anno *867.* Idibus Novembris, quo die ejus memoria in Martyrol. Rom. celebratur. Hadrianus vero, hujus nominis secundus, XIX. Kal. Januarii anni exeuntis *867.* Pontificatum iniit. Itaque Methodium ac Cyrillum fratres, quum Bulgaros & Moravos ad Christi fidem adduxissent, Nicolaus Pontifex circa annum Chr. *866.* Romam evocavit: illuc autem quum pervenissent, Hadrianus II. Nicolai successor, illos anno *868.* excepit. Quod autem de Nicolao Papa dicitur, quod mirabatur, quod ausi fuissent Sacerdotes Domini Horas Canonicas in Sclavonico decantare: hoc, inquam, alibi expendam, simulque ostendam, non sub Nicolao, neque sub Hadriano, sed temporibus Joannis VIII. Papæ id contigisse, quod perperam ad hæc Nicolai & Hadriani tempora refertur.

IX. Quomodo Bogoris Bulgarorum Rex ad Christi fi

Ex dictis intelligitur, primum Bulgaros, deinde Moravos, ante annum *866.* Sanctorum Cyrilli ac Methodii prædicatione ad Christi fidem fuisse adductos. Quo tamen id anno con-

contigerit : non convenit inter Scriptores. Res igitur in apertam lucem ut deducatur, repetenda sunt, quæ de Bogori Bulgarorum Rege ex iisdem Græcis supra recitavi.

dem conversus sit, nomenque Michaëlis acceperit ? ex Græcis Scriptoribus Porphyrogenito, Cedreno, Curopalata, & Zonara : & quo anno? ex Baronio, Henschenio, & aliis.

Constantinus Porphyrogenitus (sive is, qui Porphyrogeniti jussu, Chronographiam Theophanis a Leonis Armeni inauguratione continuandam suscepit,) lib. 4. de Michaele Theophili ac Theodoræ filio cap. 13. & seq. sic scribit (*a*) de Bogori Principe Bulgarorum, qui ad Christi fidem conversus, Michaelis nomen assumsit. „ Ceterum Bulgariæ Princeps Bogoris nomine, audito feminam rerum potiri, ferocius ipse „ efferri. Missis itaque ad Theodoram nunciis, minatur, „ rupto fœdere adversus eam se copias educturum. At illa, „ nihil muliebre, aut non satis virile in animum inducens, ita „ renunciavit : me quoque vicissim adversum te offendes copias educentem ; nec me victoria potituram diffido. Sin „ autem minime contigerit, ipseque me vinces ; sic quoque „ ipsa superavero, penes quam manifesta victoriæ jura futura „ sint, quum tibi non vir, sed mulier victa concesserit. Hoc „ responso perterritus barbarus, quietem bello prætulit, nihil „ ferocius moliri ausus, amicitiæque rursus fœdera renovavit. „ Inter hæc Theodora omni diligentia perquirendum statuit „ (sic nuncupatum) Theodorum Monachum, cognomento „ Cupharam, sive quibusdam insomniis visoque monita, sive „ alia ratione inducta. Is vero diu ante inter captivos (*b*) fuerat adductus. Mittit ergo ad Bulgariæ Principem, datisque „ literis rogat, ut hominem sedulo perquiri jubeat, quo libuerit pretio ex ipso redimendum. Ille vicissim occasionem „ nactus, missis legatis, sororem ad se (*c*) remitti petit, Romanorum quondam excursionibus captam, & quæ tunc in „ Aula

a Edit. Parif. pag. 101.

b Fortasse anno 813. quo capta a Crumo Bulgarorum Principe Adrianopoli, multa Christianorum millia exinde & e Macedonia sunt ab ipso Crumo trans Danubium translata.

c Theophilo imperante (ut scribit Leo Grammaticus) captivi illi Christiani, quos Crumus capta Adrianopoli, trans Danubium transtulerat, volentes in patriam redire, dum Michael seu Bogoris, Bulgarorum Princeps, versus Thessalonicam expeditionem suscipiebat, navigiis impositi, Danubium trajecerunt : indeque in patriam Deo juvante, migrarunt. Tunc fortasse captam Principis sororem adduxerunt : aut potius, paulo post Crumi mortem anno 814. tunc adducta fuit Bogoris soror, quum Leo Armenius Imp. (uti refert Porphyrogenitus in ejus vita num. 13.) e monte quo

„ Aula ſervaretur. Hæc itaque ad Chriſti fidem probe tranſ-
„ lato animo, doctaque literas per eas captivitatis moras,
„ omnemque prӕterea Chriſtianorum ordinem, inque Deum
„ reverentiam, ac de illo opinionem (uti par eſt) plurimum
„ admirata, quum ad fratrem reverſa eſſet, nullum unquam
„ finem faciebat prædicandæ illi Chriſtianæ inſtitutionis, &
„ obſecrandi, fideique ac pietatis in eo ſemina jaciendi. Ille
„ jam pauca quædam ab eo quem diximus Cuphara didicerat,
„ primæque inſtitutionis rudimenta audierat. Miſſo itaque
„ Monacho, commutationis jure Sororem recepit. Manſit ta-
„ men id quod erat, infidelitate ſcilicet laborans, ſuæque
„ adhuc cultor ſuperſtitionis. Cæterum plaga quædam divi-
„ nitus illata (famis ſcilicet: ſic enim comparatum, ut qui
„ addictiore indole craſſiorique ingenio ſunt, ac terreni, eru-
„ diantur, malaque dedoceantur:) illius infeſtans regionem,
„ direque affligens, Deum (cujus ſæpius, ut par eſt, Theo-
„ dorus, Sororque laudes proſecuti eſſent, ac cujus erant
„ cultores:) malorum depulſorem invocare cogit. Quo a ma-
„ lis liberante, Bogoris veram amplectitur fidem, ac lava-
„ crum regenerationis ab Epiſcopo, qui ab urbe Regia miſſus
„ fuerat, conſecutus, ex Imperatoris nomine Michaël appel-
„ latur. Sed & aliquid ejuſmodi accidiſſe ajunt. Nempe,
„ quum Bogoris Princeps venatione ſupra modum delectare-
„ tur, hæc in domo quadam, in quam frequens concedebat,
„ voluiſſe depingi, ut noctu perinde interdiuque iis ſpectaculis
„ oculos paſceret. Hoc itaque amore captus, Monachum
„ quemdam ex noſtris Romanum Pictorem, Methodium no-
„ mine, accerſit. Ubi autem virum coram habuit, divino
„ quodam nutu ac providentia: nolo, inquit, depingas homi-
„ num in bello cædes, aut beſtiarum ferarumque jugulatio-
„ nes, ſed quod videntibus ſolo aſpectu terrorem injiciat, ac
„ quod pictis coloribus in ſtuporem agat. Is vero, quem non
„ lateret, nihil perinde terribile eſſe, ac ſecundum Domini
„ Adven-

quo fugam ſimulaverat, per noctis ſilentia deſcendens, in Bulgaros nihil mali ſubverentes irruit, inermibuſque ac ſomno ſolutis congreſſus, per exiſtimatam illam Imperatoris fugam, tantam illorum dedit ſtragem, Romanis ex condicto undique ingruentibus, ut eorum exercitum omnem profligaverit: ſed & incurſione facta, regionem omnem deprædatus, puberes quidem omnes inde abduxit; parvulis autem ad ſaxa & humum alliſis, Romanam mox ditionem repetiit.

„ Adventum, hunc illic graphice omnique artis conatu de-
„ pinxit: atque hinc justos præmia laborum percepturos statuit,
„ illinc scelerum reos male gestorum fructus decerpentes; Ju-
„ dice nimirum ad intentata propellente supplicia, duriusque
„ a se repellente. Hæc Princeps, absoluta tabella, ut oculis
„ conspexit, exque aspectu, Dei in se timorem concepit; Di-
„ vina denique edoctus mysteria, intempesta nocte, Divini
„ Baptismatis munus consequitur. Non latuit ea res, gentis-
„ que totius defectionem ascivit. Ille parva suorum manu,
„ Divinum Crucis signum in sinu suo circumferens, oppido re-
„ belles fundit; nec jam occulte, sed palam omnino reliquos,
„ ipsos quoque rei avidos, Christianos facit. Ad veram ita-
„ que fidem ac pietatem translatus, *γράφει δὴ πρὸς τὴν δέσποι-*
„ *ναν περὶ γῆς*, ad Augustam (*Theodoram scilicet*) scribit,
„ agros impetraturus, angustioribus scilicet, quam pro suo-
„ rum multitudine, ditionis illius terminis existentibus; eoque
„ majori fiducia rogat, quod jam non duo, sed unum existant,
„ insolubili fidei amicitiæque vinculo colligati: subjectum se
„ illi fore pollicetur, pacemque sempiternam nec ulla unquam
„ re convellendam cum ea habiturum. Placuit Theodoræ pe-
„ titio, deditque Bulgaris Regionem, quæ tum deserta erat;
„ quidquid scilicet, *ἀπὸ τῆς Σιδηρᾶς*, a Ferrea soli est (loci
„ nomen est, limes eo tempore Romanorum ac Bulgarorum
„ ditionis:) ad Debeltum usque: (Bulgari Zagoram vocant:)
„ Per hunc itaque modum omnis Bulgaria ad pietatem Chri-
„ stique fidem transivit, Deo ad suam illos cognitionem vo-
„ cante, & quidem ex sic exiguis scintillis plagisque. Sicque
„ agri Romani portionem, velut aliam quamdam rem pro-
„ missam consecuti, Romanis se fœderatos indivulsæ societa-
„ tis vinculo subjecerunt. Hunc in modum se res Occidentis
„ praeclare habebant, celebrique fama ubique divulgabantur,
„ quod ita composita erant. „ Hæc Porphyrogenitus: cui suf-
fragatur Joannes Scylitzes Curopalates pag. 25. Georgius Ce-
drenus pag. 540. & Joannes Zonaras pag. 155. qui iisdem fere
verbis rem gestam narrant. Audiatur Cedrenus: nam Scylitzem
is verbatim exscribit. „ Bogoris porro Bulgarorum Dux mulie-
„ rem cum tenero puero Imperium Romanum tenere audiens,
„ ferocia sumpta, nunciis ad Theodoram missis, minatus est,

„ se rupto fœdere bellum illaturum. Theodora animo nequa-
„ quam muliebri aut abjecto respondit, se bellum defensuram,
„ Deique nutu victoria potituram: quamquam eam, vel si
„ ipsa (quod futurum non sit) succubuerit, suam futuram,
„ non viro, sed muliere a Bogori victa. Hoc responso pertur-
„ batus barbarus, quietem prætulit bello, & antiqua fœdera
„ renovavit. Rursus deinde utrinque missi Legati, Theodora
„ Theodosium (*a*), cui cognomen Cupharas, repetente, vi-
„ rum præclarum ac reipublicæ utilem, qui tum in Bulgaria
„ captivus degebat; Bogori Sororem suam, quæ quadam ex-
„ cursione jampridem capta, in Aula Imperatoris asservabatur.
„ Hæc ibi Christianæ religionis doctrina & literis imbuta, post-
„ quam demum est remissa, numquam cessavit fratri Christia-
„ nam fidem prædicare, & semina pietatis in animo ejus jacere,
„ initiati jam ante etiam a Cuphara. Sed Bogoris facta permu-
„ tatione, redditoque Augustæ Cuphara, & recepta Sorore,
„ tametsi rebus sacris institutus atque initiatus esset, tamen
„ falsam suam religionem non deseruit. Verum postquam fa-
„ mes (*b*) vehemens Bulgariam infestavit, neque ullum mali
„ remedium fuit efficax; ibi tum Bogoris Deum Christiano-
„ rum, cujus religioni a Cuphara & Sorore esset initiatus, in
„ auxilium vocavit, utque idem facerent, toti genti manda-
„ vit: impetratoque (*c*) remedio, veram fidem amplexi, la-
„ vacroque regenerationis potiti sunt: Principi nomen Mi-
„ chaelis de nomine Imperatoris inditum ab Archiepiscopo (*d*),
„ qui eo ad baptizandum eum missus fuit. Aliud quoque eve-
„ nit, quod eum ad pietatem duxit, in eaque confirmavit.
„ Supra modum venationibus delectabatur, quibus cupiens
„ non tantum quum venatum exiret perfrui, sed etiam in otio,
„ novam domum ædificavit, & Monachum Methodium, Ro-
„ manum (*e*) genere, pictoremque arte, historiis eam totam
„ exor-

---

a Leg. *Theodorum*: uti & apud Scylitzem, & apud alios omnes.

b Græc. text. *λιμοῦ δὲ σφοδροῦ*. Male Latinus interpres reddit, *Pestis vehemens*. De fame scriptores omnes loquuntur, non de Peste.

c Lat. Interpret. *liberatique Luc*, in eodem errore perstat. Græc. *καὶ τυχόντες ἀπαλλαγῆς*, *& liberationem consequuti*.

d Lat. Interpr. *a Patriarcha*. Græc. *παρὰ τοῦ πρὸς αὐτὸν ἀποσταλέντος Ἀρχιερέως*. *ab Episcopo, qui ad eum missus fuerat*.

e Græc. *Ῥωμαῖον τὸ γένος*, *Roma Oriundum*; male. Romani seu Romæi appellabantur quotquot Romano suberant Imperio, idest Constantinopolitano.

„ exornare jussit: divinoque instinctu factum est, ut non diceret nominatim, quæ animalia depingi vellet, sed pingere suo arbitratu, modo terribilis esset pictura, juberet, ut (a) spectantibus terrorem & metum incuterent. Monachus secundum Christi adventum depinxit, quod nihil eo terribilius sciret. Princeps ab hac parte videns Justorum cœtum expressum, ab altera Impiorum supplicia perpetientium, edoctusque a Pictore, quid sibi ista vellent; illico suam ejuravit superstitionem: institutusque, ut diximus, a Sancto Episcopo divinis arcanis, intempesta nocte baptizatus est. Contra eum proceres Bulgarorum ac populus insurrexerunt, & interficere conati sunt: quos ille parva manu, Crucis signo prælato, fudit: reque inopinata territos, ad fidem Christi perduxit. Tota gente Bulgarica Christianam religionem amplexa, per literas Augustam orat, ut suis locorum angustia pressis, aliquid terræ largiatur, populos se uniturum pacemque æternam facturum promittens. Quam petitionem hilariter admodum (b) Theodora accepit, deditque Bulgaris quidquid soli a Ferrea (loci nomen est, limes eo tempore ditionum Romanæ ac Bulgaricæ) usque ad Debeltum est, quod tum erat desertum. Eam terram Bulgari Zagoram denominaverunt. Hoc modo universa Bulgaria pietati se dedit, & in Occidente tranquillissima pax fuit, veraque religio viguit. *Hoc ipsum Zonaras*: Bulgarorum Princeps quum Romanorum Imperium a muliere & tenello puero gubernari cognovisset, suorum quosdam misit, se rupto fœdere arma illaturum Romanis minitans. Ei rescribit Imperatrix, se omnino ei resistere velle: quod si, Deo annuente, superior fuerit, eum a muliere fore victum: quod quam ignominiosum ei futurum sit, cogitandum esse: sin victa fuerit, successum illum parum fore honestum, muliere superata. Hæc nunciata, impetum barbari ita represserunt, ut utilius sibi judicarit renovare fœdus: idemque factum est. Soror porro Bulgariæ Principis aliquando capta, dum in aula degit, sacro baptismate est initiata, & literis „ eru-

a Hæc omittit Lat. Interpr. Græc. καὶ πρὸς ἔκπληξιν καὶ δέος τῶν θεωμένων.

b Supra, πρὸς τὴν δέσποιναν; *ad Dominam*: hic autem ἡ δὲ Βασιλίς, *Imperatrix*.

„ erudita. Eam frater repetitam recepit, ejus loco reddito „ viro erudito Theodoro Cuphara. Quæ quum in Bulgariam „ rediisset, fratrem ad Christianam religionem perducere studuit, assidue de ea cum illo disserens, & Christianorum „ mysteria ut Divina celebrans. Quamvis autem ille eadem e „ Cuphara quoque audivisset, non prius tamen a patriis moribus recedere voluit, quam (*a*) fames, & ipsum & gentem „ ad pietatem perduxit. Quæ quum populum universum premeret, neque ullum esset mali effugium, plurimis pereuntibus, princeps ea de causa æger & animi dubius, ad eum „ confugit, qui sibi a Sorore annunciabatur, eumdemque depulsorem famis & interitus populi invocat. Quæ invocatio „ quum depulsis malis efficax esset, cognita invocati numinis „ potentia, petiit mitti sibi aliquem, a quo arcanis Christianæ „ religionis erudiretur, & sacro baptismate initiaretur. Id „ quod misso (*b*) Pontifice factum est. Quum autem eum Bulgari, ob deserta majorum instituta, per seditionem e medio „ tollere conarentur, ille præcedente Crucis signo fretus, victis adversariis effecit, ut omnes Christianismum amplecterentur. Deinde per legatos ab Imperatrice petiit, ut quia „ gens sua locorum angustiis premeretur, Romani agri aliquid „ sibi concederetur, perpetuam pacem & belli societatem „ pactus. Annuit Imperatrix, & quidquid inter regionem, „ quæ Ferrea dicitur, ac prius Romanos & Bulgaricos fines distinguebat, ac Debeltum interjicet, eis concessit. Eam regionem Bulgari quum accepissent, Zagoram appellarunt. „ Hinc pax in Occidente constituta est.

Ex his colligunt Baronius, Henschenius, aliique recentiores, Bulgarorum conversionem contigisse anno Chr. 845. quo quartus currebat annus Michaelis cum Theodora matre imperantis: ad eum quippe annum Prophyrogenitus, Scylitzes, Cedrenus, ac Zonaras respicere videntur, dum Bulgaris ad Christiana sacra adductis, scribunt, Michaelem eorum Regem jam baptismo initiatum, ab eadem Theodora petiisse, & impetrasse eam Romanæ ditionis partem, quæ a Ferrea ad Debeltum

a Græc. λιμὸς δὲ τοῖς Βουλγάροις συμβὰς. Lat. Interpr. reddit, *Pestilentia, & fames*. Atqui λιμὸς, *fames*. λοιμὸς, *Pestilentia*: duæ voces prorsus diversæ.

b καὶ ἀποςάλη μὲν Ἀρχιερέως.

tum porrigitur: mox subjungunt Theoctisti, tutoris Michaelis, cædem, ac Theodoræ ipsius ex Aula ejectionem, quæ nonnisi anno 857. acciderunt.

X. Quid de ejusdem Bulgarorum Regis conversione alii Græci scriptores tradant? Leo nempe Grammaticus, Simeon Logotheta, Georgius Monachus, & Nicetas in Vita S. Ignatii?

Verum Leo Grammaticus, Simeon Logotheta, & Georgius Monachus ab his dissentiunt, affirmantes, Bogorem una cum Bulgaris non ante annum 861. qui erat quartus Michaelis solius imperantis, Christo nomen dedisse. Et Leo quidem Grammaticus, qui Chronographiam suam a Leonis Armeni imperio, idest ab anno Christi 814. usque ad diem 8. Julii, anni mundi 6521. Ind. xi. hoc est Chr. 1013. perduxit, edit. Paris. pag. 460. præmittit bellum a Bulgaris in Romanos sub Theodora motum, sic scribens: „ Mortuus est autem Sanctus „ Patriarcha Methodius, & Ignatius Michaelis Curopalatæ filius „ in ejus locum suffectus (*a*) (*anno videl.* 846.) Bulgari au„ tem factis per Thraciam & Macedoniam excursionibus, pro„ vincias illas devastabant. Theodora in adversum præsidia „ disposuit. Milites porro ad Bulgariæ castra positi, Bulgaros „ per globos & cohortes aggressi, per eorum regionem depræ„ dabantur, & his occisis, aliis in captivitatem abductis, Bul„ garos & eorum regionem reddidere subjectam „ Hæc sane ad id referuntur, quod supra ex Porphyrogenito, aliisque narratum est, de Bogori missis ad Theodoram nunciis minante, rupto fœdere adversus eam se copias educturum: deque Theodora respondente, se quoque vicissim adversus eum copias educturam, & sive ab eo vinceretur, sive eum vinceret, semper tamen victoria se potituram, quum fœmina adversus virum decertaret: Etsi enim Porphyrogenitus scribit, eo responso placatum, amicitiæ fœdera cum Theodora renovasse; at excursiones utrinque tam Bulgarorum in Romanam ditionem, quam Romanorum in Bulgariæ regionem, præcesserint, oportet, idque factum *post S. Ignatii Patriarchæ inaugurationem*, idest post annum Christi 846. ex Leone Grammatico patet. Idem Grammaticus pag. 462. postquam ejectam ex Aula (*b*) Theodo-

a Pagius ad ann. 847. num. 17. & seq. ostendit, S. Methodium obiisse die 14. Junii ann. 846. Ignatium autem ordinatum fuisse die 4. Julii ejusdem anni 846. nimirum Michaelis anno 5.

b Theodoram non ante mensem Septembrem anni 857. ex Aula ejectam & in cœnobio unacum filiabus inclusam, ostendit Pagius ad ann. 855. num. 15. & seq.

doram, & Bardam (a) Cæſaris dignitate a Michaele Imperatore ornatum retuliſſet; pergit de Michaele Imp. una cum Barda Cæſare adverſus Saracenos bellum movente, deque Bulgaris ad obſequium & amicitiam Romanorum adductis. „ Michael
„ Antigonum Bardæ filium creat Scholarum Domeſticum:
„ Alteri vero filio locata conjuge, in quam convicia nonnunquam mittebat, ſupremi Ducis in Occidentalia Themata dignitatem confert: qui etiam ibi vitam finiit. Modico poſt,
„ feria Paſchatis quarta Michael Bardam avunculum promovet
„ Cæſarem: qui curru per mediam Urbem vectus, munera
„ ſparſit in populum. Egreſſus autem Saracenorum Ameras,
„ Sinopem uſque deſcendit, Romanam omnem regionem vaſtans. Michael vero una cum Barda Cæſare adverſus Michaelem alterum Bulgariæ Principem inſtructum exercitum terra marique movet, quod Bulgarorum gentem fame deficere didiciſſet. Bulgari quaſi tonitrui ſonitu percuſſi, ſoluti
„ ſunt animis, & ante certamen conflictumque omnem, de
„ victoria deſperantes, Chriſtianos ſe futuros, & Imperatori
„ Romaniſque obſequentes promiſerunt. Imperator Principem eorum aqua tinctum ſacra ſuſcipiens, proprium ei nomen indidit, & Proceres ejus omnes in Urbem inductos,
„ Baptiſmate luſtrari curavit. Exinde pace profunda compoſita, Ameras in Romaniam movit, eidemque Orientalis militiæ Magiſter Petronas, & Nazarus Buccellariorum dux,
„ ſtructis per viam inſidiis, ad Lalaconem redeunti occurrunt,
„ conſertiſque manibus, Ameram in fugam vertunt, & ſalutem
„ pedibus quærere cogunt: Comitum nonnullus fugientem
„ inſequitur, & caput ejus amputatum tollens, ad Petronam
„ militiæ Magiſtrum detulit. Regreſſi igitur duces cum victoriæ titulis, de ipſis in Circo triumpharunt, & ex tunc magna
„ tranquillitas facta eſt per Orientem, propter Ameræ interitum. „ Hæc omnia quæ a Leone Grammatico de Theodora ax aula ejecta, deque Cæſarea dignitate Bardæ collata, Bulgarico bello, Regiſque Michaelis converſioni præmittuntur, quæ-

a Bardas, impius Sanctæ Theodoræ Imperatricis frater, a Michaele Auguſto dictus Cæſar anno Michaelis ſolius tertio, uti vult Symeon Logotheta; Chriſti ſcilicet 860. ſecundum Pagium; ſeu 862. uti Manſius ex Goncſio colligit in Adnot. ad ann. 859.

quæque de Amera Saracenorum post Bulgaros ad Christi fidem adductos narrantur; hæc, inquam, apud Porphyrogenitum alio prorsus ordine collocata exhibentur: nam Theodora quidem imperante cum filio, Bulgari juxta Porphyrogenitum dicuntur ad fidem conversi: ea autem ex Aula ejecta, a num. 23. ad 31. subjunguntur apud eund. Porphyrogenitum, primo quidem Michaelis adversus Agarenos ad Samosatam expeditio malusque ejus exitus; deinde alter non minus infelix ejusdem Michaelis ad locum *Chonarium* dictum, cum Amera Saracenorum conflictus: mox victoria de Amera a Petrona reportata ad Lalacaontem fluvium, Bulgaris (*a*) Romanarum copiarum sociis: tum vero adepta a Barda dignitas Cæsarea, quum Michael nulla alia Reip. cura teneretur, quam ut theatris, ludisque circensibus vacaret: demum Ignatii Patriarchæ post Methodii obitum inauguratio, ejusdemque e Patriarchali throno, opera Bardæ, dejectio.

At vero Simeon Magister & Logotheta in Annalibus, Leoni Grammatico, non Porphyrogenito consentit. Nam num. 12. Ignatii Patriarchæ inaugurationem præmittens, prælium cum Bulgaris commissum statim subjungit, inquiens: „ Anno ejus „ (Michaelis) undecimo (*b*) Sancto Patriarchæ Methodio „ defuncto, ejus loco ordinatur Ignatius, Michaelis Curopa- „ latæ quondam Imperatoris filius. Bulgaris autem Thraciam „ ac Macedoniam infestantibus, expeditis Theodora cohorti- „ bus, eorum inhibuit impetum ac repressit. „ Hoc postremum, quod de Bulgaris scribit, idem Logotheta clarius exponit num. 21: „ Adhuc Theodora rerum potiente (*nimirum* „ *ante*

a Porphyrogeniti verba num. 25. pag. 114. hæc sunt. *Statim ergo* (Petronas) *Armeniacorum & Bucellariorum, Coloniaque ac Paphlagoniæ Duces mittit, qui ad Aquilonem positum latus teneant: Duces autem Orientalium, Obsiciique, & Cappadociæ, cum Seleuciæ & Charsiani clusurarum Præfectis, qui latus Meridianum: ipse denique cum Prætorianis quatuor cohortibus, Thraciæque ac Macedoniæ Ducibus (nam & lex erat, ut Bulgaricis rebus pace compositis, ipsi quoque Orientalibus bello socii accederent, unaque pericula adirent) Occidentale occupat latus, secum etiam in armis Thracensium cohortem habens.*

b Error in anno. Michael imperium iniit mense Januario anni 842. Ignatius autem inauguratus est mense Julio anni 846. adeoque anno Michaelis v. non xi. Item emendandus alter Simeonis error in anno xiii. Michaelis, quo ait Theodoram ex aula ejectam, & Theoctistum occisum. Nam annus Michaelis xiii. incidit in ann. Chr. 853. At cædes Theoctisti & ejectio Theodoræ contigit anno 857. uti ex Pagio constat ad annum 855. num. 15. & seq. dicitur enim Michael cum matre imperasse ann. 15. menses 8. inauguratus autem fuerat die 20. Jan. ann. 842.

„ *ante ann.* 857. *quo in cœnobio inclusa est*) Bogoris Bulgaro„ rum dux, mulierem audiens Imperii Romani clavum tene„ re. „ Cætera ut supra, & num. 22. „ Inquirente Theo„ dora de Monacho Theodoro Cuphara, diu ante in captivi„ tatem abducto, Bogoris quoque arrepta occasione de sorore „ sua perinde captiva, inque Imperatoris Aula detenta, si„ gnificat. Didicerat hæc literas ac Christianorum ordinem, „ ergaque Deum venerationem ac fidem. Nacta igitur ut ad fra„ trem reverteretur, nullum ei laudandæ rei Christianæ finem „ faciebat, ac fratrem hortandi, ut ad veram fidem animum „ transferret. Quamquam is qua laborabat incredulitate, ad „ veritatem hactenus oculos aperire noluit. Verum fame „ regionem omnem late devastante, necesse habuit transgredi „ Romanorum fines „ Quod supra Porphyrogenitus ait, fame ingruente, Bogorim invocato Deo malorum depulsore, veram amplexum fidem, Baptismum quoque suscepisse, id Logotheta ad annum quartum Michaelis solius imperantis refert, his verbis num. 24. & seq. „ Hoc anno (*tertio scil. Mi„ chaelis, seu Chr.* 860.) exivit Ameras usque Sinopem, „ omnique late vastata regione, nullo accepto damno rever„ sus est ejus Imperii anno quarto (*Chr.* 861.) Michael Im„ perator cum Cæsare *Barda* terra marique adversus Gobo„ rem (*Bogorem*) Bulgarorum Principem copias educit. Bul„ gari apparatu audito, ac quum alias fame conficerentur, qua„ si tacti e cœlo obrigescentes, omnique abjecta victoriæ spe, „ ante etiam agones ac prælia, nomen Christo dare depo„ scunt, ac Romano subesse Imperatori. Michael vero in „ Urbem inductos, salutari omnes lavacro donavit, eorum„ que Principem ex suo nomine Michaelem appellavit. Ille „ ad suos reversus, Methodii pictoris manu ac penicillo, Ju„ dicium, futuramque retributionem in suis ædibus depin„ gi (*a*) curavit. Quamobrem etiam omnes ejus populares „ magis in eum accensi, tumultuantur; in quos ille cum „ paucis conferta manu, victor, divinæque Crucis collare si„ gnum (seu pectorale) circumferens, omnes palam Chri„ stia-

a Non ipse Bogoris depingi a Methodio Judicium jussit, sed Methodius id fecit, Bogori res terribiles quascumque depingi mandante, de judicio ne cogitante quidem.

„ ſtianos fecit. Imperatori (*a*) quoque de agro ſignificat: „ nempe arctari ſuis finibus ſubjectam tantæ multitudinis ple„ bem; præter quam quod animis conſtitutum ſit, ejuſdem „ fidei ſenſum in perpetuum tenere, ac charitatis inſoluta „ vincula in æternum ſervare. Annuit placide Imperator, ac „ tunc temporis incultam regionem a Sidera (ideſt Ferrea) „ quæ tunc Romanæ, ac Bulgarorum ditionis limes erat, „ ad (*b*) Debellum uſque (vernacula lingua Zagoram illis „ nuncupatam) agrorum partem eis tribuit. „ Tum de Ameræ interitu num. 26. „ Michaelis Imperii anno quinto „ (Chr. 862.) Amere copias rurſus adverſus Romanos edu„ cente, Petronas & Nazar duces in ejus occurſum ad Lala„ caonem venere: collatis ſignis, Amer in fugam verſus eſt. „ Ejus exſectum caput, aliorumque plurium, victore exer„ citu, ac ducum triumpho in Urbem illatum. Hinc magna „ per Orientem facta tranquillitas.

Simeonem quoque Georgius Monachus ſequitur, tametſi nullam Theodoræ & Bulgarorum mentionem uſque ad annum quartum ſolius Michaelis facit: ſic enim ſcribit numer. 15. & ſeqq. „ Michael (*c*) Antigonum Bardæ filium, Scholarum „ Domeſticum præfecit. Alteri filiorum Bardas jungit conju„ gem, qua cum malæ rei ſuſpicio habebatur. Michael Do„ minica poſt Paſcha, Bardam avunculum ſuum creat Cæſa„ rem: qui curru vectus, Conſularia per mediam urbem „ ſparſit munera. Egreſſus porro Amer, Sinopem uſque „ deſcendit, vaſtans omnia ac diripiens, quæ Romanæ eſſent „ ditionis: reverſuſque eſt, quum eum Romanus exercitus „ minime aſſecutus eſſet. Suſcepta autem Michael cum Bar„ da Cæſare expeditione, motionem facit terra marique ad-

a Non igitur Theodoræ, uti habet Leo Grammaticus. Nam ſolus Michael tunc temporis imperabat, Theodora in cœnobio incluſa.

b Leg. Debeltum.

c Simeon num. 23. Ejus Imperii anno tertio, Michael Imp. Antigonum Bardæ fil. Scholarum Domeſticum præficit: alterumque ejus filium, locata ei uxore, qua illi turpis rei ſuſpicio erat, ſupremum Ducem Occidentalium turmarum conſtituit. Quo illic brevi extincto, hebdomadæ Paſchæ quarta feria, Michael Bardam avunculum, Cæſaris inſulis ornavit. Num. 24. Hoc anno exivit Amer uſque Sinopem: omnique late vaſtata regione, nullo accepto damno, reverſus eſt. Num. 25. ejus Imperii anno quarto, Michael Imp. cum Cæſare terra marique adverſus Bogorem Bulgarorum Principem. Et cetera, ut ſupra. Num 26. Michaelis Imperii anno quinto, Amere copias rurſus adverſus Romanos educente, Petronas & Nazar Duces. Reliqua.

„ versus Michaelem Bulgariæ principem, quum Bulgarorum „ gentem fame tabescere comperisset. Bulgari, re audita, „ haud secus ac tonitru perciti, subfugerunt; ac ante certamina pugnamque, omnem de victoria spem abjecerunt: „ Christianique fieri, Imperatorique subjici ac Romanis petierunt. Michael eorum principem baptizans, ejusque e „ sacro fonte susceptor, suo ex nomine Michaelem vocavit; „ ejus vero proceres in Urbem inductos, perinde baptizavit. „ Quo ex tempore alta pax fuit. Per id tempus quum Amer „ adversus Romanam ditionem egressus esset, Petronas Asiaticorum militiæ Magister & Nasar Buccellariorum, illius in „ regressu obsidentes iter, in Lalacaone castra junxerunt; „ commissaque pugna, Ameram in fugam vertunt. Cætera.

Nicetas denique in vita S. Ignatii Patriarchæ, dum post iniquam ejusdem e throno Patriarchali dejectionem, Bulgaros fidem Christi accepisse refert, proculdubio testatur, id contigisse, non quidem Theodora cum filio imperante, uti Porphyrogenitus aliique post ipsum tradunt, sed solo Michaele regnante, quum Theodora jam fuisset in cœnobium detrusa, hoc est, post annum 857. Verba Nicetæ (*a*) accipe: „ Augustus instabat (*b*) mensis, & tremoribus horrificis „ Constantinopolis quatiebatur: ædes nutabant omnes, omniaque mortalium pectora metu palpitabant. Nemo non mortis horrore occupatus, clamitabat, unicam plane hujus prodigii, seu motus causam esse injuriam & sacrilegium in Patriarcham Ignatium commissum. Urbe autem totos quadraginta dies continuo tremente, usque adeo ferocia & immanitas illorum mitigata est, ut ipsi Principes publice jurejurando contestarentur, neque fugam sacro illi exuli, nec „ hospiti exulis, apud quem delituisset, fraudi futuram; „ sed absolutum crimine, innocentemque pronunciatum, sine cujusquam molestia in suo cœnobio secure permansurum. „ Quod quum Christi athleta accepisset, Petronæ se Patricio „ materno Imperatoris avunculo aperit; qui pretiosum ge-

„ sta-

a Vita Ignatii Tom. 8. Concil. Labb. pag. 1211.

b Quum injusta S. Ignatii depositio die 23. Nov. anni 857. contigerit, triennio cum septem mensibus elapso, terræ motus Constantinopolim concussit: post Pascha nempe anni 861. quo Pseudosynodus Photiana adversus S. Ignatium habita fuit. Vide Baron. ad ann. 861. num. 23.

„ ſtamen, quod ad ſinum Imperatoris pendebat, pro pigno„ re allatum tradit Patriarchæ, quo ille de collo ſuſpenſo, „ ad Bardam accedit: qui ad Patriarcham: Quid, inquit, fu„ gitivi more ex loco in locum profugus oberras? Cui Igna„ tius: Chriſtus, inquit, Rex noſter ac Salvator præcepit: „ Si perſequentur vos in una civitate, fugite in aliam. Vi„ ctus innocentia & virtute viri Bardas, innoxium liberum„ que in Monaſterium remitti ſuum jubet. Statimque move„ ri terra deſiit: & Bulgari providentia Dei, fame urgente, „ muneribuſque ab Imperatore deliniti, armis poſitis, cæle„ ſtis baptiſmatis unda ſunt luſtrati. Legati quoque Pontifi„ cii (*a*) a Photio donis corrupti, Romam redierunt. Quos „ Nicolaus Pontifex (*b*) de Patriarcha Ignatio interrogatos, „ & ſevere inquiſitos, quum ſuis illos verbis captos convicſ„ ſet, illos Sicariæ potius factionis, quam legitimæ Synodi „ præſides egiſſe, perpetua exauctoratione damnatos, ana„ themate percuſſit. Nec Legatos tantum, ſed ipſum quoque „ Photium tyrannum & adulterum pronunciat, & legitimæ Sy„ nodi ſententia totius Eccleſiæ ſuæ, anathemate ferit depo„ nitque. „ Nimirum, ex mente Nicetæ, Bulgarorum converſio eodem anno 861. quo terræmotus ille contigit, & quo Legati Pontificii in pſeudoſynodo Conſtantinopolitana cum Photio communicantes, intruſionem ejus ratam habuere.

XI. Refertur Pagii Sententia, qui aſſerit, Bulgaros anno 861. Chriſtianam fidem accepiſſe.

Hinc Pagius, ejuſdem Nicetæ (*c*) teſtimonio uſus, Bulgaros aſſerit anno 861. Chriſtianam religionem ſuſcepiſſe: idque confirmat auctoritate Simeonis Logothetæ, qui id factum refert anno Imperii Michaelis ſolius regnantis quarto, Kalendis Septembris anni Chriſti 860. inchoato: cujus verba ſupra ſunt recitata. Mox addit: *Leo Grammaticus pag. 462. poſtquam narravit Bardam feria quarta Paſchatis Cæſarem renunciatum fuiſſe; de Bulgarorum converſione eadem fere quæ Simeon*

 Logo-

a Anno 861. Synodus Conſtantinopolitana in Templo Apoſtolorum habita præſente Imp. Michaele, Barda Cæſare, & Legatis Sedis Apoſtolicæ Rodoaldo & Zacharia, in qua confirmata Photii inauguratio & S. Ignatii exauctoratio.

b Anno 862. Nicolaus Papa in Synodo Romana, declaravit, ſe nunquam pro dejectione Ignatii aut conſecratione Photii miſiſſe aut miſſurum eſſe. Zachariam, prævaricationem confeſſum, depoſuit: cauſa Rodoaldi, qui abſens erat, alteri Synodo reſervata.

c Ad ann. 861. num. 10. & ſeq.

Logotheta refert. Quamobrem certum videtur, Bardam anno superiori (Chr.860.) *dictum esse Cæsarem, & præsenti* (861.) *Bulgaros ad fidem Christianam adductos; quod utrumque hactenus ignoratum fuerat. Denique Photius in Epistola ad Michaelem Bulgariæ principem* de officio Principis, *quæ ordine prima est, Michaelem modo* dilectum filium *appellat, modo* partus sui spiritualis verum & genuinum genema; *ideoque non* Methodio *Ecclesiam Constantinopolitanam regente, sed Photio in illam intruso, Bulgari sacro baptismate tincti, & quidem ab eodem Photio, ut rursus anno 866. dicetur. Huc revocanda quæ anno 845. num. 2. & seqq. de eadem conversione in medium adduximus.* Ubi nempe ad ea, quæ Baronius ad ann. 845. num. 5. & seqq. ex Porphyrogenito adduxit, ut ostenderet, *fuisse illa Bulgarorum ad fidem Christi venientium veluti præludia quædam, quum non omnis gens illa, sed ex ipsa aliquot* (anno 845.) *Christiana sunt imbuti religione: integram vero messem reservatam fuisse Nicolao Romano Pontifici, qui ab Urbe ad Bulgaros ad fidem convertendos, a Latere Legatos misit, eosdemque ad Gentilium conversionem Apostolos:* ad ea, inquam, a Baronio adducta, ipse Pagius num. 3. sic respondet: *Verum Porphyrogenneta conversionem Bulgarorum, Theodoræ Augustæ magno errore attribuit, & errandi causam dedit, non solum Curopalatæ, Cedreno, & Zonaræ; sed etiam Baronio, Henschenio in elogio Theodoræ Augustæ ad diem* (a) IX. *Januarii, quo a Græcis colitur,* §. IX. *aliisque omnibus Historicis recentioribus. Non enim Methodii Patriarchæ Constantinopolitani, sed Photii pseudopatriarchæ tempore, quæ Porphyrogenneta citatus, & ex eo alii narrant, contigere, idque anno 861. ut ibidem demonstrabimus. Fons erroris annus quartus Michaelis Imperatoris. Quum enim Prophyrogenneta accepisset, anno quarto Imperii Michaelis Bulgaros Christianos effectos fuisse, autumavit, annum illum quartum fuisse Michaelis cum Theodora matre imperantis; quum tamen Bulgarorum conversio anno quarto Michaelis solius regnantis, & jam matre ex Aula ejecta, peracta sit. Theodora itaque cum Michaele filio imperans inquisivit de Theodoro Cuphara, & Bogoris Bulgarorum* Rex

a Imo, *ad diem* IX. *Februarii.*

Rex arrepta occasione Sororem suam perinde captivam postulavit. Hæc ad fratrem reversa, nullum ei laudandæ rei Christianæ finem faciebat; sed is ad veritatem hactenus oculos aperire noluit, inquit Simeon Logotheta in Michaele Theodoræ filio num. 22. & hoc tantum circa Bulgarorum conversionem, Theodora imperante factum, & a Porphyrogenneta suo tempori redditum. Hoc ipsum repetit idem Pagius ad annum 866. num. 1. & seqq. ubi relata Porphyrogeniti de Methodio Monacho secundum Domini Adventum graphice depingente narratione, *& quomodo Princeps Bogoris ex tabellæ aspectu, Dei timorem in se concipiens, divina edoctus Christianorum mysteria, intempesta nocte Divini Baptismatis munus consequutus est*, subjungit: *Ita Porphyrogenneta, ex quo alii postea accepere: Simeon tamen Logotheta num. 25. postquam asseruit, Principem Bulgarorum & alios Proceres Constantinopoli salutari lavacro donatos fuisse, subdit*: Ille ad suos reversus, Methodii pictoris manu ac penicillo Judicium futuramque retributionem in suis ædibus depingi curavit. Quamobrem etiam omnes ejus populares magis in eum accensi, tumultuantur, *uti mox ex Porphyrogenneta referemus, & hæc Logothetæ narratio verosimilior est. Sed hujus Regis ad fidem nostram conversio contigit anno quarto Michaelis solius regnantis, Christi scil.* 861. *non vero, ut Porphyrogenneta habet, Michaele cum Theodora matre imperante; & postquam Constantinus Philosophus sive Cyrillus, ejus* (Methodii scil.) *frater, Chazaris ad fidem Christianam adductis Constantinopolim reversus est. In priori enim vita utriusque Sancti ab Henschenio ad diem* IX. *Martii recitata, postquam Auctor Anonymuus Chazarorum conversionem narravit, num.* VII. *scribit*: Philosopho autem reverso Constantinopolim, audiens Rastilaus Princeps Moraviæ, quod factum fuerat a Philosopho in provincia Chazarorum, ipse quoque genti suæ consulens, ad prædictum Imperatorem nuncios misit, nuncians quod populus suus ab idolorum quidem cultura recesserat, & christianam legem observare desiderabat; verum doctorem talem non habent, qui ad legendum eos & ad perfectam legem ipsum educeat: rogare se, ut talem hominem ad partes illas dirigat, qui pleniter fidem & ordinem divinæ legis & viam veritatis populo illi ostendere

dere valeat. Cujus precibus annuens Imperator, eundem supernominatum Philosophum ad se venire rogavit; eumque illuc in terram Sclavorum simul cum Methodio germano suo, transmisit, copiosis valde illis de Palatio suo datis expendiis. *Idem habet Auctor Anonymus posterioris vitæ eorundem SS. Cyrilli & Methodii, qui priori Narrationi hæc addit*: Egressus itaque primo venit ad Bulgaros, quos divina gratia cooperante, sua prædicatione convertit ad fidem. Abinde autem procedens, venit in terram Moraviæ. *Qua in regione quum* annos quatuor & dimidium *secundum utrumque Anonymum manserint, &, ut infra videbimus, anno* 867. *Romam venerint, mortuo paulo ante Nicolao Papa; apparet, eos circa annum* 863. *Bulgariam reliquisse, & in Moraviam perrexisse, perperamque existimasse Henschenium loco laudato, Cyrillum & Methodium circa annum* 856. *Moravicam expeditionem suscepisse: sic enim non annos* quatuor & dimidium, *sed annos decem & amplius in Moravia fidem Christianam prædicassent, contra disertum utriusque Anonymi testimonium*. Postremo quum num. 3. de Bulgaris adversus Regem Christianum factum rebellantibus verba Porphyrogeniti, & Nicolai Papæ retulisset, sic prosequitur: „ Annalista Bertinianus de Bulgarorum baptismate, & de „ eorum rebellione adversus Regem verba facit, & utrumque „ hoc anno (866.) accidisse supponit: qui error processit ex „ eo quod accepisset, Bulgarorum Regem Romam currenti „ anno (866.) Legatos suos Romam misisse. At illi ab eo„ dem Rege Romam directi quinquennio post suam conversio„ nem; ut peterent a Pontifice Romano, *quid se facere salu„ brius oporteret, & quid erga reliquum Bulgaricum adhuc „ Baptismo carentem populum, ut fidei sacramenta perciperet, „ agi deberet*, uti narrat Baronius ex Anastasio tum Romæ „ versante. Addit Anastasius, legatos destinatos fuisse *mense „ Augusto Indictione* XIV., eos Pontificem apud se honorifice „ retinuisse; interimque Sedis Apostolicæ Missos Paulum Po„ puloniensem & Formosum Portuensem magnæ sanctitatis „ Episcopos declarasse, hosque monitis mellifluis atque do„ ctrinis instruentem, *ad prædicandum ad gentem illam ire* „ decrevisse. Quos illuc perrexisse, & *Chrismate inunctos per „ Sacerdotes, denuo Chrismate inunxisse*, queritur Photius in

„ Epist. 2.

„ Epist. 2. ad Patriarchas Orientis; *nondum gens illa per Bien-*
„ *nium rectam Christianorum religionem amplexabatur, quum*
„ *impii quidam homines*, quos subdit sese Episcopos prædicasse. Verum quum Bulgarorum Rex anno 861. baptizatus fuerit, & hoc anno exeunte (866.) Episcopi in Bulgariam profecti sint, textus Græcus corruptus, legendumque per *Quinquennium*. Antiqui enim non numeris seu chifris, ut nunc loquimur, sed integris vocibus utebantur. Apud Latinos vero II. facile & prono errore mutatur in V, & vice-versa. Sic apud Græcos B, idest, II., in E, seu V, & E in B, idest V, in II. sæpe mutatur. Quæ emendatio certissima.

Hucusque Pagius, Porphyrogenito quidem, Curopalatæ, Cedreno ac Zonaræ, Bulgaros anno quarto Michaelis cum matre Theodora imperantis ad Christi fidem conversos narrantibus fidem detrahens, Simeoni vero Logothetæ adhærens, id factum ad annum quartum solius Michaelis regnantis referenti.

XII. Ostenditur, Bulgarorum Regem ad Christi fidem conversum fuisse aut anno 865. exeunte, aut ineunte 866.

At vero cl. Mansius (a) in not. ad ann. 866. *Bulgariæ Regem Sacro Baptismate fonte ablutum fuisse non quidem anno 861. sed post annum 864., inde apertissime colligere se* affirmat, *quod in capitulis Nicolai I. hæc legantur*: Quod dicis, quod Christianissimus Rex sperat, quod ipse Rex Wulgarorum ad fidem velit converti, & jam multi ex ipsis Christiani facti sunt &c. *Capita hæc anno 864. scripta fuisse in nota ad ann. 858. probavimus. Mire autem hæc congruunt cum Epocha conversionis hujus, quam Photius apud Pagium hic num. III. constituit: ait enim:* nondum gens illa per Biennium rectam Christianam religionem amplexabatur, quum impii quidam homines &c. *Quibus postremis verbis indicat adventum in Bulgariam Pauli Populoniensis & Formosi Portuensis, quos eo perrexisse an. 866. Anastasius apud Pagium hic asserit*. Atqui Pontificios istos legatos post mensem Augustum anni 866. ex Urbe profectos, in Bulgariam nonnisi anno 868. id peregisse, de quo Photius impie conqueritur, manifestum facit Anastasius Bibliothecarius in Vita Nicolai I. dum sic ait: „ Interea meritis beatissimi hujus „ in Urbe prorsus exuberantibus, operante potentia summi „ Dei,

a Tom. 15. Annal. Baron. edit. Lucen. 1744. pag. 53.

„ Dei, qui quotidie per famulos ſuos ſigna & miracula magna „ facit, Rex Bulgarorum Michael Chriſtianitatis & fidei ſan- „ ctæ doctrinam agnoſcens, meruit baptizari: & qui prius „ creaturæ ſerviens, ſæviebat crudelitate, hujus temporibus „ Creatori colla ſubmittens, ampla cœpit religione fulgere, „ & magna uſus eſt pietate. Tunc ad Catholicum & verum „ Præſulem orthodoxum Legatos ſuos menſe Auguſto, Indi- „ ctione XIV. (*adeoque anno Chr. 866.*) deſtinavit, donaque „ non parva tam e ſuis locis, quam aliunde ſummo Pontifici „ contulit, ſuggerens ejus Apoſtolatui, quid ſe facere ſalu- „ brius oporteret, & quid erga reliquum Bulgaricum adhuc „ Baptiſmo ſacro carentem populum, ut fidei ſacramenta per- „ ciperet, agi debet. Quod beatiſſimus audiens Papa, ma- „ gna repletus lætitia, laudes Chriſto reddidit amplas, & „ cum omni ſibi divinitus commiſſa Eccleſia gratulans, infini- „ ta præconia Domino noſtro, qui noviſſimis his temporibus „ tantum fecit miraculum, devota mente, ſupplici voce per- „ ſolvit. Porro Legatis iiſdem jam nomine Michaelis Bulga- „ rici Regis a Sancto Papa receptis, honorifice apud ſe eos re- „ tinuit; & interim Sedis Apoſtolicæ miſſos, Paulum ſcil. Po- „ pulonienſem & Formoſum Portuenſem magnæ ſanctitatis „ Epiſcopos ſtatuens, hoſque monitis mellifluis atque doctri- „ nis inſtruens, ad prædicandum ad gentem illam ire decre- „ vit. „ Hoc ipſum confirmat Nicolaus Papa in Epiſtola LXX. *ad Hincmarum Rhemenſem & ceteros Epiſcopos in Regno Caroli conſtitutos*, data x. *Kal. Novembris*, ideſt die 23. Octobris, *Indictione prima*, hoc eſt, anno Chr. 867. in qua tam Legationis Bulgarorum ad Sedem Apoſtolicam (anno ut dixi 866.) miſſæ meminit, quam miſſorum a ſe Legatorum, & reſponſi ab ipſo Michaele Bulgariæ Rege accepti, poſtquam illuc Legati Apoſtolici perveniſſent. „ Hi enim (*inquit*: *Græcorum* „ (*a*) *ſcil. Imperatores*) odio & invidia contra nos inflammati, quæ inferius annotabimus, nobis quaſi crimina (*b*) hæ- „ reſeos impingere moliuntur. Odio quidem, quia Photii „ adul-

a De Michaele Imp. loquitur, & de Barda Cæſare: qui etſi jam cæſus fuerat, quum hæc Nicolaus ſcriberet, cædis tamen ejus notitia nondum ad Pontificem pervenerat, uti Pagius ad ann. 867. oſtendit.

b Significat ea Accuſationum capita, quæ contra S. Romanam Eccleſiam Michael Imp.

" adulteri & invasoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ atque Neophyti, ac depositi & anathematizati factam promotionem non solum non approbavimus, sed & damnavimus: fratris scil. comministri nostri Ignatii ejusdem Ecclesiæ Patriarchæ dejectionem, utpote a subjectis & ab Imperiali potentia factam, nullo suscipientes assensu. Invidia vero, quia Regem Bulgarum Michaelem nomine cum gente sua, Christi fide suscepta, a Sede B. Petri institutores & doctrinam expetivisse audierunt. *Et paucis interjectis*. Quum his itaque anxietatibus undique coarctaremur, & ingentibus premeremur angustiis, ecce subito Legati jam fati Regis Bulgarum nobis adesse nunciantur... Et quia illos doctrinam B. Petri Apostoli, seu Sedis ejus, exquisisse comperimus, qui licet longe positi corpore, nobis tamen facti sunt fide præsentes: sed & quia per eorum Regnum facilem ac terrenum Missis nostris ad terram Græcorum accessum patere perspeximus: ordinatis igitur tam quæ Bulgarum gentis congrua fidei rudimentis (*a*) agnovimus: quam quæ Constantinopolim mittere disposueramus, Missos quoque nostros cum Legatis (*b*) jam nominati Regis per ipsius transituros regionem direximus. Quos Imperatores Græcorum non solum recipere minime consenserunt; verum etiam vehementer adversus Bulgares animos commoverunt, eo quod per suam eos terram transire permiserint... Præterea cum Bulgarum Rege demorantibus, & ad urbem Constantinopolitanam eisdem nostris accedere Missis conantibus, iidem Imperatores Epistolam suam ipsi Regi Bulgarum transmisere: quam ille accipiens, nobis per legatos nostros deferri devota mente decrevit. " Quæ omnia a mense Augusto anni 866. ad Octobrem anni 867. sunt peracta. Idem Nicolaus Pontifex in Responsis ad Consulta Bulgarorum, ab ipso post mensem Augu-

 stum

Imp. congesserat: quæque continentur in Epist. Photii ad Patriarchas Orientis, post adventum scil. Legatorum Pontificiorum in Bulgariam.

a Idest, Responsis ad eorum consulta conscriptis, perque Legatos Pontificios missis.

b Itaque quum dicit Anastasius de Legatis Bulgarorum Regis, *honorifice apud se eos Pontifex retinuit*, non significat illos fuisse per annum retentos, sed tandiu dumtaxat, donec Responsa ad eorum consulta conscriberet: tunc enim illos dimisit una cum Pontificiis Legatis: nimirum circa mensem Novembrem anni 866.

ftum anni 866. conscriptis, num. XVII. certiorem adhuc notam temporis exprimit, quo Bulgari ad Christi fidem sunt adducti. „ Igitur referentes (*inquit ad Michaelem Regem*) qualiter „ divina clementia Christianam religionem perceperitis, qualiterque populum (*a*) vestrum baptizari omnem feceritis: „ qualiter autem illi, postquam baptizati fuere, insurrexerint „ unanimiter cum magna ferocitate contra vos, dicentes, „ non bonam vos eis legem tradidisse: volentes etiam vos occidere, & Regem alium constituere: & qualiter vos, divina cooperante potentia, adversus eos præparati, a maximo „ usque ad modicum superaveritis, & manibus vestris detentos habueritis, qualiterque omnes primates eorum atque „ majores cum omni prole sua fuerint interempti; & mediocres vero, seu minores, nihil mali pertulerint. „ Ex quo manifestum redditur, paulo ante Legatorum Regis Bulgariæ in Urbem Romanam adventum, hoc est, ante mensem Augustum anni 866. tum Baptismum Michaelis Regis, tum relatam ab ipso de populis tumultuantibus victoriam accidisse: qua de victoria deque Regis baptismo Porphyrogenitus quoque supra dixerat: „ Non latuit ea res (*b*), gentisque totius de„ fectionem ascivit. Ille parva suorum manu, divinum Cru„ cis signum in sinu suo circumferens, oppido rebelles fundit, „ nec jam occulte, sed palam omnino reliquos, ipsos quoque „ rei avidos, Christianos facit. „ Quum itaque Rex Bulgarorum fidem Christi unacum Baptismo, paulo antequam Legatos in Urbem ad Nicolaum Papam mitteret, acceperit, quumque ejus Legati Romam mense Augusto anni 866. pervenerint; consequens est, eum fuisse (*c*) Baptismo initiatum vel exeunte anno 865. vel ineunte 866. Id quod etiam ex illa Photii Epi-

a Significat, baptizato Rege pluribusque cum illo domesticis ejus, Bulgaros in Regem rebellasse. Nam post rebellionem, & post relatam de rebellibus victoriam, Rex ille populum universum baptizari fecit.

b Eth enim Rex Bulgarorum intempesta nocte baptizatus est, res tamen ad populi notitiam quum pervenisset, statim tumultuati sunt.

c Michael Quienus in Oriente Christiano Tom. I. de Patriarchatu Constantinopolitano cap. 14. num. 12. ex Epistola Joannis VIII. Papæ, ordine 192. ad Michaelem Regem Bulgarorum, colligit, eum a Legatis Pontificiis, non a Græcis fuisse baptizatum. *Quapropter* (inquit) *Joannes ipsum denuo adhortandum duxit, ut ad Sanctam matrem suam Romanam Ecclesiam reverteretur, quæ ipsum religioso utero genuerat, & per quam totius religionis & justitiæ formam, Sancto prædecessore suo Nicolao*

Epistola confirmatur, in qua de Legatis Pontificiis, (qui ineunte anno 867. in Bulgariam venientes, Chrismate inunctos per Sacerdotes, denuo Chrismate inunxerunt, & juxta Nicolai Papæ Responsa ad Bulgaros missa, Sabbati jejunium aliaque Bulgaros edocuerunt, contra quam Græci Sacerdotes & Monachi a Photio illuc missi Bulgaris suggesserant) sic ait: *nondum gens illa per Biennium rectam Christianam Religionem amplexabatur, quum impii quidam homines & execrandi ... in gentem, novella quorum pietas & nuper constituta ... insilientes, ... omni cum fraudulentia, a sanis & a fide inculpata Christianorum, eos subdole deducere & corrumpere conabantur. In primis contra Ecclesiæ Canones illicite ad Sabbatorum jejunia traducebant*. Reliqua contra Romanam Ecclesiam a Photio impie opposita, imo contra Responsa a Nicolao Papa ad Consulta

colao Præsule mittente, susceperat. *Quibus plane verbis (obiter quidem dicam:) haud obscure nobis innuitur, Michaelem Bulgariæ Regem nonnisi a Romanæ Ecclesiæ alumnis Sacerdotibus sacris undis expiatum fuisse, vanaque adeo falsaque monstrantur, quæ Byzantini de Bogoris seu Michaelis baptismo apud se celebrato venditarunt*. Ego quidem libenter Quieno subscribo, asserenti, Bogorim non Constantinopoli, sed in Bulgaria Baptismum suscepisse; nego tamen eum a Romanæ Ecclesiæ alumnis Sacerdotibus baptizatum: nam Nicolaus Papa, & Anastasius Bibliothecarius diserte affirmant, illum jam baptismo fuisse expiatum, antequam legatos suos anno 866. Romam misisset, adeoque a Sacerdotibus Græcis, non a Latinis. Quod autem idem Quienus eod. cap. num. 6. supra dixerat, testimonio Anastasii Bibliothecarii in Præfat. Latinæ translationis suæ Actorum octavæ Synodi usus, ubi ait Anastasius: *Regem Vulgarorum cum propria gente Fidem suscepisse per hominem Romanum, idest per quemdam Presbyterum Paulum nomine, atque adeo documentum & mysterium habuisse a Sede Apostolica, ut non modo fidei regulam, sed & sanctæ legis disciplinam sumeret. Quæ omnia sic accipienda sunt, ut Bulgarorum Rex, accepta primum vel a Methodio vel a Theodoro fidei notitia, tametsi Constantinopoli a Photio baptizatus esset, post reditum in patriam, quum nullum Sacerdotem Græcum secum adduxisset, a Paulo Romano Presbytero religionis mysteria ceremoniasque omnes accuratius sit edoctus, ejusque subditi ab eodem Paulo subinde Baptismi aquis tincti*: hoc, inquam, quum Quienus affirmat, dupliciter se esse allucinatum ostendit: primum quidem, dum Michaelem a Photio Constantinopoli baptizatum dicit: Deinde dum Paulo Presbytero Romano attribuit Bulgarorum Subditorum baptismum: Quid? quod idem Quienus Anastasii verba nec intellexit, nec recte recitavit. Anastasius enim sic habet Tom. 8. Concil Labb. pag. 569. lit. E. *Siquidem quum Rex Bulgarorum cum propria gente Christi fidem suscepisset*, (interpunctio hic ponenda:) *per hominem Romanum, idest, quendam Presbyterum Paulum nomine, documentum atque mysterium propositum habuit a Sede Apostolica non modo fidei regulam, sed & sanctæ legis sumere disciplinam: quod & fecit, non solum a præfato Presbytero, verum etiam per divinam revelationem instructus. Nimirum, postquam Rex ille baptizatus est, Paulum Presbyterum Romanum unacum suis Legatis Romam misit, ut religionis mysteria & ceremonias omnes accuratius a Papa Nicolao edoceretur*. Vide Pagium ad ano. 867. num. v. ubi post hæc verba: *Quum Rex Bulgarorum cum propria gente fidem suscepisset*, ponendam interpunctionem monet; tametsi fallitur & ipse, dum eum Regem Constantinopoli baptizatum tradit.

ſulta Bulgarorum miſſa, & a legatis illis Pontificiis ineunte anno 867. in Bulgaria promulgata. *Biennium* autem ab anno 867. ad annum 865. nos retrogrediendo deducit. Quare non eſt, cur Pagius pro Biennio *Quinquennium* nobis obtrudat, ut ad annum 861. Bulgarorum converſionem referat. Quæ enim ſupra recitavimus Anaſtaſii, & Nicolai Papæ teſtimonia, quæque Annaliſtæ Bertinianus & Fuldenſis ad annum 866. de Legatis a Rege Bulgarorum recens ad Chriſti fidem converſo ad Ludovicum Germaniæ Regem directis habent, perſpicuum faciunt, a Bulgarorum converſione ad legatorum Papæ in Bulgariam adventum & prædicationem, non *Quinquennium*, ſed *Biennium* effluxiſſe.

Quum autem Methodius unacum Cyrillo fratre Romam ab eodem Nicolao Papa evocatus, illuc, ut ſupra dixi, mortuo jam Nicolao, hoc eſt, vel exeunte anno 867. vel ineunte 868. pervenerit, poſtquam in Bulgaria & Moravia per annos quatuor & dimidium Chriſtianam fidem annunciaſſet; recte colligitur, ipſum non fuiſſe ab illo Methodio Pictore diverſum, qui, Michaele Bulgarorum Rege jubente, celebratiſſimam illam ſecundi Dominici Adventus picturam confecit. Conveniunt tempora, nomen Methodii, locus prædicationis, hiſtorici denique, qui illum primo Bulgaris, deinde Moravis prædicaſſe ſcribunt. Neque obſtant anni illi *quatuor cum dimidio*, quibus ante finem anni 867. vel initium anni 868. (quo Romam Methodius evocatus advenit) in Moravia Evangelium prædicaſſe perhibetur, poſtquam Bulgaros ad Chriſti fidem amplexandam adduxiſſet: qui quidem anni converſionem Bulgarorum (uti vult Pagius) ad annum Chriſti 863. ineuntem deducerent: non obſtant, inquam, anni illi quatuor cum dimidio; nam primo quidem certiora ſunt quæ ex coævis auctoribus adduximus argumenta ad oſtendendum Bulgaros anno 865. fuiſſe converſos, quam quod in vita SS. Cyrilli & Methodii narratur de ſpatio annorum, quibus in Moravia verſati ſint. Deinde ſpatium illud *annorum quatuor cum dimidio*, non de ſola Moravia intelligendum eſt, ſed de Bulgaria ſimul & Moravia, quum a Bulgaris ad Moravos ſancti illi tranſiiſſe dicantur, & in utriſque ad Chriſtiana ſacra adducendis operam impendiſſe.

Cete-

XIII. Triplex Bulgarorum ad Christi fidem conversio.

Ceterum neque una fuit, neque uno eodemque anno peracta Bulgarorum conversio. Nam primo quidem, quos Crumus Bulgarorum Princeps capta Adrianopoli in Bulgariam transtulerat, ii semina pietatis in Bulgaris jecerunt. Porphyrogenitus in vita Basilii Macedonis cap. 4. *Quia vero Crumus ille, Bulgarorum princeps, violatis quæ illi cum Romanis intercedebant fœderibus, hostili aggere cinctam Adrianopolim diuque ab eo obsessam, qua laborabat necessariorum penuria, ad deditionem coegerat, civesque omnes ac incolas, necnon etiam Manuelem ejusce urbis Episcopum, in Bulgariam transtulerat; accidit Basilii quoque parentes cum reliquis, illo adhuc in fasciis agente, in Bulgariam regionem transferri; ubi propriam Christianorum fidem illibatam custodientes, (tum scilicet mirabilis ille Præsul, tum plebs illi pari captivitate comes) multos barbarorum ad veram Christi fidem adduxerunt (nondum enim gens illa animum ad pietatem transtulerat) multisque locis Christianæ doctrinæ semina jecerunt, a Gentilium errore Scythas (* sic Bulgaros vocat *) retrahentes, & ad divinæ cognitionis lucem traducentes. Quibus in illos ira percitus Crumi successor Murtago, Manuelem virum Sanctissimum, tum alios plures ejus rei delatos, quum tentando ad ejurandam fidem inducere nequivisset, variis tormentis excruciatos, per mortem martyres consecravit. Sicque contigit multos sanguinis necessitudine Basilio conjunctos eique affines, martyrii gloria potiri, ut nec ejus, quæ inde est, honestatis, posset expers videri.* Cedrenus pag. 558. *Postquam Crumus Bulgarorum princeps victoriis contra Romanos inflatus, Adrianopolim obsedit, ita ut nulla ei manus resistere auderet, diutinaque obsidione eo civitatem redegisset, ut necessariarum inopia rerum, deditionis conditiones acciperet, omnes qui in ipsa urbe erant, in quibus etiam Manuel Archiepiscopus, in Bulgariam transtulit. Eo igitur tempore cum aliis parentes quoque Imperatoris (* Basilii scil. *) lac adhuc sugentem secum ipsum deferentes, in Bulgarorum regionem abducti sunt: ubi & ipse inclytus Archiepiscopus, & Imperatoris parentes, incorruptam in Christum fidem servantes, Bulgarorum plerosque ad Orthodoxam fidem, quum nondum gens illa ad verum Dei cultum adducta esset, & in pluribus Bulgariæ locis, Christianæ doctrinæ semina jecere.* Hæc prima Bulgarorum aliquot con-

conversio post annum Chr. 814. quo Adrianopolis a Crumo capta est.

Altera, sed paucorum Bulgarorum, conversio tribui potest tum Theodoro Cupharæ, quamdiu captivus in Bulgaria mansit, tum Sorori Michaelis Bulgarorum Regis, postquam e Byzantio, ubi Christianam fidem literasque edocta fuerat, in patriam ad fratris regiam rediit. Uterque enim legitur fidei ac pietatis semina in Rege Michaele, adeoque in aliis quoque Bulgaris, jecisse. Etsi autem Rex ipse tunc temporis in infidelitate id quod erat permansit; vero tamen propius est, non paucos Bulgaros ex animo Christiana sacra fuisse amplexatos. Unde tam istorum ad Christianam religionem conversio, quam pronus ad eandem religionem amplexandam Regis animus, occasionem videtur præbuisse iis scriptoribus, qui generalem Bulgarorum conversionem ad ea tempora referunt, quando nimirum misso ad Augustam Theodoram Monacho Cuphara, commutationis jure Rex Michael Sororem recepit.

Tertia demum, eademque universalis Bulgarorum conversio illa fuit, quam paulo superius enarravi; ad annum scilicet exeuntem 865. aut ineuntem 866. quando Bogoris Rex, composita jam cum Romanis pace, conspectaque terribili illa secundi Dominici Adventus Methodiana pictura, tandem aliquando, quam in animo dudum habuerat, religionem Christianam amplexari statuens, sacro initiari voluit Baptismate; Regisque exemplo primum quidem ejus domestici baptizati sunt; deinde, postquam tumultuantes magnates Rex divinum crucis signum in sinu suo circumferens oppressisset, *reliquos, ipsos quoque rei avidos* (ut scribit Porphyrogenitus) *Christianos fecit*. Tum vero regionem illam, quam Zagoram appellant, a Michaele Augusto petiit & obtinuit.

Hinc colligitur primo, Bulgaros ad Christi fidem fuisse adductos, non sanctorum Methodii, aut Ignatii Patriarcharum tempore; sed Photio Ecclesiam Constantinopolitanam invadente: anno nimirum 865. exeunte aut ineunte 866. uti modo dicebam. Verissime enim Photius ad Regem Bulgarorum Michaelem scribens, vocat eum *partus sui spiritualis genuinum genema*; non eo certe, quod ipse Photius operam suam in ejus Regis ad Christi fidem conversione contulerit;

hæc

hæc enim, uti supra dixi, Theodoro Cupharæ, Sorori ipsius Regis Bogoris, & Methodio pictori tribuenda est; sed quia, Photio sedi Byzantinæ incumbente, peracta est.

Secundo a Michaele Augusto eundem Bogorim Regem Bulgarorum in Baptismo susceptum, deque ejus nomine Michaelem & ipsum appellatum, uti scriptores Græci omnes testantur, neque iis Latini repugnant: Græci tamen ipsi ab invicem dissentiunt, dum Porphyrogenitus quidem, Scylitzes, Cedrenus ac Zonaras tradunt, missum ab Urbe Regia Episcopum, intempesta nocte (in Bulgaria utique) Regem Bogorim baptizasse: Simeon vero Logotheta & Georgius Monachus, illum una cum optimatibus Constantinopoli baptizatum docent: quos & Pagius sequitur. Verum hoc falsum esse convincitur tum ex nocturno Bogoris Baptismo, tum ex consequuta exinde, orto sole, Bulgarorum rebellione, id quod Constantinopoli nunquam contigisset. Ad Episcopum vero quod spectat, si verum est eum a Photio Patriarcha & Michaele Imperatore ex Urbe Regia in Bulgariam missum fuisse, dicendum est, solum ab ipso Regem Bogorim baptizatum, non reliquos Bulgaros. Nam Episcopus quum esset, quumque Græco ritu Baptismum consequenter administrasset, Baptizatos utique sacro Chrismatis unguento rite unxisset; ac proinde nulla fuisset causa, cur missi anno sequenti a Nicolao Papa Paulus & Formosus Episcopi Chrismate inunctos ab illo Episcopo, ipsi Chrismate denuo inungerent: valide quippe ab Episcopo etiam Schismatico & excommunicato, Sacramentum Confirmationis confertur, nec nisi sacrilege ab alio iterari potest. Atqui Photius ipse in Epist. ad Patriarchas Orientis, nulla facta Episcopi ad Bulgaros ex Urbe Regia missi mentione, disertim asserit, a Presbyteris Græcis Bulgaros & Baptizatos & Confirmatos, queriturque de Latinis Episcopis, anno post susceptum Baptismum ad Bulgaros a Nicolao Papa transmissis, „ quod Chrismate „ inunctos per (*a*) Presbyteros, denuo Chrismate inungere „ non dubitassent, quum se Episcopos prædicarent, & Pre„ sbyterorum Chrisma, inutile quiddam ac frustra factum com-

a Τοὺς ὑπὸ Πρεσβυτέρων μύρῳ χρισθέντας, ἀναμυρίζειν αὐτοὶ οὐκ ἐφρίξαντο. Ἐπισκόπους ἑαυτοὺς ἀνακηρύσσοντες, καὶ τὸ τῶν Πρεσβυτέρων Χρῖσμα, ἄχρηστον εἶναι, καὶ εἰς μάτην ἐπιτελεῖσθαι τερατευόμενοι. Cap. 6.

„ comminiſcerentur. „ Nicolaus quoque Pontifex in Reſponſis ad Conſulta Bulgarorum, non meminit Epiſcopi Græci ad Bulgaros directi, ſed Presbyterorum dumtaxat: nam cap. 78. ſic ait: „ Enarratis, quod Populus ille, qui propter Chriſtia-
„ nam Religionem ad occidendum vos inſurrexere, pœniten-
„ tiam agere voluerit, & Sacerdotes illi, qui inter vos advenæ
„ ſunt, hanc recipere recuſarint. „ & cap. 106. non expreſſo Eccleſiaſticæ dignitatis gradu, Græcos, Armenos, alioſque ad Bulgaros inſtituendos acceſſiſſe ſcribit: „ Poſtremo depreca-
„ mini nos ſuppliciter, ut vobis quemadmodum cæteris gen-
„ tibus veram & perfectam Chriſtianitatem non habentem ma-
„ culam aut rugam largiamur, aſſerentes, quod in Patriam
„ veſtrám multi ex diverſis locis Chiſtiani advenerint, qui
„ prout voluntas eorum exiſtit, multa, & varia loquuntur,
„ ideſt, Græci, Armeni, & ex cæteris locis; quapropter ju-
„ beri poſcitis, utrum omnibus his ſecundum varios ſenſus eo-
„ rum obedire, an quid facere debeatis. „ & cap. 14. de quodam, qui finxit ſe eſſe Presbyterum: „ Præterea indicatis
„ (*inquit*) quod quidam Græcus mentiens fateretur ſe Pre-
„ sbyterum eſſe, quum non eſſet, ac per hoc plurimos in ve-
„ ſtra patria baptizaſſet. Quum ergo vos inſpiratione Dei co-
„ gnoviſſetis, quod non eſſet Presbyter, judicaveritis, ut
„ amitteret aures & nares, & acerrimis verberibus cædere-
„ tur, & ex veſtra patria pelleretur, „ & cap. 104. de baptizatis a quodam Pagano. „ A quodam Judæo (*inquit*) neſcitis
„ utrum Chriſtiano, an Pagano, multos in patria veſtra bapti-
„ zatos aſſeritis, & quid de his ſit agendum conſulitis. „ Denique Anaſtaſius Bibliothecarius eorum temporum æqualis, nulla facta Epiſcopi mentione, teſtatur, „ Bogorim Bulgaro-
„ rum Regem, poſtquam cum propria gente Chriſti fidem
„ ſuſcepiſſet, per hominem Romanum, ideſt quemdam Preſ-
„ byterum Paulum nomine, documentum, atque myſterium
„ propoſitum habuiſſe a Sede Apoſtolica non modo fidei regu-
„ lam, Sed & ſanctæ Legis ſumere diſciplinam. „ Ex quibus liquet Bulgaros non ab Epiſcopo, ſed a Presbytero, ſuiſſe baptizatos, & nonnullos quidem a non Presbyteris, aut non Chriſtianis. Epiſcopum certe ſi Bulgari habuiſſent, ejus mentionem Nicolaus aut feciſſet, aut certe non dixiſſet, ſe illis de Epiſco-

po

po creando postea deliberaturum. Sic enim cap.72. de Episcopo illis ordinando decernit: „ Requisistis, si liceat in vobis Patriarcham ordinari. Sed de hoc nihil diffinitive respondere possumus, priusquam Legati nostri, quos vobiscum mittimus, reversi fuerint, & nobis, quæ inter vos multitudo sit, & unanimitas Christianorum, renuncient. Nam interim Episcopum habetote: & quum incremento divinæ gratiæ Christianitas ibi fuerit dilatata, & Episcopi per singulas Ecclesias ordinati, tunc eligendus est inter eos unus, qui si non Patriarcha, certe Archiepiscopus appellandus sit. *Et cap. 73.* Vos tamen sive Patriarcham, sive Archiepiscopum, sive Episcopum vobis ordinari postuletis, a nemine nunc velle congruentius, quam a Pontifice Sedis B. Petri, a quo & Episcopatus, & Apostolatus sumpsit initium, hunc ordinari valetis. *Et cap. ult.* Quum autem Episcopum, Deo concedente, per Præsulatus nostri ministerium habueritis, ille vos docebit omnia, quæ ad officium suum pertinent, & si quæ sunt, quæ non capiet, ab Apostolicæ Sedis auctoritate suscipiet. „ Si Græcum Episcopum Bulgari jam habuissent, neque illi a Nicolao Papa Episcopum petiissent, neque Nicolaus de illo tacuisset. Causa igitur erroris (quod nempe a Græcis Scriptoribus Episcopus dicatur ad baptizandum Bogorim missus) hæc est: nimirum, quum a Romano Pontifice promissus Episcopus Bulgaris datus non fuisset, Ignatius Patriarcha, Basilii Augusti Græcorumque Præsulum impulsu, post octavam Synodum anno 870. petentibus Bulgaris Episcopum direxit: uti supra est narratum; ac proinde quia Bulgaris quinquennio post susceptum Baptisma Episcopus datus est, id a Scriptoribus Græcis perperam refertur ad eum annum, quo illi primum facti sunt Christiani.



CAPUT II.

Moraviæ situs & Moravorum initia : & prima eorum ad Christi fidem conversio sub Vvrolpho Lauriacensi Archiepiscopo: Instituti eorundem ab eodem duo Episcopatus . Duces eorum, Moymarus, & Privvina . Moymari successores Rastices & Sventoplucus : Privvinæ, Hezilo, & Braslavus . Historia conversionis Bajoariorum & Carantanorum . Confinii & Carinthiæ Duces . S. Cyrilli dignitas & dies emortualis . Bajoariorum Præsulum querelæ adversus Moravos . Latino, non GræcoRitu Methodius Slavicam linguam in Sacris celebrandis apud Moravos induxit .

I. Moraviæ situs.

DE Bulgaris dixi satis : ad Moravos transitum facio . Moravia Latinis, Græcis Μωραβία, & Μοραβία, provincia nunc est inter Silesiam ad ortum & Septentrionem ; Bohemiam ad occasum,& Austriam cum Hungaria ad austrum; in duas fere partes a Moravo fluvio divisa, unde regioni nomen. Æneas Silvius, qui & Pius II. Papa, in hist. Bohem. cap. 13. *Moravia* (inquit) *trans Danubium jacet, cui ad Orientem Hungari Polonique regnum possident, Morava disjuncti amne, qui nomen regioni dedit: occidentem solem Bohemi excipiunt: Australes Meridianum: Septentrionale latus Slesitæ occupant.* Urbes præcipuæ, *Bruna, Belogradum, & Olomucium*. Latius olim patuit sub Rastize, & Sventopulco Regibus, qui suam dominationem ad Vinidos usque trans Albim extendebant. Situm ejus sic descriptum habes apud Porphyrogenitum de Administr. Imper. cap. 13. ubi de gentibus, quæ Turcis, eam Deciam quam (*a*) Trajanus in provinciæ formam inter Danubium & Carpates montes redegerat, pulso Abarorum Hunnorum populo, occupantibus finitimæ sunt: *Turcis hæ gentes conterminæ sunt : Ad occidentem Francia : ad Septentrionem Patzinacitæ : ad meridiem magna Moravia, sive Sphendoplochi regio quæ omnino a Turcis vastata est, & ab ipsis*

a De Dacia Trajani Provincia, vide Cellar. Geograph. Antiq. lib. 2. cap. 8. pag. 595.

ipsis jam obtinetur: Chrobati vero (*a*) *ad Montes Turcis adjacent*. Et cap. 42. *A Thessalonica usque ad Danubium flumen, in quo urbs Belegrada, octo dierum iter est, siquis non festinanter, sed interquiescens proficiscatur. Et habitant quidem trans Danubium flumen Turci in terra Moravia, atque etam ulterius inter Danubium & Sabam* (Savum) *fluvios*. De regione autem & regno Sphendopluchi Moraviæ principis hæc habet c. 14. *Moraviæ princeps Sphendoplocus, fortis, terribilisque populis finitimis fuit, filiosque habuit tres, & fatis concedens, regionem suam in tres partes divisit, filiisque singulis suam portionem tradidit; maximum natu Principem magnum faciens; reliquos vero duos sub ejus potestate constituens. Hortatus vero est eos, ne inter se mutuo dirimerentur, hoc exemplo: Virgis tribus allatis, ubi colligasset eas, primogenito confringendas tradidit: quumque ille id facere nequiret, secundo in manum dedit, & mox tertio: deinde dissolutas singulatim divisit tribus, qui acceptas frangere jussi, sine ullo id negotio fecerunt. Quo facto, exemplo per occasionem hanc arrepto, ita eos admonens dixit: Si in concordia & amore manseritis conjuncti, nunquam vos hostes vestri superabunt, neque captivos abducent. Si vero per contentionem, ambitionemque principatum in tres partes dividetis, maximo fratri obedire recusantes, & a vobis ipsis vastabimini, & a finitimis hostibus funditus delebimini. Post hujus autem Sphendoplochi mortem, anno uno in pace exacto, orto deinde dissidio, & bello civili, invadentes Turci, funditus eos extirparunt, regionemque eorum occuparunt, quam in hodiernum usque diem* (ann. 950.) *incolunt: quæque supererat multitudo, dissipata confugit ad finitimas gentes, nimirum ad Bulgaros, Turcos, Chrobatos, & ad reliquas nationes*. Hungari nempe ann. 900. in Moraviam irrumpentes, regnum Moravorum devastarunt: uti ex Annalista Fuldensi dicam.

II. Moravorum origines a Cureo & Dubravio traditæ expenduntur.

Moravorum Slavorum initia ad *Zechum* Bohemorum conditorem refert Georgius Cureus in Annalibus Silesiæ pag. 26. „ Zechus (*inquiens*) occupavit amœnam illam vallem inter „ montes Sudetes, cedentibus ipsi Marcomannis & Hermunduris, eamque servato veteri nomine, appellavit Bohemiam.

a De Alba Chrobatia sermo est, cujus situs ad Montes Carpates erat.

„ Immisit etiam novos colonos in regionem veterum Marcomannorum, quos nominavit Moravos aut a flumine, aut ex antiqua appellatione; & similiter alios in illum tractum, qui est inter Albim & Salam, qui dicti sunt Sorabi, quod ipsum nomen est (a) a Sarmatis: unde etiam est Soravia oppidum Silesiæ. Aliud deinde agmen magnam partem litoris Balthici invasit; illi Vindi, Veneti, vel Heneti sunt nominati, quorum sedes ad ipsum usque Svevum fluvium & ditionem Brandeburgensem pertinuerunt. Ita post exhaustas vires Germaniæ, crevit potentia Venetorum, „ idest Slavorum. De Zechi & Lechi ætate, Slavorumque in eas Germaniæ antiquæ regiones irruptione, dixi supra. Quare non est necesse, ut quæ Cureus de Zecho hic asserit, singula ad examen revocentur. Joannes Dubravius lib. 4. historiæ Bojemicæ pag. 25. Moraviam sic describit: „ Moraviam ut nunc se habet, tribus e partibus juga montium, aut silvæ saltusque, aut fluvii limitant: ab Oriente ab Hungaris, ab Occidente a Bojemis, a Septentrione a Slesitis: nam a meridie Austriam versus, plana est, & alicubi Thaysa flumine, alibi rivo quodam ignobili ab illa dirimitur. Amnium in Moravia princeps (b) Mora habetur, qui Olomucium (c) principem civitatem circumfluit, & ab illa in Pannoniam defluens, in Danubio se tandem, suis & adventitiis aquis auctus, exonerat: Nam & Nigrim & Svitavam, qui Brunam (d) civitatem, dignitate proximam Olomucio; dein Thaysam, qui Znoymam (e) obitu Sigismundi Cæsaris memorabilem; postea Iglam, qui Iglaviam præterfluit, Mora recipit, ac Danubio mox reddit. Cæterum Odera fluvius haud procul Olomucio ortus, suo vocabulo usque in Oceanum delabitur .... Sed „ nec

a Imo, a *Serbiis* sive *Serviis*. Nam *Sorabi* (eodem Cureo teste) habitarunt versus Albim fluvium & Salam: ubi (inquit Baudrandius) nunc Misnæ Urbis territorium, quod quondam *Dalemincia*, & a Bohemis *Serbia* vocatum fuit, ut scribit Georgius Fabricius in lib. Misnicar. rer. & Reineccius in Append. ad Helmoldi Chron. Slavorum, de gentium Germanicar. & Heneticar. appellationibus pag. 218. Ditmarus duas facere Soraborum gentes videtur, Dalamantas & Milzenos.

b Cellarius Geogr. antiq. lib. 2. cap. 5. pag. 486. *Marus fl. qui nunc March vocatur Moraviam præterlabens.* Baudrand. *Moravus fl. olim Moravi dictus nunc Morava accolis & Slavis*, die Marn Germanis.

c Olim *Eburum* Cellario.

d *Eburodunum* Cellario.

e *Medoslanium* Cellario.

„ nec Hanam præterire libet, quamvis tenuibus interdum aquis „ fluentem, attamen eos agros rigantem, quibus non alii in „ Moravia sunt a frumento fertiliores. „ Idem Dubravius p. 23. originem Regno Moraviæ ad tempora Constantini Pogonati, qui ab ann. 668. ad 685. Constantinopoli imperavit, in hæc verba refert. „ Sed quoniam mentio Regni Moraviæ incidit, prius „ invenias, qui tibi regnatum esse in Moravia dicat, quam qui „ ostendat, unde Regia majestas in Moraviam a Sclavinis tunc „ possessam, se insinuaverit: forsitan alienum a proposito non „ fuerit, præsenti narrationi adjungere ea, quæ super hac re „ vel legimus, vel accepimus. Qua tempestate Constantius „ (a) cui Pogonato ex barba cognomen fuit, imperium apud „ Græcos obtinebat, Bulgari rerum novarum cupidi, ascitis „ in belli societatem Sclavinis popularibus suis, impetum in „ Thraciam fecerunt. Utrisque Constantius cum exercitu ro„ busto ad locum quem Honglon vocant, mature occurrit pu„ gnandi avidus, si pugnæ copia facta fuisset. Verum Bul„ gari juxta ac Sclavini pugnam extrahere, seque loco & ca„ stris munitis continere malebant: interim occasione intenti, „ si videlicet aliqua ex contemptu sui, quia laterent, negli„ gentia ad Cæsarianos transiret. Ubi illa apparuit, castris pa„ tefactis, incautos Cæsarianos assiliunt, fugant, concidunt, „ eoque Constantium redigunt, ut de Mysia præterea illis „ concedere cogeretur, quam ad inhabitandum Bulgari sibi de„ legerunt: Persuasis Sclavinis, ut ipsi Pannoniam occupa„ rent, jampridem Hunnorum discessu, nuperrime autem „ Avarum in Italiam migratu desertam. Septem Sclavinorum „ nationes in exercitu uno tunc fuisse, Pannoniamque & Mo„ raviam ad incolendum occupasse dicuntur. His simul omni„ bus, quum nomen imperii Regium placeret, nec inveni„ retur Principe Moraviæ alius dignior qui regnaret, illum po„ tissime regnare, & posteros ejus jusserunt; nonnullorum ta„ men nomina interciderunt, credo quod nulla insignis res „ per illos gesta fuerit, aut nullus extiterit auctor, qui illa com„ memoranda receperit. Post interjecto annorum ferme sexa„ ginta spatio, nomen Regis Raslai, quem propter fœdera vio„ lata

a Leg. *Constantinus*.

„ lata Ludovicus Imperator exoculavit: dein Hormidori, & „ Suatobogii, ac maxime Svatopluci inclaruit, qui citra & „ ultra Danubium latissime regnavit.

Fabulosa hæc est Regni Moravici origo, etsi vera Bulgarorum sub Constantino Pogonato trans Danubium habitantium, in Thraciam irruptio, relataque ab illis de Romanis copiis victoria, ita ut idem Constantinus coactus sit annua pensitatione promissa pacem cum iis facere. Vide Nicephorum, Theophanem ac Cedrenum, quorum verba Tom. 1. Part. 2. cap. 11. a pag. 483. ad 486. recitavi. At illis Bulgaris ab eodem Constantino Pogonato tunc temporis Mysiam ad inhabitandum concessam fuisse, hoc laudatis Byzantinis Scriptoribus repugnat, qui unanimi calamo scribunt, Bulgaros trajecto Danubio, ad Barnam, quæ propè Odyssum & eminentiora illa loca est, pervenientes, quum eum locum undique & a fluvio & a regionis asperitate munitum animadverterent, ibidem castra metatos fuisse; adeoque armis suis, non Constantini concessione, Mœsiam inferiorem occupasse, partemque suorum in eo limite, qui Abares Hunnos in Pannonia inferiore habitantes respiciebat, collocasse, alios Romanorum finibus objecisse. Falsum est etiam, quod Bulgari Sclavinis persuaserint, ut ipsi Pannoniam occuparent. Jam enim ostendi Tom. 1. Par. 2. Pannoniam (*a*) ante Valentis imperium à Vandalis, mox à Gothis, deinde usque ad Marcianum Imp. ab Hunnis habitatam: post Attilæ verò mortem, a Gothis sive Ostrogothis recuperatam esse: deinde vero circa Justiniani tempora (*b*) a Langobardis subactam, & post 42. annos ab his ipsis, Italiam Alboino duce populariter commigrantibus, sub pacto Hunnis relictam esse anno 568. eamque ab ipsis Hunnis usque ad annum 799. occupatam fuisse, quo anno sunt Hunni a Carolo magno penitus subjugati: ut supra ex Eginhardo ad eund. ann. 799. observatum est. Itaque a vero prorsus abhorret, *Sclavinorum septem nationes* tunc temporis, Pannoniam, & Moraviam ad incolendum occupasse, principemque Moraviæ, utpote ceteris digniorem, Regis titulum sibi vendicasse; nam Sclavini, qui illic in propinquo degebant, adeo non Regium titulum assumsere, ut potius

a Cap. 5. pag. 295.
b Cap. 9. pag. 401.

potius in potestatem Bulgarorum redacti dicantur . Theophanes ad ann. Constantini Pogonati XI. Chr. 679. „ Tum „ vero (Bulgari) flumine trajecto , Barnam ita dictam , Odysso vicinam , & mediterraneos agros perveniunt . Quumque „ locum omnem retrorsum ab amne Danubio , ante vero & ab „ utroque latere clusuris sive montium angustiis & mari Ponti- „ co probe munitum conspexissent , & Sclavinorum illic de- „ gentium septem generationes quæ dicuntur , in potestatem „ redegissent , Seberienses quidem ab anteriore Beregaborum „ clusura , ad orientales plagas ; meridiem vero & occidentem „ versus , ad Abariam usque , reliquas gentes septem sibi ve- „ ctigales factas illuc transtulerunt ac collocarunt . „ Nicephorus pag. 23. in Breviario : „ Inde quum Bulgari Danubium „ transiissent , & ad Barnam , quæ prope Odyssum , & emi- „ nentiora loca mediterranea est , pervenissent , quum eum „ locum undique & a fluvio (*Varna scilicet*) & a regionis aspe- „ ritate munitum animadverterent , ibidem castrametati sunt . „ Sed & Sclavinorum gentem , quæ illic in propinquo dege- „ bat , in potestatem redigunt , ac partem suorum in eo limi- „ te , qui Abares respiciebat , collocant : alios Romanorum fi- „ nibus objiciunt „ nimirum in Thraciam invadentes. Vides de Moravia , longe ab istis qui describantur finibus posita , nullam mentionem fieri ; Sclavinos præterea , quos in societatem belli adscitos scribit Dubravius , non modo Regem sibi non imposuisse , sed potius vectigales Bulgaris factos fuisse . Postremo quod idem Dubravius addit „ interjecto annorum fere sexagin- „ ta spatio , nomen Regis Raslai , quem propter fœdera vio- „ lata Ludovicus Imperator exoculavit ; dein Hormidori , & „ Suatobogii , ac maxime Suatopluci inclaruit , qui citra & ul- „ tra Danubium latissime regnavit : „ id , inquam , immanis anachronismi Dubravium arguit : nam Raslaus sive Rastices Moravorum Rex anno Chr. 846. uti mox demonstrabitur , Regnum iniit ; anno vero 870. per dolum nepotis Suatopluchi captus a Ludovico Germaniæ Rege , non Imperatore , uti perperam asserit Dubravius , & oculis privatus fuit : Ab anno autem 679. seu 680. quo Bulgari sub Constantino Pogonato Mysiam trajecto Danubio occuparunt,usque ad annum 846. quo Raslaus Rex Moravorum a Ludovico Germaniæ Rege inaugu-

ratus

ratus est, effluxere anni 165. 166. seu 167. non 60. Præterea commentitius est Rex ille *Hormidorus*, qui Raslao substitutus dicitur; demum qui anno 870. post Raslaum Moraviæ regnavit, Svatoplucus seu Sventibaldus fuit, quem Dubravius, Æneas Sylvius, & Henschenius in Vita SS. Cyrilli ac Methodii, in duos perperam partiuntur, quemadmodum ostendit Pagius ad ann. 870. num. 30.

III. Prima Moravorum meorio circa annum 825. Urolphus Archiepisc. Lauriacensis erigit in Moravia duos Episcopatos. Moymarus & Privvina, Moravorum Duces: Huonorum Abrahamus Caozauchi, Liudevitus & Tutundus: duo etiam Episcopatus in Avaria ab eod. Urolpho instituti. Eugenii II. Papæ Epistola.

Rejecta igitur commentitia Regni Moravici originatione, ad eruenda ex Annalistis antiquis & Romanorum Pontificum Epistolis certa Moraviæ Ducum Regumque documenta progredior. Et primum quidem occurrit Epistola Eugenii II. Papæ circa annum Chr. 825. data, in qua *Tuttundus Hunniæ Avariæ*, & *Moymarus* Moraviæ Duces commemorantur. Hujus Epistolæ fragmentum exhibet Pagius ad ann. Chr. 824. num. 14. Integra refertur a Labbeo Tom. 7. Concil. edit. Parif. pag. 1542. „ „ ex Appendice Variorum Diplomatum S. R. E. Pontificum „ post Chronicon Reicherspergense, *anno 1611. Monachii in Bavariæ a Gevvoado* edita. Titulus hic est: „ *Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei*, Rathfredo sanctæ (*a*) Favianensis Ecclesiæ, & Methodio (*b*) Ecclesiæ Speculi Juliensis, quæ & Soriguturensis nuncupatur, atque Alevvino sanctæ Nitraviensis Ecclesiæ, parique modo Annoni S. Vetuariensis Ecclesiæ Episcopis: simul etiam Tuttundo, necnon „ Moymaro, Ducibus, & optimatibus, exercitibusque plebis „ Huniæ

a *Faviana*, eadem ac *Vienna* hodierna: olim dicta *Vindobona*, *Vindomana*, *Vindomina*, & *castra Fabiana*. Ibi olim Sedes Rugorum Regis circa ann. 475. Vide Hansiz. German. Sacr. Tom. 1. a pag. 71. ad 76 & pag. 85.

b Hansiz. loc. cit. pag. 152. In Moravia sedes *Speculunensis*, cui Methodius præerat, diutius perstitit. scribit enim Balbinus & Pessina Methodium ad annum usque 840. præsedisse: ubi & adnotant, Methodium istum fuisse natione Illyricum, diversum a Methodio Græco qui postea cum Cyeillo fratre has in partes venit, & Moraviæ Panoniæque Archiepiscoparum gessit. Idem pag. 147. *Urolphus*, ait, Laureacen. Archiep. quatuoe Episcopatus instituit, duos in Moravia, in Pannonia totidem: In Moravia quidem Sedem Speculuoensem, seu, Speculi Juliensem; deiode Nitraviensem: in Pannooia vero Favianensem, & Vetuarensem. Aventinus *Speculi Juliensem* interpretatur *Juliomontanum*, ex qoo Julmontium seo hodiernum *Olomucium*. Hansizius vero scribeodum potius existimat *speculunensem* ex voce *Holl* quæ *specum* significat, & voce *mond* quod *Lunam*: ut sit *Speculunam*: quod voce *Holmunz* seo *Holmonz* iodigitatue. Lazius *Vetuar* putat esse oppidum Moraviæ *Vvettau* ad Tegam flovium. Aventinus *Vesprinium*: Stredovvskius *Vvellibradum*, quondam Ducum Moravorum regiam. *Vellebradum* Teutonice *magnam arcem*, *Hradezium* parvam significat. Hansizius *Vetvar*, Hunnicam vocem esse ait, a *Vet*, & *Var*, quæ *vetus Burgum* sonat, Alemanice *Altemburg*. hodie. *Morgvium* ex Sentivanio in Catal. Sanctor. Hungariæ ad 14. Januar.

„ Hunniæ quæ & Avaria dicitur, & Moraviæ. *Initium*: Desiderio salutis animarum vestrarum, filii in Christo charissimi, quum audivimus Christianissimam conversationem vestram, & sanctæ Fidei bonorumque operum vestrorum processum, summo gaudio atque lætitia fuimus exhilarati. „ Agitur de *Uurolpho* seu *Yrolpho* Lauriacensi Archiepiscopo, Apostolicæ Sedis in illis partibus Vicario, de quo hæc habet Pontifex: „ Cujus optabilis rumoris index fuit reverendissimus Yrolphus sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & sanctissimus Frater noster, vester autem spiritualis Pater, qui per suam sanctam prædicationem adoptivos Deo vos genuit filios. Is itaque ad Apostolorum limina orationis causa veniens, novam Ecclesiam nostris Apostolicis benedictionibus informandam subnixe commendavit, quia (*fort. quam*) Domino auxiliante catholice gubernandam suscepit. In quibus etiam quondam Romanorum quoque, Gepidarumque ætate, ut lectione certum est, in septem Episcoporum Parochias Antecessores sui jure Metropolitano obtinuerant Dioecesim. Qua ex justitia & lege præfatus Deo dignissimus Archiepiscopus debito obligatur, ut illi terræ, prius Christicolæ, atque suorum antiquitus antecessorum creditæ providentiæ, quam nunc vos, Dei Omnipotentis occulto mediante judicio, velut hæreditariam possidetis, ipse Evangelicus agricola diu negata cœlestis spargat semina vitæ, atque in lucrandis Domino Christo animabus redivivam de vobis nutriat segetem. Quem nos doctissimum divini oraculi ministrum saluti vestræ cognoscentes per omnia necessarium, fide & exemplo probatum . . . . . ab sancta Romana Ecclesia Matre Vobiscum Rectorem transmisimus, atque in præfatis regionibus (*a*) Hunniæ, quæ & Avaria appellatur, sed & Moraviæ, provinciarum quoque Pannoniæ sive Mœsiæ Apostolicam vicem nostram, & Dioecesim atque jus Ecclesiasticum exercendi, & usum ac potestatem Antecessorum suorum, vide-

a Subjicitur potestati Urolphi Lauriacensis Antistitis, non solum Avaria, & Moravia, sed etiam Mœsia seu Mysia, nempe comprehendere Pontifex videtur omne genus Sclavorum Francis subditorum circa Danubium. Tales erant *Timotiani* & *Gudusciani*, Serviæ seu Mœsiæ Superioris populi, qui se partibus Francor. addixerant, nam Mysiam ulteriorem Bulgari pagani tenebant. Hansiz. Germ. Sacr. Tom. I. pag. 148.

„ licet Sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscoporum, sibi „ Successoribusque suis, canonica auctoritate committimus, „ atque hujus constitutionis nostræ decretum subscriptionis pri- „ vilegio roboramus. Pallium præterea juxta consuetudinem „ antiquam Sanctitati suæ dedimus: quod ita concessimus, si- „ cut prædecessores nostri suis prædecessoribus concessere, pri- „ vilegiorum suorum scilicet integritate servata. Cujus dile- „ ctioni quamvis hoc debito permitteremus, propter vestras „ autem petitiones super hac re flagitantibus ad honorem suum „ nostram Apostolicam vicem & auctoritatem insuper accu- „ mulavimus, quod nunquam suis permissum est prioribus. „ Quatenus & vos Confratres & Coëpiscopi deinceps ei reve- „ rentiam ampliorem exhibere sciatis, & in sana doctrina cœ- „ lestis eruditionis ad ædificationem vestram ut filii sapientes „ obediatis; atque vos Laici Primates, & vulgus saluberrimis „ præceptis suis non velut homini, sed tamquam Deo humili- „ ter obtemperetis, & in fide catholica, quam per Dominum „ Jesum consecuti estis, fortes permaneatis. *Et post pauca*. „ Ad perfectam autem & necessariam eruditionis vestræ salu- „ tem, ut comperimus, non sufficiunt pauci, qui modo con- „ stituti sunt Vobis Episcopi, quia plures sunt adhuc gentilita- „ tis errore ibidem detenti, ad quos propter inopiam præco- „ num divini Verbi nondum pervenit notitia Christi. Idcirco „ enim ut accrescat turba fidelium, studeat solertia vestra pro „ mercede & remissione peccatorum vestrorum, adminiculum „ atque juvamen præbere Reverendissimo Yrolpho Archiepi- „ scopo, quatenus dudum illic constitutorum Episcoporum nu- „ merus impleatur, qui congrue constituti, & vobis posteris- „ que vestris poterunt esse proficui „.

Ex hac Epistola colligitur, non solum Hunnos sub Carolo Magno anno 796. subactos, per Arnonem Juvavensem sive Salisburgensem Archiepiscopum ab anno 798. ad Christi fidem adductos fuisse; uti supra est demonstratum; sed etiam Moravos & alios Hunnos, in Hunnia, Moravia, & Pannonia constitutos, opera Yrolphi Archiepiscopi Lauriacensis, Christiana Sacra accepisse: idque anno, ut videtur, 805. quo *Chacanus Hunnorum Theodorus* quum locum sibi a Carolo Magno inter Sabariam & Carnuntum ad habitandum obtinuisset, pauco tem-

tempore transacto obiit: ejusque successor Chaganus alter ab eodem Imperatore per legatum petiit sibi honorem antiquum dari, quem Chaganus apud Hunnos habere solebat: cujus precibus Imperator assensum præbuit, & summam totius Regni, juxta priscum eorum ritum, Chaganum habere præcepit, uti supra ad ann. Chr. 805. ex Eginhardo, & ex Annalistis Bertiniano ac Metensi dixi. Annales Ratisbonenses vetusti apud Hansizium Tom. 1. German. Sacræ pag. 148. nomen hujus secundi Hunnorum Principis, Abrahamo fuisse tradunt: „ Anno 805. Cabuanus (leg. *Caganus*) venit ad Dominum Carolum;& Abraham Caganus baptizatus super Fiskaha „ nempe Theodoro (ut inquit Hansizius) in eadem ditione Caganus alter successit, qui pariter baptismo suscepto in lòco *Fiskaha*, *Abraham* nomen sortitus est. Locus *Fiskaha* in Diœcesi est Pataviensi non longe infra Favianas, ubi oppidum & amnis etiam ab Ottone Frisingensi nominatus *Viscaha*, hodieque nomen retinet. Eum igitur terræ tractum, ubi Viscaha, Hunni dedititii coluerunt, imo & oppidum Favianense, & quidquid ultra montem Comagenum seu Cetium est, sub eorum erat ditione. Aut igitur unus idemque cum isto Chagano, *Abraham* dicto; aut ejus paulo post defuncti successor fuit *Hunnorum* Princeps (*a*) *Canzaucus*, de quo Annalista Bertinianus ad annum 811. „ Fuerunt etiam Aquis, adventum ejus (*Caroli* „ *Magni*) expectantes, qui de Pannonia venerunt, Canizau„ cus Princeps Avarorum, & Tudun, & alii primores ac „ Duces Sclavorum circa Danubium habitantium; qui à Du„ cibus copiarum quæ in Pannoniam missæ fuerunt, ad præsen„ tiam Principis missi venerunt. „ Hic enim *Canzaucus* disertim appellatur *Avarum*, hoc est, *Hunnorum*, *Princeps*. Porro conjectatur Hansizius antedictum *Abrahamum* Hunnorum Principem non alium fuisse a *Tutundo*, sic scribens: „ Eum „ terræ tractum, ubi Viscaha, Hunni dedititii coluerunt, imo „ & oppidum Favianense, & quidquid ultra montem Coma-

a Apud Eginhardum ad ann. 811. perperam legitur. „ Qui de Pannonia venerunt, „ Cani, Zauci, Principes Avarum, & Thudun. Rectius Annalista Metensis: „ Qui de Pannonia venerunt, Canizauci Princeps Avarum, & Thudum &c. nam de Hunnis & Sclavis antecessit sermo, his verbis: Alterum (e tribus) exercitum misit „ Carolus in Pannoniam ad controversias Hunnorum ac Slavorum finiendas „ Hunnis Principes præerant Canzaucus & Thudun: Sclavis Moymarus & Privinna.

„ genum ſeu Cetium eſt, ſub eorum erat ditione : quorum „ Princeps tempore Eugenii Papæ erat (*a*) Tutundus; is „ forte de quo Annales Francici ad annum DCCCXI. Carolus „ exercitum in Pannonias miſit ad controverſias Hunnorum & „ Sclavorum finiendas. Deinde ſubjicit: veniſſe Aquiſgranum „ Cambzanci Principes Avarum, & Thudum, & alios primo„ res Slavorum circa Danubium habitantium. „ Et paulo ſuperius pag. 147. de regia Principum Hunnorum & Sclavorum loquens: *Wellebradum*, ait, Ducum Moravorum, ideſt Sclavorum fuiſſe; *Vetuarum* vero Hunnorum: „ Sed certum videtur „ *Vetuar* fuiſſe oppidum Hunnorum, non Moravorum. *Var* „ enim Hunnis idem erat, quod Germanis *Burgum*, ſeu arx; „ eaque vocis illius ſignificatio hodieque apud Hungaros obti„ net. Credibile eſt, locum *Vetuar* fuiſſe Danubio Mora„ viam reſpicienti vicinum. Moravi enim ad Danubium uſque „ colebant; Intra fluvium juxta rudera Veteris Carnunti *Tu„ tundus*, ſeu *Tudunus*, Hunnorum Princeps cum ſuis reſi„ debat; cui deinde inter alios Eugenius Epiſtolam inſcripſit. „ At Maravenſium Sclavorum principatum gerebat *Moyma„ rus* (*ut idem Hanſizius ſubjicit* pag. 148.) ſeu, ut elegan„ tius vocatur *Mogemirus*. Hunc etiam unacum optimatibus „ & magna populi parte Urolphus (*Lauriacenſis Archiep.*) in„ ſtituit, atque ad fundandas Eccleſias Epiſcopales induxit. „ Idem Hanſizius Tom. 2. part. 124. ubi de Adalrammo Salisburgenſi Archiep. loquitur, de Moymaro hæc addit: „ Maravo„ rum Principes erant Moymarus & Privinna: ille (*b*) partis „ Occidentalis, hic Orientalis dux. Adalrammus ad Privinnam „ ſeu

---

a Unus idemque omnino eſt qui ab Eugenio PP. vocatur *Tutundus* ac is qui *Tudun* in Annalibus Francorum appellatur; ideoque Bertiniani ad ann. 795. Inde etiam Rex (*Carolus m.*) „ Venit ad locum, qui dicitur *Cuffinſtang*, in Suburbium Maguntia„ cenſis urbis, & ibi tenuit Placitum ſuum. Audiens autem, quod Saxones more „ ſolito promiſſionem ſuam, quam de habenda Chriſtianitate & fide Regis tenenda „ fecerant, irritam feciſſent, cum exercitu in Saxoniam ingreſſus eſt, & uſque ad „ fl. Albiam pervenit, ad locum qui dicitur Hiliuni, in quo tunc Vvizzin Abodri„ torum Rex a Saxonibus occiſus eſt. Ibi etiam venerunt miſſi Tudun, qui in gente „ & Regno Avarorum magnam poteſtatem habebat: qui dixerunt, quod idem Tu„ dun cum terra & populo ſuo ſe Regi dedere vellet, & ejus ordinatione Chriſtia„ nam fidem ſuſcipere vellet. „ & ad annum 811. *Principes Abarorum, Canzaucus & Thudun*.

b E contrario videtur Moymarus Orientalem Moraviæ partem, Privinna Occidentalem, Bojis ſcilicet, viciniorem, tenuiſſe.

„ ſeu partium Boicarum amicum, ſeu ut eum amicum adjunge-
„ ret, adiit: in oppido *Nitrava*, ejuſdem ducis Regia, Ba-
„ ſilicam dedicavit. *Et paulo poſt*. Idem Moymarus Privi-
„ nam ditione abegit; quæ homini occaſio fuit diu dilatum ali-
„ quando ſuſcipiendi Baptiſmum: nam quum ad Radbodum
„ confinii Orientalis præfectum, qui Geroldo poſt menſem
„ Martium anni 828. ſubrogatus fuerat, exul confugiſſet, ab
„ eo ſtatim præſentatus eſt Domino Regi Ludovico (ab expedi-
„ tione Bulgarica reverſo) & ſuo juſſu fide inſtructus, baptiza-
„ tus eſt in Eccleſia S. Martini, loco Treiſma vocato, curte
„ videlicet petinente ad ſedem Juvavenſem.

IV.
Hiſtoria de Converſione Bajoariorum & Carantanorum: ubi de Præſulibus Juvavenſibus & Slavorum; deque ducibus Moravorum Moymaro & Privvina.

Hæc vero de *Moymaro*, deque *Privina*, Moravorum Ducibus (*a*) conſtant tum ex laudata Eugenii Papæ Epiſtola; tum etiam ex *hiſtoria Converſionis Bajoariorum & Carantanorum Slavorum*, in lucem data quondam ab Henrico Caniſio Tom. 2. pag. 1139. edita poſtea apud Ducheſnium Tom. 2. Francor. Scriptor. a pag. 220. & a Jo: Dubravio Epiſc. Olomucenſi in collectione Scriptor. Hiſtor. Bojemicæ a pag. 15. & nuper a cl. Hanſizio (*b*) Tom. 2. Germaniæ Sacræ a pag. 35. Titulus opuſculi eſt: *Quomodo Bajoarii & Carantani facti ſunt Chriſtiani*: Initium: „ Tempore Hildeberti Regis Francorum,
„ Anno ſcilicet Regni illius quinto, honorabilis Confeſſor
„ Chriſti Ruodbertus in Wormacia civitate Epiſcopus habe-
„ batur.

Hic igitur perantiquus Auctor, primum quidem Bajoariis quomodo Chriſtianam religionem a S. Rodberto aliiſque Juvavenſibus Epiſcopis acceperint, ediſſerit: cujus verba, eo quod res Bajoaricæ maximam habent cum Hunnicis & Slavicis conjunctionem, juverit recitare. Itaque Auctor ſic habet de Bajoariorum prima, ut inquit, per Sanctum Rodbertum converſione.

„ Tempore Hildeberti (*tertii*) Regis Francorum, an-
„ no

a Hanſizius pag. 34. eandem Hiſtoriam haberi manuſcriptam teſtatur in Bibliotheca Cæſarea in Claſſe Hiſtor. Eccl. num. 72. & num. 148. idemque affirmat, Caniſiana exemplaria cum manuſcriptis accurate ſe contuliſſe.

b Dubravius huoc præmittit titulum „ De converſione Bajoariorum, & Carentanorum ad fidem Chriſtianam. Item de Jovavenſis ſive Saliſburgenſis Eccleſiæ origine & Diœceſi. Fragmentum pervetus ſcriptum circa ann. Domini DCCCLVIII. Imo 871. uti mox patebit.

„ no ſcilicet Regni illius quinto (*a*) (*Chr. 699.*) honorabilis „ Chriſti Confeſſor Rudbertus in Vvormatie civitate Epiſco„ pus habebatur. Qui ex regali proſapia Francorum ortus, Ca„ tholicæ fidei, & Evangelicæ doctrinæ, totiuſque bonitatis „ nobiliſſimus refloruit doctor. Erat hic vir ſimplex pius & pru„ dens, in ſermone verax, juſtus in judicio, providus in con„ ſilio, ſtrenuus in actu, conſpicuus in caritate, in univerſa mo„ rum honeſtate præclarus. Ita innumerabiles ad ejus ſacratiſ„ ſimam convenerunt doctrinam, & ab eo æternæ ſalutis do„ cumenta ſuſceperunt. Quumque fama ſanctæ converſationis „ illius longe lateque crebreſceret, pervenit ad notitiam cu„ juſdam Ducis Bavvariæ regionis nomine Theoto (*b*) Qui ſu„ pradictum virum Dei ſubnixis precibus, prout potuit, liben„ tiſſime ſtuduit rogare per miſſos nuncios ſuos, ut hanc pro„ vinciam viſitando ſacra illuminaret doctrina. Unde prædica„ tor veritatis divino compunctus amore aſſenſum præbuit, pri„ mo ſuos dirigens Legatos; poſtea vero ad Chriſti gregem lu„ crandum per ſemetipſum venire dignatus eſt. Hoc audiens „ præfatus dux, magno perfuſus eſt gaudio; obviamque illi cum „ ſuis pergens, ſanctum virum Evangelicumque doctorem cum „ omni honore & dignitate ſuſcepit in Ratisbona civitate. „ Quem vir Dei cœpit de Chriſtiana converſatione admonere, „ & de fide catholica inſtruere, ipſumque non multo poſt, & „ multos alios iſtius gentis nobiles atque ignobiles viros ad „ veram Chriſti fidem convertit, Sacroque Baptiſmate regene„ ravit, & in ſancta corroboravit religione. *Præfatus* itaque „ dux ſancto viro conceſſit licentiam locum aptum eligendi ſi„ bi & ſuis, ubicumque ei placuerit, in hac provincia Eccle„ ſias Dei conſtruere, & cætera ad opus Eccleſiaſticum habita„ cula perficere. Tunc jamdictus vir Domini accepta licentia, „ per alveum Danubii uſque ad fines Pannoniæ inferioris ſpar„ gendo ſemina vitæ, navigando iter arripuit; ſicque tandem „ revertens ad Laureacenſem pervenit civitatem, multoſque

„ ibi

a Sic habet exemplar MSS. Cæſareum, & Freherianum. At duo Caniſiana, & MSS. alterum: *Anno Regni ejus ſecundo*: ideſt, Chriſti 696. quæ ſententia Pagio probatur ad ann. 696. num. 8.

b Fuit hic Theodo II. nam primus Theodo ab anno 649. ad 660. Ducatum tenuit. Vide ſeriem Ducum Bavariæ ab anno 553. ad 768. apud Hanſizium Tom. 1. Germ. Sacr. pag. 51.

„ ibi infirmos variis languoribus oppressos orando per virtutem „ Domini sanavit. Deinde arrepto itinere pervenit ad quemdam locum, qui vocatur Walarium, ubi Ecclesiam in honore S. Petri Principis Apostolorum construxit & dedicavit. „ Præfatus itaque dux ibidem primitus ei in circuitu aliquas „ proprietatis possessiones tribuit. Postea vero ad notitiam venit Sancto Pontifici Rodberto aliquem esse locum juxta fluvium Viarum, antiquo vocabulo Juvavensem vocatum, ubi „ antiquis scilicet temporibus multa fuerunt mirabiliter constructa ædificia, & tunc pene dilapsa, silvisque cooperta. „ Hoc audiens vir Domini propriis cupiens prospicere oculis „ quid inde ipsius rei veritas haberet, propter fidelium animarum lucrum, divina disponente gratia, cœpit Theodorum „ ducem rogare, ut istius loci ei potestatem tribueret ad exstirpanda & purificanda loca, & Ecclesiasticum, prout ei libitum „ foret, ordinare officium. Quod ipse dux consensit, tribuens „ ei longitudine & latitudine de territorio super duas leugas „ possessiones, ut inde faceret quidquid ei placeret ad utilitatem istius sanctæ Dei Ecclesiæ. Tunc vir Domini ista cœpit „ renovare loca, primo Deo formosam ædificans Ecclesiam, „ quam in honore SSmi Petri Principis Apostolorum dedicavit: ac demum Claustrum cum ceteris habitaculis Clericorum per omnia ordinabiliter construxit. Postea vero delegato Sacerdotali officio, omnem ibidem cotidie cursum congruo ordine fecit celebrari. Tunc prædictus doctor Rodbertus cupiens aliquos adipisci socios ad doctrinam Evangelicæ „ veritatis, propriam repetivit patriam; iterumque cum duodecim revertens discipulis, secumque Virginem Christi, „ nomine Erentrudam adducens; quam in superiori castro Juvavensium statuens, ibidem colligens congregationem Sanctimonialium, & earum conversationem rationabiliter, sicut „ canonum deposcit ordo, per omnia disposuit. Ipse quoque „ assidue totum spatium istius circuiens patriæ, confirmans „ animas Christianorum, admonensque in fide fortiter permanere, quod verbis docuit, operibus adimplevit mirificis; „ ibique constructis consecratisque Ecclesiis, ordinatisque inferioribus & superioribus gradibus, proprium sibi ordinavit „ Successorem. (*Vitalem nimirum*) Ipse vero præsciens longe

„ ge ante diem vocationis suæ, confirmatis discipulis, ad propriam remeavit sedem: ibique astantibus admonitione divina fratribus peracta, inter verba orationis, spiritum reddidit in pace, die videlicet Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi (*anno scil.* 718. *juxta Pagium* num. 7.) ad cujus sepulcrum exuberant innumerabilia beneficia curationum cunctis fidelibus petentibus usque in hodiernum diem. Igitur post discessum B. Rodberti Pontificis, vir carus omni populo egregiusque doctor & seminator Verbi Dei, Vitalis Episcopus sedem Juvavensem regendam suscepit. Post cujus transitum Ansologus extitit Abbas. Post cujus depositionem prædictæ sedi adhæsit Savolus Abbas: cujus rite finito cursu, Ezius Abbas successit. Quo migrante de seculo, iterato illa sedes honorata refulsit, Episcopo Flobargiso: post quem Johannes (*a*) pastoralem gessit in sede præfata curam.

„ Iisdem temporibus, scilicet Ottilonis Ducis Bavariorum (qui tunc jam subjectus fuit Regi Pipino Francorum) venit quidam vir sapiens & bene doctus de Hybernia insula nomine Virgilius ad prædictum Regem in Franciam, loco vocato Karisiaco. Qui propter Dei amorem retinuit eum secum fere duobus annis, & comperto eo bene docto, misit eum præfato Duci Ottiloni, ac concessit ei Episcopatum Salzburgensem. Qui dissimulavit ordinationem ferme duorum annorum spatiis habens, pro se Episcopum fecit comitantem de patria, nomine (*b*) Dabda Græcum, ad persolvendum Episcopale officium. Postea vero petentibus populis & Episcopis regionis illius, consensit Virgilius consecrationem accipere; ac ordinatus est a comprovincialibus præsulibus ad „ Epi-

---

a Episcopi Juvavenses seu Salisburgenses post S. Rodbertum fuere, *Vitalis*, *Flobargisus*, & *Joannes*, consecratus a S. Bonifacio anno 739. Abbates vero Monasterii S. Petri *Ansologus*, *Savolus*, *Ezius*. Vide Pagium ad ann. 696. num. 13. & seqq. & Hansizium Tom. 2. German. Sacr. pag. 70.

b *Al. Dobda*, *Græcus*, vocibus distinctis. Alibi uno vocabulo, *Dobdagrecus*, item *Dobdagreus*. Aventinus Græcum *Sacerdotem* appellat. Hansizius tom. 2. pag. 80. censet, non alium esse, quàm *Dabdam*, seu *Dabdanum*, *eundem* cum *Dadano* incertæ Ecclesiæ Episcopo, qui anno 742. XI. Kal. maji concilio Germanico per S. Bonifacium celebrato interfuit. Pagius *Dadanum* illum *Episcopum Regionarium* vocat. Fuisse autem S. Virgilii suffraganeum, ex his actis liquet. Hundius in Metrop. Salisburgensi pag. 3. „ *Græco autem illi Magistro* (inquit) & Sacerdoti Dobdan tradidit Otilo „ Sedem Chiemensem, ubi aperuit ille scholam, & agmina discentium quamplurima „ habuit.

„ Episcopum, anno scil. nativitatis (*a*) Domini 767. XVII. „ Kal. Julii. A Bajoariis ad Carantanos & Moravos idem Au- „ ctor progreditur, sic scribens.

„ Hactenus prænotatum est, qualiter: Bojarii facti sunt „ Christiani, seu numerus Episcoporum & Abbatum conscri- „ ptus in sede Juvavensi. Nunc adjiciendum est, qualiter Slavi „ qui dicuntur Charentani, & confines eorum fide sancta instru- „ cti, christianique effecti sunt; seu quomodo Hunni Romanos „ & Gothos atque Japideos (*Gepidas*) de inferiori Pannonia „ expulerunt, & illam possederunt regionem, quoadusque Fran- „ ci & Bojarii cum Charantenis continuis affligendo bellis su- „ peraverunt. Eos autem qui obediebant, fidei Baptismum sunt „ consecuti, tributariosque Regum fecerunt, & terram quam „ possederunt residui adhuc pro tributo retinent Regis usque „ in hodiernum diem. Nunc recapitulandum de Charentanis.

„ Temporibus gloriosi Regis Francorum Dagoberti, qui- „ dam Slavus, Samo nomine, manens in Charentis, fuit dux „ gentis illius, qui venientes, negotiatores Dagoberti Regis, „ interficere jussit, & regna exspoliavit pecunia. Quod dum „ comperit Dagobertus Rex, misit exercitum suum, & da- „ mnum quod ei idem Samo fecerat, vindicare jussit: sicque „ fecerunt qui ab eo illuc missi sunt, & Regis servitio subdide- „ runt illos. Non multo post tempore Hunni eosdem Caran- „ tanos hostili seditione graviter affligere, fuitque tunc dux „ eorum nomine Boruth, qui Hunnorum exercitum contra eos „ cernens, Bojariis nunciari fecit, eosque rogavit sibi in auxi- „ lium venire. Illi quoque festine venientes, expugnaverunt „ Hunnos, & obfirmaverunt Carantanos, servitutique eos „ Regum subjecerunt, similiterque confines eorum, duxerunt- „ que inde secum obsides in Bojariam, inter quos erat filius Bo- „ ruth, Cacatius (*al. Karastus*) quem pater ejus more

a Pagius legendum putat, anno 746. vel 747. Hansizius Tom. 2. Germ. Sacr. pag. 84. „ Necesse est (ait) in alterutro cubare mendum. Vel enim pro duorum anno- „ rum dissimulatione, scribendum erit, Viginti duorum: tot enim præcise ab an- „ no 745. ad 767. fluxerunt: Vel pro anno 767. substituendus annus 747. traje- „ ctione dumtaxat literarum numeralium. Mox rejecto tum anno 747. tum anno 754. vel 756. vel 764. (qui in Lectionibus quibusdam officii Salisburgen. occurrunt) concludit, aut scribendum *anno* 767. XVIII. *Kal. Jul.* aut 766. XVII. *Kal. Jul.* nam alterutra dies fuit *Dominica* anno 767. & 766.

„ Christiano nutrire rogavit, & christianum facere, sicut &
„ factum est. Et de Chetumaro filio fratris sui similiter postula-
„ vit. Mortuo autem Boruth, per jussionem Francorum Boja-
„ rii Cacatium jam christianum factum, petentibus eisdem Sla-
„ vis remiserunt, & illum ducem fecerunt. Sed ille tertio po-
„ stea anno defunctus est. Iterum autem per missionem Domini
„ Pipini Regis, ipsis populis petentibus, redditus est eis Che-
„ tumarus Christianus factus. Qui etiam Lupo Presbytero or-
„ dinato in Juvavensi Sede in insulam Chemingi lacus, qui
„ Avva vocatur, dedit Nepotem suum Majoranum ad Presby-
„ terum jam ordinatum. Et quia compater ejus erat, idem Lu-
„ pus Presbyter docuit eum, ut se ad Juvavense Monasterium
„ devota mente ad Christianitatis officium subdidisset. Quem
„ suscipientes eidem populi Ducatum illi detulerunt. Ille ve-
„ ro secum habens Majoranum Presbyterum in Juvavensi Mo-
„ nasterio ordinatum Presbyterum, qui admonuit ipsum ad il-
„ lud Monasterium suum caput declinare in servitium Dei: &
„ ille ita fecit, atque annis singulis ibidem suum servitium per-
„ solvebat, & inde semper doctrinam & officium Christianita-
„ tis percepit usque dum vixit. Exactis aliquantis temporibus,
„ prænominatus Dux Carantanorum petiit Virgilium Episco-
„ pum visitare populum gentis illius, illosque in fide firmiter
„ confortare. Quod ille tunc minime adimplere valuit; sed sua
„ vice misso suo Episcopo, nomine Modesto, ad docendum il-
„ lam plebem, & cum eo Watonem, Reginbertum, Gontha-
„ rium atque Latinum Presbyteros suos, & Rihardum Diaco-
„ num cum aliis Clericis, dans eis licentiam Ecclesias conse-
„ crare, & Clericos ordinare, juxta Canonum definitionem,
„ nihilque sibi usurpare quod Decretis Sanctorum Patrum con-
„ trairet. Qui venientes Carantanis, dedicaverunt ibi Eccle-
„ siam S. Mariæ in Solio, & aliam in (*a*) Liburnia civitate
„ sua Adundrinas, & in aliis quamplurimis locis, ibique per-
„ mansit usque ad vitæ suæ finem. Eo ergo defuncto Episcopo,
„ postulavit iterum idem Chetimarus Dux Virgilium Episco-
„ pum, si fieri posset, ut ad se veniret. Quod ille renuit,
„ orta

a Freher. *Vburnia*. Hansiz. tom. 2. pag. 89. *Liburnia civitate sua Almidrinas*. idest suæ administrationis. Alii *Aλandrinas*, hoc est ex Græco πρὸς ἀνδρίαντας *Ad statuas*: seu ad Milstadium.

„ orta seditione quadam; Carinula (*a*) dimisit: sed inito „ consilio misit ibidem Latinum Presbyterum. Et non multo „ post orta alia seditione exivit inde ipse Latinus Presbyter. „ Sedata autem Carinula misit iterum Virgilius Episcopus Ma„ dalhodum Presbyterum, & post eum Warmannum Presby„ terum. Mortuo autem Chetimaro, & orta seditione ali„ quot annis nullus Presbyter ibi erat, usque dum Walinck „ (*b*) Dux eorum misit iterum ad Virgilium Episcopum, & „ petiit ibidem Presbyteros mittere, qui tunc misit eis Heimo„ nem Presbyterum, & Reginbaldum Presbyterum, atque „ Majoranum Diaconum cum aliis Clericis. Non multo post, mi„ sit iterum ibidem eundem Heimonem, & Dupliterum, ac Ma„ joranum Presbyteros, & alios Clericos cum eis: iterumque „ misit eis Gontharium Presbyterum, Majoranum, & Erchem„ bertum: post eos, Regenbaldum, & Regenhardum Presby„ teros; ac deinde Majoranum & Augustinum Presbyteros, „ iterumque Regenbaldum & Gontharium: & hoc sub Virgi„ lio factum est Episcopo. Antiquis enim temporibus ex me„ ridiana parte Danubii in plagis Pannoniæ inferioris & circa „ confines regionis Romani præsederunt, ipsique ibi civitates „ & munitiones ad defensionem sui fecerunt, aliaque ædificia „ multa, sicut adhuc apparet. Qui etiam Gothos & Japidos „ (*Gepidas*) suæ ditioni subdiderunt. Sed post annos nativi„ tatis Domini 377. & amplius, Hunni ex sedibus suis in Aqui„ lonis parte Danubii & in desertis locis habitantes, transfretan„ tes, expulerunt Romanos & Gothos atque Gepidos. Tunc „ vero Slavi post Hunnos inde expulsos venientes, cœperunt „ istis partibus Danubium diversas regiones inhabitare.

V.
Animadversiones in Auctorem Conversionis Bajoariorum & Carantanorum, & in Hansizium ipsius illustratorem, qui Slavos Carantanos cum Slavis Vvinidis seu Transalbianis confundunt.

Quamquam hic Auctor sit pervetustus (quippe qui anno Christo 871. scribebat) illud tamen minus accurate scripsit, *& Samonem genere Slavum, & Carentanos jam a Dagoberto Rege qui bellum contra Samonem tribus è partibus gessit, servitio Francorum fuisse subjectos*, quum constet, Samonem quidem genere Francum, non Slavum fuisse; gentem autem cui is præerat, neque in Carantana habitasse; neque Francis sub-

a Hansiz. „ quod ille renuit orta seditione quod Carmula dicimus: sed inito con„ silio &c. „ *& infra*. „ Sedata autem Carmula, misit iterum &c.

b Hansiz. *Vvalthinth*; al. *Vvaltunc*, & *Vvalchune*.

ſubjacuiſſe: id quod patet ex annuis, quæ deinde facta ſunt, Winidorum in Thuringiam & Bajoariam incurſionibus. Recole quæ Tom. 2. cap. 1. num. XIII. a pag. 23. obſervavi in hanc de Carantanis narrationem. Hanſizius: „ Olim quidem ſub ævo „ Juſtiniani Imperatoris, quando Theodebertus Rex arma ul- „ tra Bajoariam ad Venetorum uſque fines protulit, effecitque, „ ut in Metropoli Norici Tiburnia Gallicani Epiſcopi Præſulem „ poſſent conſtituere, factum illud, quod ſcribit Fredega- „ rius, *ut pars gentis Sclavorum ad Regnum Francorum aſpi-* „ *ceret*. Verum & iſti deinde Slavi defecerunt, eodem Frede- „ gario teſte: Dervianus dux gentis Urbiorum, quæ ex ge- „ nere Slavorum erant, & ad Regnum Francorum jam olim „ aſpexerant, ſe ad Regnum Samoni cum ſuis tradidit. „ Hæc Hanſizius (*a*) Tom. 2. pag. 88. qui tamen quænam *Urbiorum gens* fuerit, minime exponit: nam *Ubii*, gens Germanica ad Rhenum ſita, Coloniæ Agrippinæ incolæ, de quibus Cellarius Geograph. antiq. l. 2. cap. 13. pag. 326. agit, longe diſtant à Samonis Regno, qui apud Winidos, non apud Carantanos regnabat. Etiam apud Reginonem ad ann. 789. memorantur *Urbi* populi, quos Carolus magnus unacum Slavis Abotritis & Wilzis edomuit: verùm corruptum id nomen, & pro *Urbi* legendum *Sorabi*, ex aliis Annaliſtis liquet. Quamobrem laudatus quoque Fredegarii textus eſt omnino emendandus ex Aimoino, qui lib. 4. Hiſtoriæ Francorum cap. 23. poſtquam legationem a Dagoberto ad Samonem Sclavorum Winidorum Regem miſſam, & prælium cum

a Idem Hanſizius Tom. 1. pag. 96. de Honnis & Slavis Pannoniam & Noricum invadentibus ſic ſcribit: „ Occuparunt Slavi hoc tempore (*circa ann.* 569. agrum Ce- „ lejenſem, facti Laogorbador. tributarii, uti colligitur ex Paulo Diacono lib. 4. „ cap. 40. qui vocat *Zelliam Sclavorum regionem*, Ducibus Forojulii ſubjectam. „ *Et mox addit*: Erant tamen Sclavi potiorem partem Avaribus ſubjecti, eorumque „ veluti clientelares: lares enim ſuos Huoniæ hibernantibus commodare cogebantur: „ &, ſi quando dimicandum erat, diſcrimen ipſi ſubire primi velut animæ viliores; „ *ſi vincerent, Chuni ad capiendas ſubibant prædas: ſin autem ſuccumberent, Hunno-* „ *rum auxilio fulciebantur*: inde dicti *biſulci*, eo quod duplici in congreſſione certa- „ minis veſtitu prælia facientes, Chunos præcederent; uti ſcribit Fredegarius; qui „ & memorat gentem *Virbiorum* Sclavici generis dudum ante annum 630. ad regnum „ Francorum aſpexiſſe. „ Neque *Urbii*, neque *Virbii* uſquam populi exſtiterunt: Sed *Deruanus*, qui urbium Slavicarum præfectus erat, audita Samonis & Vinidorum Slavorum victoria, a Francis ad eoſdem Slavos defecit. Vocem *Biſulcus*, Cangius in ſuo medii ævi Lexico omiſit. Videtur formata vox aut a Latino *Biſurcus*, aut potius a *Bubulcus*, qui Italice ſonat *Biſolco*. Slavi enim apud Hunnos erant infimæ conditionis æque ac *Bubulci* & *Ruſtici*.

cum eo infeliciter commissum narrasset, sic subjungit: „ Hac vi-
„ ctoria Winidi animosiores redditi, in Thoringam & circumja-
„ centes Francorum terras sese effundunt: ita ut Deruanus Dux,
„ qui urbibus præerat Sclavorum, quæ usque ad id tempus Fran-
„ cis paruerant, desperatis rebus se ad cæteros transferret Scla-
„ vos. *Et concludit:* Enimvero non tam virtute Winidorum hæc
„ clades accidit Francis, quantum ignavia Austrasiorum. Alio-
„ quin vindictam, quam sub Chlothario in Saxones, hanc ipsam
„ sub Dagoberto in Sclavos exercuissent.„ Itaque toto cœlo er-
rat Auctor historiæ *Conversionis Bojorum & Carantanorum*, dum
Samonis Regnum in Carantania ponit, quæ Carantania seu Ca-
rinthia immenso terrarum spatio a Winidorum Sclavorum in-
ter Viadrum & Albim habitantium regione distat. Audiatur Hel-
moldus in chron. Slavorum cap. 1. sic de Slavis Vinidis scribens.
„ Slavorum ergo populi multi sunt, habitantes in litore Baltici
„ maris. *& mox*. Hoc mare multæ circumsedent nationes: Dani
„ siquidem, ac Sveones, quos Northmannos vocamus, septentrio-
„ nale litus, & omnes in eo obtinent insulas. At litus Australe,
„ Slavorum incolunt nationes, quorum ab Oriente primi sunt
„ Ruzi, deinde Poloni habentes a septentrione Pruzos, ab au-
„ stro Bojemos, & eos qui dicuntur Morahi sive Carinthi,
„ atque Sorabi. „ Ubi Reineccius ad marginem notat, *hanc
particulam (sive Carinthi) emendatiores Codices non habere*: &
quidem recte: nam Moravia diversa est a Carinthia, & Mora-
vi a Carinthis: uti res est omnibus nota. Idem Helmoldus cap. 2.
de Winidis, quos Winithos, & Winulos appellat: „ Ubi
„ ergo Polonia finem facit, pervenitur ad amplissimam Slavo-
„ rum provinciam, eorum qui antiquitus Wandali, nunc au-
„ tem Winithi sive Winuli appellantur. Horum primi sunt
„ Pomerani, quorum sedes portenduntur usque ad Odoram.
„ est autem Odora (*a*) ditissimus amnis Slavicæ regionis, &
„ oritur in profundissimo saltu Marahorum, qui sunt ab Orien-
„ te Bohëmiæ, ubi & Albia sortitur principium, nec longis ab
„ invicem distant spatiis, sed diverso currunt meatu: Albia
„ enim in occasum ruens, primo impetu Boëmos alluit cum
„ Sorabis, medio cursu Slavos dirimit a Saxonibus, novissimo
„ Ham-

a Odora: antiquis Viader, seu Viadrus fluvius.

„ Hammenburgenſem dividens parochiam a Bremenſi, victor Oceanum ingreditur Britannicum: alter fluvius, ideſt, „ Odora, vergens in Boream, tranſit per medios Vvinulorum populos, dividens Pomeranos à Wilzis. „ Cetera ibi legenda de diverſis Slavorum Vinidorum populis inter Albim & Odoram degentibus. En regnum Samonis ultra Danubium ad Boream inter Albim & Viadrum uſque ad Balticum mare. At *Carinthia*, quam Auctor ille *Carantaniam* vocat, cis Danubium ſita eſt, a Dravo fluvio bifariam ſecata, Norici olim pars, habens ab ortu & ſeptentrione Styriam, ab occaſu & meridie Alpes & Forojulienſem provinciam. Quamobrem cl. Hanſizius ſibi ipſe repugnare mihi videtur, dum Tom. I. Germ. Sacræ pag. 102. & ſeq. ad demonſtrandum, Bojos ante S. Rodberti tempora jam Chriſtianam religionem ſuſcepiſſe, profert vetuſta quædam monumenta de Sanctis Viris, Columbano Abbate, Euſtaſio item Abbate, & Amando Epiſcopo, qui perhibentur, non Bojis tantum, ſed etiam Slavis ad fidem Chriſti perducendis operam dediſſe: tum progreditur ad factum Samonis Slavorum Regis, inquiens: „ Sclavinos non ab homine „ aliquo uno gubernatos fuiſſe, ſed ab antiquo plebeja communique libertate vixiſſe; verùm poſtea ab Hunnis oppreſſi, „ Regem aſcivere Samonem, qui Francus (*a*) erat, negotiationis gratia ad eos profectus. Anno 622. bellum inter „ Sclavos & Avares ardebat; cujus cauſa erat jugum Sclavis „ intolerandum, quo ab Hunnis premebantur. Eo in prælio „ quod virtus præcipue Samonis enituiſſet, Sclavi Regem juſſere, qui annos 35. (*imo* 36.) regnum illud ſtrenue feliciterque geſſit multa Avarum & Francorum clade. „ Pergit demum ſtatuens Slavorum hujuſmodi Regnum ad regionem ſupra Anaſum fluvium: „ Illud ſane conſtat (inquiens) Sclavos ditionem ſuam ea, ut videtur, victoria trans Alpes Noricas in „ Aquilonem late propagaſſe. Certum namque eſt circa ſuperiores Anaſi Traunique fluminis partes habitaſſe *Sclavinos* ſeu „ *Vinidos*; ex iis veniſſe nomen loci *Vvindiſch Garſten*; diſerteque in diplomatibus fundationis Chrembs-Munſtrenſis a Taſ- „ ſilone

a Ergo non *Slavus*: uti perperam ab auctore converſionis Bojorum & Carantanorum appellatur. Nam Hanſizius pag. 103. *Francum* aſſerit Samonem, & pag. 104. cum ait Oriundum ex pago Senegago quæ pars eſt Belgicæ juxta Bruxellam.

„ silone & Carolo Magno conscriptis, nominantur Coloni *Sclavini* & decania *Sclavorum* infra locum, qui vocatur *Forst ad Todicha & ad Sirnicha, quam terram Sclavi cultam fecerant*, „ ut ibidem dicitur: *& in territorio Grunzwiti juxta montem Sumerberck.* Rursus in diplomate Ludovici Pii ann. 825. „ conceditur Patagero cuidam *Villa prope fluvium Enisa*, quæ „ dicitur Gravesdorff quæ est sita in parte Sclavanorum. Ita ibi. „ Hinc regio illa propter *Sclavos Carantanos* nomen traxit *Carantaniæ*, uti liquet ex vetustis literis præcipue Carolomanni „ anno 878. quibus ad S. Maximilianum & S. Felicitatem, *quorum corpora*, inquit, *ad Otingas in novam Basilicam collocare curavimus*, *tradit quasdam res proprietatis in partibus Carantaniæ Sclaviniæque regionis sitas*, *nempe curtem ad Trebinam*, *& alia quæ tendunt in partes Occidentales sursum per fluvium Traun usque ad Buochun*: *in Aquilone inter duos lacus*, *qui ibi sunt &c.* Sic in literis fundationis Monasterii Gotwicensis mentio fit *Trasamæ* fluvii, quod is oriatur „ *in Carinthia ad Occidentem*: quum certum sit eum fluvium in Styrensi Marcha haud procul ab Hochenbergo prosilire. Sed hæc hactenus. „ Accolebant itaque Anasum fluvium & Avares, & Sclavi. Atque hæc ipsa, quæ Hansizius producit documenta, ostendunt, ad Slavos Carantanos referri non posse ea, quæ de Samone deque Slavis Vinidis narrantur. Nam Vinidi Slavi, uti supradictum est, trans Danubium in septentrionali parte inter Albim & Viadrum habitabant. Slavi autem Carantani cis Danubium circa superiores Anasi Traunique fluminum partes, eodem Hansizio teste, accolebant.

VI. Slavorum Winidorum Reges à Carantanis Ducibus diversi.

Itaque ad *Carantanos Slavos*, non ad *Vinidos*, ea Regum series est referenda, quam Scriptores rerum Slavicarum tradunt de *Borutho* ejusque successoribus *Karasto* & *Chetimaro*. E contrario *Slavis Vinidis* tribuendam esse existimo alteram seriem, quam iidem Scriptores post *Samonem* memorant, Regum scilicet *Marothi* seu *Maravodi*, qui sub annum 690., & *Svathis*, seu *Svatosi* qui circa annum 720. regnasse perhibentur. Quibus addi possunt *Vvitzan* Rex Sclavorum Abotritorum, & Vvilsorum seu Vveletaborum, qui anno 789. a Carolo M. subjugatus fuit: *Thrasico* Rex Abotritor. anno 798. 804. & 808. *Miliduoh* Slavorum Soraborum anno 806. *Godelaibus* Abotritorum

rum anno 808. *Ceadragus* Thrasiconis fil. & *Sclaomir* Abotritorum Reges anno 817. 818. 821. *Liubus*, *Meligastus*, & *Ceadragus* Wilsorum 823. *Tunglo Soraborum* 826. ex Francicis Analibus supra enumerati: qui certe ad Carinthiam nullo modo spectare possunt. Sed redeo ad Auctorem historiæ conversionis Bojorum & Carantanorum.

VII. Hunnis ejectis Slavi Pannoniam inhabitant.

„ Sed nunc qualiter Hunni inde (è *Pannonia*) expulsi „ sunt, & Slavi inhabitare cœperunt, & illa pars Pannoniæ ad „ Diœcesim Juvavensem conversa est, ediscendum putamus. „ Igitur Carolus Imperator anno nativitatis Domini 796. Ericum (*a*) Comitem destinavit, & cum eo immensam multitudinem Hunnos exterminare. Qui minime resistentes, rediderunt se per præfatum Comitem Carolo Imperatori. „ Eodem ergo anno misit Carolus Pipinum filium suum in Hunniam cum exercitu multo: qui perveniens usque ad „ celebrem eorum locum, qui dicitur Rinch, ubi iterum „ omnes Principes se dediderunt Pipino, qui inde revertens, „ partem Pannoniæ circa locum Pelessæ inferioris ultra fluvium qui dicitur Rapa, & sic usque ad Dravum fluvium, & eo „ usque ubi Dravus fluit in Danubium, prout potestatem habuit, „ prænominavit, eum doctrina & Ecclesiastico officio procurare populum qui remansit de Hunnis & Slavis in illis partibus, Arnoni Juvavensium Episcopo, usque ad præsentiam „ genitoris sui Caroli Imperatoris. Postmodum (*b*) ergo „ anno 803. Carolus Imp. Bojariam intravit, & in mense octobri „ Salzpurgensem, & præfatam concessionem filii sui cernens potestative multis astantibus fidelibus suis confirmavit, & in-

„ con-

a Annales Bertiniani ad ann. 796. „ Sed & Heiricus Dox Forojuliensis missis hominibus suis cum Wonomiro Sclavo in Pannonias directo, Hringum gentis Avarorum longis retro temporibus quietum, civili bello fatigatis inter se Principibus, „ spoliavit. „ Ita & Metensis. At Anonymus noster apod Hansiz. Tom. 2. pag. 107. *Alricum Comitem* vocat.

b Annalista Metensis. Anno 803. Imperator post Pascha ab Aquis profectus ad Magontiam venit... Qui (legati Niecphori Imperatoris) venerunt ad Imperatorem in Germania super fluvium Sala, in loco qui dicitur Salz... Imperator autem Bajoariam profectus... inde vero ad Regenesburch veniens, dispositis his quæ utilia videbantur esse, adventum exercitus de Pannonia redeuntis præstolabatur. Quibus reversis, obviam illis ad Regenesburch venit. Ibi etiam cum illis Zodan Princeps Pannoniæ veniens, Imperatori se tradidit. Multi quoque Sclavi & Hunni in eodem Conventu fuerunt, & se, cum omnibus quæ possidebant, Imperatoris Dominio subdiderunt, constitutisque omnibus utilitatibus quæ in illis partibus necessaria erant, per Alemanniam & per Wormatiam &c.

„ convulsam fieri concessit. Simili etiam (*a*) modo Arnon „ Episcopus, Successor Virgilii, Sedis Juvavensis deinceps cu„ ram gessit pastoralem, undique ordinans Presbyteros, & „ mittens in Slavoniam, in partes videlicet Charantanas atque „ inferioris Pannoniæ illis Ducibus atque Comitibus, sicut pri„ dem Virgilius fecit. Quorum unus Ingo vocabatur, mul„ tum charus populis & amabilis propter suam pruden„ tiam, tam obediens omnibus populis, ut si cuique vel char„ ta sine literis ab illo directa fuit, nullus ausus est suum negli„ gere præceptum. Ore servos credentes secum vocavit ad „ mensam; & qui eorum dominabantur infideles, foris quasi „ canes sedere fecit, ponendo ante illos panem & carnes, & „ fusa vasa cum vino, ut sic sumerent victus. Servis autem „ staupis deauratis propinare jussit. Tunc interrogantes primi „ de foris dixerunt: cur nobis facis sic? At ille: non estis di„ gni, non ablutis corporibus cum sacro fonte renatis commu„ nicare; sed foris domum, ut canes, sumere victus. Ite„ rum contigit, anno videlicet nativitatis Domini 798. Arno„ nem jamdictum Episcopum a Leone Papa accepto Pallio, re„ meando de Roma venisse ultra Padum, eique obviasse Mis„ sum Caroli cum epistola sua, mandans illi ipsi itinere in par„ tes Slavorum ire, & exquirere voluntatem populi illius, & „ prædicare ibi Verbum Dei. Sed quia hoc facere nequibat, „ antequam responsum referret suæ legationis, festine perrexit „ ad Imperatorem, & retulit ei quicquid per eum Dominus Leo „ Papa mandavit. Post expletam legationem Imperator præce„ pit Arnoni Archiepiscopo pergere in partes Slavorum, & „ prævidere omnem illam regionem, Ecclesiasticum officium „ more Episcopali colere, populosque in fide & Christianita„ te prædicando confortare. Sicut ille præcepit, fecit: illuc „ veniendo consecravit Ecclesias, ordinavit Presbyteros, po„ pulumque prædicando docuit, & inde rediens nunciavit „ Imperatori, quod magna utilitas ibi potuisset effici, si quis

a Apud Hansiz. tom. 2. pag. 103. addit Anonymus. „ Terram porro, unde illi „ expulsi sunt Hunni, cœperunt populi sive Sclavi vel Bajoarii inhabitare & multi„ plicari: quum Arno Episcopus successor Virgilii, undique ordinavit Presbyteros, „ & misit in Sclaviam, in partes videlicet Carantanas, atque inferioris Pannoniæ, „ illis Ducibus atque Comitibus, sicut pridem Virgilius fecit. Quorum unus „ Ingo vocabatur &c.

„ inde habuisset certamen. Tunc jussu Imperatoris ordinatus
„ est Theodoricus Episcopus ab Arnone Episcopo Juvaven-
„ sium. Quem ipse Arnon & Geroldus Comes perducentes in
„ Slavoniam, dederunt in manus Principum, commendantes
„ illi Episcopo regionem Charantanorum & confines eorum
„ Occidentali parte Drani (*Dravi*) fluminis, usque dum
„ Dravus fluit in amnem Danubii, ut potestative populum
„ regeret sua prædicatione & Evangelica doctrina doceret ser-
„ vire Deo, & ut Ecclesias constructas dedicasset, Presbyteros
„ ordinando constituisset, totumque Ecclesiasticum officium
„ cunctis partibus, prout Canonicus ordo exposcit, perficeret,
„ dominationem & subjectionem habens Juvavensium Recto-
„ rum: sicut ille fecit, quamdiu vixit. Post diem vero transi-
„ tus de hoc sæculo Arnonis Archiepiscopi anno 821., Adal-
„ rammus piissimus doctor sedem Juvavensem suscepit regen-
„ dam. Qui inter cætera beneficiorum opera, finito cursu
„ Theodorici Episcopi, prout Arno Archiepiscopus antea
„ Theodorico Episcopo Slavos commisit, ita & ipse Othonem
„ constituit Episcopum. Ipse enim Adalrammus anno nativ.
„ Christi 823. Pallium accepit ab Eugenio Papa, rexitque gre-
„ gem sibi commissum xv. annos; eoque superna clementia
„ vocante a nexibus corporis absoluto, Luitprammus Venera-
„ bilis prædictæ Sedis Pontificatum accepit Pastor. Quem
„ Gregorius Papa Pallio honoravit anno 836. Qui innumera-
„ bilibus Deo placitis operibus peractis, sidereas conscendit
„ sedes anno 858. Cui successit, quem ipse nutrivit, Adal-
„ vvinus Venerabilis Præsul, Pallio honoratus a Nicolao Pa-
„ pa, ad præsens enitet tempus, cum omni regens diligentia
„ divinitus gregem sibi commissum. Quorum temporibus,
„ Luitprammi videlicet, & Adalvvini Archiepiscoporum,
„ Oswaldus Episcopus Slavorum regebat gentem, prout jam
„ priscis temporibus jamdicti Episcopi fecerunt, subjecti Epi-
„ scopis Juvavensium. Et adhuc ipse Adalvvinus Archiepisco-
„ pus per semetipsum regere studet illam gentem in nomine
„ Domini, sicut jam in illis regionibus claret multis locis.

VIII. Slavi Carinthiæ Duces. Confinii Comites. Moravorum Duces.

De Carinthiæ Ducibus pauca sunt hic observanda. Anonymus noster *Ingonem* sub Arnone Juvavensium Archiepiscopo Slavis Carantanis ducem præfuisse scribit, inquiens: *Quorum unus*

unus Ingo vocabatur; nimirum, unus è pluribus Carinthiæ Ducibus atque Comitibus. Post *Ingonem* idem Anonymus sequentes memorat Duces: *Brivvizhluuga*, seu, ut in editis legitur, *Prinnihlauuga*: *Cemicas*, seu ut alii, *Ceincias*. *Zhtoimar*, seu *Hroymar*. *Etgar*. Hansiz. tom. 2. pag. 104. „ Quis horum „ *Domitianus* fuerit, conjecturæ relinquitur. Bollandus existimat esse *Ceinciam*, seu *Cemicam*, ob affinitatem nonnullam vocabuli, qua videtur *Domitianus* ore plebejo demutatus in *Ceinciam*. Quod ut ita sit, tamen quærere subit, quid hoc potissimum nomen, alias vulgo non usitatum Duci obvenerit. Invenio in historia Leodiensi momentum aliquod conjecturæ, cur & quando *Domitianus* appellari coeptus sit. Circa hæc ipsa tempora, nempe anno, ut ibi proditur 799. Kal. Julii (an potius anno 798. quo Kalendæ Julii in diem Dominicam inciderunt?) in oppido Belgarum Hujensi facta est ab Hildebaldo Coloniensi magna cum celebritate elevatio ac Translatio ossium *S. Domitiani* Tungrensis quondam Episcopi; cui festo vel quod Arno interfuerit, vel recentis solemnitatis fama adeo claruerit; non ex vano videtur occasio fuisse ejusdem sancti nomen, Duci Carantanorum in Baptismo imponendi; ex quo & ætatem ejusdem Ducis intelligere liceat: Qua intellecta, jam in promptu est, Domitianum haud alium fuisse, quàm ipsum illum *Ingonem*, de quo supra, devictis nuper & expulsis Hunnis, per Legatos Arnonis, aggregatum ad Christi cultum: è quo novum nomen in Baptismo sortitus est; statuitque ad imprimendam popularibus religionem, ritum illum inaugurandi Ducis in posterum observari. „ Quem videlicet ritum idem Hansizius paulo superius sic describit. „ Visitur hodieque in campo prope „ *Solium* locus, ubi vetus Coloniæ *Flavium Solvense*, steterat, „ sedile saxeum, cujus imaginem Megiserus in Carinthiæ Annalibus cælo expressam exhibet. Eo novus Princeps agresti cultu vestitus deducitur; sedemque a ruricola, cujus id gentile munus est, LX. denariis & duobus jumentis bove & equa redimit; ad hæc spondet justum fore judicem, religionis item Christianæ cultorem & defensorem. Addit Lazius lib. 12. Reip. Rom. ab se lapidem illum diligentius circumspectum, postremo in saxo a tribunali illo vetustate deciso, *Domitiani* „ *Prin-*

„ *Principis inscriptionem literis antiquissimis reperisse*. Hoc „ ipsum habet Hofinanus in *V. Carinthiæ*: Incolas ferunt privi- „ legio ornatos esse novos Duces inaugurandi, Duce rusticana „ veste in florido prato adstante: Idque factum, quia primi fi- „ dem Christianam sint amplexi „ Quod tamen verum non est: nam ante hunc *Ingonem* (quem *Domitianum* etiam vocant) alii Carinthiæ Principes, *Boruth* nempe, *Karastus*, & *Chetimarus*, fidem Christi amplexi fuerant, uti supra ex Anonymo nostro narratum est. Quæ vero de eodem Ingone narrantur, servos scilicet Christianos ad mensam adhibente; infideles vero, foris quasi canes, sedere faciente; eadem mutato nomine leguntur facta à Svatopeleco Moraviæ Principe & a S. Methodio Episcopo, cum Boriwojo Bohemiæ Duce. Quis ab altero acceperit, judicium lectori relinquo.

„ Enumeratis itaque (*pergit Anonymus*) Episcopis Ju- „ vavensium, conamur, prout veracius in chronicis Impera- „ torum & Regum Francorum & Bajoariorum scriptum repe- „ rimus, scire volentibus manifestare. Postquam ergo Caro- „ lus Imperator, Hunnis ejectis, Episcopatus dignitatem Juva- „ vensis Ecclesiæ Rectori commendavit, Arnoni videlicet Ar- „ chiepiscopo, & suis Successoribus tenendi perpetualiter atque „ regendi perdonavit: cœperuntque populi sive Slavi, si- „ ve Bojarii inhabitare terram, unde illi expulsi sunt Hunni, „ & multiplicari. Tunc primus ab Imperatore constitutus est „ Confinii Comes Gonterannus. II. Vverenharius. III. Al- „ bricus. IV. Gotefridus. V. Geroldus. Interim vero dum „ prædicti Comites Orientalem procurabant plagam, aliqui „ Duces habitavere in illis partibus ad jamdictam Sedem perti- „ nentibus. Qui Comitibus præfatis subditi fuere, ad servi- „ tium Imperatoris: quorum nomina sunt, Prinnihlavuga, „ Cemcias, Hroymar, Etgar. Post illos vero, Duces Bo- „ jarii cœperunt prædictam terram, dato Regum, habere in „ Comitatum, Hebriwinus, Albgarius, & Pabo. His ita „ peractis, Ratbodus suscepit defensionem termini: in cujus „ spatio temporis Prinnina (*a*) exulatus a Moymaro Duce „ Moravorum supra Danubium, venit ad Ratbodum. Qui „ statim

a Privina, Privvina & Privvininus dicitur apud Hansizium tom. cit. pag. 118. & seqq.

„ ſtatim præſentavit illum Domino Regi noſtro Ludovico: & „ ſuo juſſu fide inſtructus, baptizatus eſt in Eccleſia S. Marti- „ ni, loco Treiſma (*a*) vocato, ante videlicet pertinenti „ ad Sedem Juvavenſium: qui poſtea Ratbodo commiſſus, „ aliquod cum illo fuit tempus. Et non multo poſt (*b*) de „ Vulgariſis (*h. e. Bulgaria*) Hecilo, Ratimari Ducis adiit re- „ gionem: illoque tempore Ludovicus Rex Bojariorum miſit „ Ratbodum cum exercitu multo ad exterminandum Ratima- „ rum ducem. Qui diffiſus ſe defendi poſſe, in fugam con- „ verſus eſt cum ſuis, qui cædem evaſerunt: & prædictus Prin- „ ninas ſubſtitit, & cum ſuis pertranſivit fluvium Savum, ibi- „ que ſuſceptus a Salachone Comite, pacificatus eſt cum Ratbo- „ do. Aliqua vero occaſione iterum percepta, rogantibus præ- „ dicti Regis fidelibus, præſtitit Rex Prinninæ aliquam infe- „ rioris Pannoniæ in beneficium partem circa fluvium qui dici- „ tur (*c*) Sava.

IX.
Moymarus & Privvina, Duces Moravorum. Motavi Latinis Juvavenſibus ſubjecti uſque ad temporaMethodii.

En habemus *Moymarum* & *Privinnam* ſeu *Privvinam*, duos Moravorum Duces, ſub Ludovico Germaniæ Rege, qui anno 817. a Ludovico Pio patre Auguſto Rex Bajoariæ factus, vitam produxit uſque ad annum 876. Quo autem Chriſti anno hæc quæ ſupra de Moymaro ac Privinna ſunt narrata, contigerint, ex iis quæ idem Anonymus ſubjungit, manifeſtum fit. Porro quæ loca Privinnæ conceſſa ſint, habes ex adnotatione ad oram libri poſita.

„ Tunc cœpit ille (*inquit de Privinna partem inferioris* „ *Panneniæ circa Celejam obtinente*) ibi habitare, & muni- „ men

a Fluvius & locus Treiſmas, fuit tunc ultimus Bajoariæ Orientalis terminus. Nam quod ultra in Orientem erat, Pannonia vocabatur. Hanſiz. Tom. 2. pag. 125.

b Anonymus apud Hanſiz. Tom. 2. pag. 128. „ Interim exorta eſt inter illos anti- „ qua diſſenſio: quam Privvina timens, fugam iniit in regionem Vulgariam (*Bulga-* „ *riam*) cum ſuis, & Chozil filius ejus cum eo: & non multo poſt de Vulgariis, „ Ratimari Ducis adiit regionem: Illoque tempore Ludovicus Rex miſit Ratbodum „ cum exercitu multo ad exterminandum Ratimarum ducem &c.

c Anonymus apud Hanſiz. tom. 2. pag. 129. *qui dicitur Sana*. ubi hæc notat: „ manifeſtum eſt regionem Privinæ conceſſam, haud aliam eſſe, quam illam, quæ „ hodie Styriæ inferioris pars eſt, circa Sanam fluvium, qui non procul a mœnis „ vetuſtæ civitatis Celejæ meat, & vulgo comitatus Cileenſis vocatur. Ibi oppidum „ ſeu caſtrum a Privina conſtructum in Pala ſelude fluminis inde appellatum *Moſburch*, „ veluti ſitum in palude, inter Celejam & Petovium; ſitque Bettoviæ apud eundem „ Anonymum in recenſione vicinorum locorum mentio, uti & aliorum: quæ omnia „ quod vocabulis Teutonicis efferantur, manifeſtum eſt in Pannonia ulteri re quæ- „ renda non eſſe; ſed nec in Carantanis, ut Megiſerus & alii voluere, ſed in Pan- „ nonia inferiore, ubi Sana in Savum fluvium juxta Celejam influit.

„ men ædificare in quodam nemore, & Palaſſelede fluminis, „ & circumquaque populos congregare, ac multum ampliori „ in terra illa, cui quondam Adalrammus Archiepiſcopus „ ultra Danubium in ſua proprietate, loco vocato (*a*) Nitrava, conſecravit Eccleſiam. Sed poſtquam præfatum munimen ædificavit, conſtruxit infra primitus Eccleſiam; quam „ Luitprammus Archiepiſcopus quum in illa regione miniſterium Sacerdotale poteſtative exercuit, in illud veniens caſtrum, in honore S. Dei Genitricis Mariæ conſecravit, (*b*) „ anno videlicet 850. Ibi fuerunt præſentes (*c*) Chezhil, „ Unzhat, Chotemir, Liwtemir, Zeurbens, Silizz' Wulckma, Witemir, *& alii XXIII. quorum nomina referuntur*. Ipſi viderunt, & audierunt complacitationem illo „ die inter Luitprammum & Prinninam, quando illa dedicata eſt Eccleſia, ideſt, IX. Kal. Februarii. Tunc dedit Prinnina Presbyterum ſuum, nomine Dominicum, in manus „ & poteſtatem Luitprammi Archiepiſcopi, & Luitprammus „ illi Presbytero licentiam conceſſit in ſua Diœceſi Miſſam canendi, commendans illi Eccleſiam illam & populum procurandum, ſicut ordo Presbyteratus expoſcit. Indeque rediens idem Pontifex, & cum eo (*d*) Hezil, conſecravit „ Eccleſiam Sandrati Presbyteri, ad quam Hezil territorium „ & ſilvam ac prata in præſentia præfatorum virorum tradidit, & circumduxit hoc ipſum termino. Tunc (*e*) quoque ad Eccleſiam Eremberti Presbyteri, quam memoratus „ Præſul conſecravit, tradidit Hezil, ſicut Engeldich & filii „ ejus

---

a *Ntrava* in MSS., non *Nitervo*, ut eſt apud Freherum. Nitrava erat Privinæ ducis regia ubi Baſilicam Deiparæ dedicavit Adalrammus Juvavenſis Archiepiſcopus. Hanſiz. tom. 2. pag. 124. *Id anno 828. factum eſſe, in relatione Epiſcoporum Pataventium ſub Urolpho probavimus*. Hæc ille. Atqui ex diplomate Eugenii II. Papæ dato circa ann. 824. conſtat, *Alcuvinum* eo anno fuiſſe *Nitravienſem* in Muravia Epiſcopum. Igitur *Nitravia* ultra Danubium ſedes Epiſcopalis fuerat. Adde, Privinæ ditionem in inferiori Pannonia fuiſſe cis Danubium circa Celejam urbem. Alia eſt igitur hæc Privinæ Nitrava a Nitrava ſeu Nitria Epiſcopali ſede, trans Danubium ſita.

b *Anno videlicet* DCCCL. Hanſizius Tom. 2. pag. 129. legendum monet, *Anno* DCCCXL. *ut ex ſequentibus patebit*.

c *Ibi fuerunt præſentes Chezil*. Hanſiz. pag. 129. interpretatur, (*filius Privinæ*).

d *Hezil*. Idem ipſe eſt qui ſupra *Hezilo*: filius nimirum Privinæ Ducis, uti ſupra ex Anonymo apud Hanſizium obſervavi. Is autem ann. 865. adhuc in vivis erat, uti in hac ipſa Hiſtoria narratur. Hanſiz. tom. 2. pag. 129. *Et cum eo Hezil*; (*cum quo Privina pater regionem videtur partitus*.)

e In Freheriano hæc deſunt: leguntur autem in MSS. apud Hanſiz. tom. 2. pag. 130.

„ ejus duo, & Erenbertus Presbyter ibi habuerunt: & circum-
„ duxit præfatos viros ipsum terminum. Transactis itaque fe-
„ re duorum aut trium annorum spatiis (*hoc est circa an-*
„ *num* 843.) ad Salapurgin (*a*) consecravit in honore S. Ru-
„ perti Ecclesiam, quam Prinnina cum omni suprapositо tradi-
„ dit Deo, & S. Petro, atque S. Rudperto, perpetuo in
„ usum fructuarium Viris Dei Salzpurgensium habendi. Post-
„ modum vero roganti Privvinæ misit Luitprammus Archiepi-
„ scopus magistros de Salzpurg murarios & pictores, & fabros,
„ & lignarios, qui juxta (*b*) civitatem Prinninæ, honorabi-
„ lem Ecclesiam instruxerunt, quam ipse Luitprammus ædifi-
„ cari fecit, officiumque Ecclesiasticum ibidem colere peregit:
„ in qua Ecclesia (*c*) Adrianus modo humatus pausat. Item
„ in eadem civitate, Ecclesia S. Joannis Baptistæ constat dedi-
„ cata, & foris civitatem in Dudlepin, in Usitin, ad (*d*) Bu-
„ siviha, ad Bettobiam, ad Stepileperch, ad Lindolues-
„ Chircen, ad Risi, ad Vvieidbieres-Chirchen, ad Isangri-
„ mes Chirchen, ad B. Chirchen, ad V. Basilicas, tempori-
„ bus Luitprammi Ecclesiæ dedicatæ sunt, & ad Otachers Chir-
„ chen, & ad Palprumes-Chirchen, cæterisque locis, ubi
„ Privinna (*e*) (idest Pruno) & sui voluerunt populi. Quæ
„ omnes temporibus Privinnæ constructæ sunt, & consecratæ
„ à Præsulibus Juvavensium. Pervenit ergo ad notitiam Ludo-
„ vici (*f*) piissimi Regis, quod Privinna benevolus fuit erga
„ Dei servitium & suum fidelibus quibusdam suis sæpius admo-
„ nentibus concessit illi in proprium totum, quod prius ha-
„ buit

---

a Hansiz. Tom. 2. pag. 130. „ Quæ amabo hæc S. Rudberti ad Salaburgin „ Ecclesia, utique nova, & distincta ab illa, quam S. Virgilius erexerat & conse- „ crarat? crediderim locum Salaburgin distinctum esse a Salzburch. Civitatem enim „ Salzburgensem idem Anonymus perpetuo Salzburch, non item Salaburgin appelli- „ tat. Quid? quod Privinæ dominatio ad Pannoniam Superiorem in qua Salisburgum „ inter Dravum & Danubium urbis sita, non extendebatur.

b Hansiz. *intra construxerunt*.

c *Sanctus Hadrianus martyr*. Hansiz. Incertum, a Privina an filio ejus Hezilone allatus.

d *Businiza*. *Keisi Beatus Chirchen*. *Paldmunster-Chirchen*. Hansiz.

e Idem ipse qui hactenus *Prinnina*, deinceps *Privinna* & *Pruno* vocatur.

f Subinde motus in Moravia & Pannonia exorti sunt anno 846. Moymato defuncto Duce defectionem moliebantur. Ludovicus Rex incendium in favilla oppressit, Pannoniam subegit (teste Lamberto) Moravis ducem constituit Rasticium, qua tempestate Privinæ fides adversus Regem enituit, cujus præmium brevi accepit. Hansiz. tom. 2. pag. 130.

„ buit in beneficium; exceptis illis rebus, quæ ad Episcopa-
„ tum Juvavensis Ecclesiæ pertinere videntur, scilicet ad S. Pe-
„ trum principem Apostolorum, & beatissimum Rudbertum,
„ ubi ipse corpore requiescit, ubi tunc ad præsens rector Vene-
„ rabilis Luitprammus Archiepiscopus præesse dignoscitur. Ea
„ ratione diffinivit Dominus Senior noster Rex easdem res,
„ quæ tunc ad ipsum in ipsis locis conquisitæ sunt, & quæ inan-
„ tea in amplius Deo propitio augeri possunt, ut sine ullius ho-
„ minis contradictione & judiciaria consignatione, illibate ad
„ ipsa loca supradictorum Sanctorum perpetualiter perseverare
„ valeant. Isti fuerunt præsentes, Luitprammus Archiep. (*a*)
„ Erchenbertus Episc. Erchenfridus Episc. Hartuigus, Carolo-
„ mannus, Ludovicus, Ernst, Rapot, Vverencher, Pabo, Fri-
„ tel, Tachof, Dicterich, Vvaninch, Gerolt, Livetolt, Diether,
„ Vvolfregi, Ichi, Egilolph, Puobo, Adelbrecht, Megin-
„ goh. Item Adlprhat, Udalrich, Perenger, Mangolt.
„ Actum loco publico in Regenspurch (*b*) Anno 848.
„ Ind. XI. sub die IV. Idus Octobris. Quandiu enim ille Ludovi-
„ cus Rex vixit, nihil minuit Ecclesiasticarum rerum, nec sub-
„ traxit de potestate prædictæ Sedis, sed admonente Archiepi-
„ scopo, prout valuit, augere studuit, quod ad augmentum
„ servitii Dei primitus illuc pertinuit. Post obitum Dominici
„ Presbyteri, Suvarnagel Presbyter ac præclarus doctor illuc
„ (*ad Privinam*) missus est cum Diacono, & Clericis. Post
„ illum vero, Altfridum Presbyterum & Magistrum cujusque
„ artis Luitprammus direxit: quem Adalvvinus successor Luit-
„ prammi, Archipresbyterum ibi constituit, commendans illi
„ claves Ecclesiæ, curamque post illum totius populi geren-
„ dam. Similiterque eo (*c*) defuncto, Richapaldum con-
„ stituit Archipresbyterum, qui multum tempus ibi demora-
„ tus est, exercens suum potestative officium, sicut illi in-
„ junxit

a Erchenbertus Episc. Frisingensis. Erchenfridus Episc. Ratisbonensis. Hartuvicus Episc. Pataviensis. Carolomannus, & Ludovicus filii Regis. Ernst militiæ Magister.

b *Ratispona.* Si anno 848. die 12. Octob. Indictio XII. Si Indictio XI., erat annus Chr. 847. nam Indictio XI. inchoata est a Kal. sept. anni 847. Indictio XII. a Kal. sept. anni 848.

c Hæc verba, *similiterque eo defuncto, Richpaldum constituit Archipresbyterum*, desunt in Freheriano exemplari quemadmodum & alia: *Quod ille ferre non valens, sedem repetivit Juvavensem*.

„ junxit Archiepiſcopus ſuus; uſque dum quidam Græcus, Me-
„ thodius nomine, noviter inventis Slavinis literis, linguam
„ Latinam, doctrinamque Romanam, atque literas auctorabi-
„ les Latinas Philoſophice ſuperducens, vileſcere fecit cuncto
„ populo ex parte Miſſas, & Evangelia, Eccleſiaſticumque
„ officium illorum, qui hoc Latine celebraverunt. Quod ille
„ ferre non valens, ſedem repetivit Juvavenſem. Anno
„ ergo 865. Venerabilis Archiepiſcopus Juvavenſium Adelwi-
„ nus natalem Chriſti celebravit in caſtro Hezilonis (a) novi-
„ ter Moſeburch vocato, quod illi ſucceſſit moriente patre ſuo
„ Privinna, quem Moravi occiderunt; illoque die officium
„ celebravit ibi Eccleſiaſticum. Sequentique die in proprietate
„ Witeimari, dedicavit Eccleſiam in honore S. Stephani Pro-
„ tomartyris. Die vero Kalendas Januarii ad Orcabu conſecra-
„ vit Eccleſiam in honore S. Michaelis Archangeli in proprieta-
„ te *Hezilonis*. Item eodem anno ad Vverde in honore Sancti
„ Pauli Apoſtoli, Idus Januarii dedicavit Eccleſiam. Item in
„ eodem anno XIX. Kal. Febr. ad Spihhun in honore Sanctæ
„ Margaritæ Virginis Eccleſiam dedicavit &c. Ad Tremberch
„ dedicavit Eccleſiam in honore S. Laurentii. Ad Fiskere eo-
„ dem anno dedicavit Eccleſiam; & ſingulis proprium dedit
„ Presbyterum Eccleſiis. Sequenti quoque tempore veniens
„ iterum in illam partem, cauſa Confirmationis & prædicationis,
„ contigit illum veniſſe in locum, qui dicitur Cella, proprium
„ videlicet Unzatoris, ibique fuit apta Eccleſia conſecrandi,
„ quam dedicavit in honore S. Petri principis Apoſtolorum,
„ conſtituitque ibi proprium Sacerdotem: Eccleſiam Ztrada-
„ chi dedicavit in honore S. Stephani. Item in Vverde Eccle-
„ ſia dedicata floret in honore S. Petri Principis Apoſtolorum.
„ Poſtea vero tres Eccleſias conſecravit, unam ad Quartinaha
„ in honore S. Joannis Evangeliſtæ; alteram ad Michilihes-
„ Kirchen.; tertiam ad Ablanha; quibus conſtituit proprios
„ Sacerdotes. Tempore ergo, quo dato & præcepto Caroli
„ Imperatoris, Orientalis Pannoniæ populus a Juvavenſibus
„ regi cœpit Præſulibus, uſque in præſens tempus, ſunt an-
„ ni LXXV. quod nullus Epiſcopus alicubi veniens poteſtatem
„ habuit Eccleſiaſticam in illo confinio, niſi Salzburgenſes Re-

a Freher. *Hebrilonis*, minus recte.

„ ctores: neque Presbyter aliunde veniens, plus tribus mensibus „ ibi suum ausus est colere officium, priusquam suam dimissoriam „ Episcopo præsentaverit Epistolam. Hoc enim ibi observatum „ fuit, usque dum nova orta est doctrina Methodii Philosophi.

X.
Auctor narrationis de conversione Bajoariorum & Carantanorum, anno 871. scribebat.

Hactenus vetus codex Auctore Anonymo, quem Marquardus Freherus *circa annum Domini 858. Fragmentum hujusmodi de Juvavensis sive Salisburgensis Ecclesiæ origine & Diœcesi* scripsisse testatur. Verum cum bona venia viri doctissimi splendide fallitur. Nam ex ipsis Auctoris hujusce verbis colligitur, *Fragmentum istud scriptum fuisse non ann. 858.* sed *ann. 871.* Sic enim habet pag. 120. „ Anno ergo DCCCLXV. Ven. Archiepiscopus Juvavensium Adelwinus natalem Christi celebravit: „ *& paulo post*: „ Item in eodem anno XIX. Kal. Febr. ad Spihhun „ in honore S. Margaritæ Virg. Ecclesiam dedicavit. *Demum* „ *circa finem*: Tempore ergo, quo dato & præcepto Dom. „ Caroli Imperatoris, Orientalis Pannoniæ populus a Juvavensibus regi cœpit Præsulibus, usque in præsens tempus sunt „ anni LXXV. „ Atqui ab anno Chr. 796. Pannoniæ Orientalis (a) populus cœpit ab Episcopis Juvavensibus regi, quemadmodum in eodem Fragmento pag. 17. supra dictum est, sic: „ Sed nunc qualiter Hunni inde expulsi sunt, & Slavi inhabitare cœperunt, & illa pars Pannoniæ ad Diœcesim Juvavensem conversa est, edoscendum putamus. Igitur Carolus Imp. Anno Nat. Dom. 796. Ericum Comitem destinavit, & cum eo immensam multitudinem Hunnos exterminare. „ Cetera. Itaque, si anno 796. quo Pannoniæ Orientalis populum Carolus magnus Juvavensibus subdidit Episcopis, annos LXXV. adjiciamus, usque ad illud tempus, quo Anonymus iste Fragmentum suum edidit; luce solis clarius colligimus, id scriptum ab eo fuisse anno Christi 871. non anno 858. Fallitur ergo Kohlius, qui in Histor. Codicis Sacri Slavonici pag. 77. Not. 14. ait, circa annum 878. Fragmentum illud scriptum fuisse. Nam ad ostendendum, non Hieronymo, sed Cyrillo deberi Slavicar. literar. inventionem, præter Jo. Papæ VIII. testi-

a Hansizius in German. Sacr. Tom. 2. pag. 34. colligit Auctorem scripsisse anno 872. „ Nam Carolus M. (inquit) anno 798. curam erudiendor. Hunnorum. Arnoni Archiepiscopo ab Urbe Roma revertenti per nuncios obviam missos demandavit. Verum si anni 798. addantur annis 75. consurgit annus 873. non 872. . .

testimonium, addit: „ confer totum Schediasma primum „ cl. Frischii, linguæ Slavonicæ historiam exponens. Jungi „ huic potest vetusti illius Auctoris à Frehero editi, qui cir- „ ca ann. Chr. 878. scripsit, testimonium: Qui postquam „ narrasset, Adalvinum, Orientalis Pannoniæ Richbaldum „ constituisse Archipresbyterum, hæc adjungit: Hic mul- „ tum temporis ibi demoratus est, exercens suum potestati- „ ve officium, sicut illi injunxit Archiepiscopus suus, usque „ dum quidam Græcus Methodii nomine, noviter inventis „ Latinis literis (*credo scribendum esse*, *Slavonicis*) Latinam „ linguam, doctrinamque Romanam, atque literas auctora- „ biles Latinas Philosophice superdicens (*forte*, *superdu-* „ *cens*) vilescere fecit &c. *Idem Kohlius* pag. 109. In his vetu- „ sti illius monumenti, quod jam supra pag. 77. laudavimus, „ circa ann. 878. de Conversione Bojorum & Carenthanorum „ scripti, inque Freheriano Syntagmate rerum Bohemicarum „ primum locum tenentis Auctor, Methodium (Cyrillo non „ excluso) disertis verbis domesticæ linguæ receptæ auctorem „ auspicemque pronunciat his verbis = *Usquedum quidam* Græ- „ cus Methodii nomine, noviter inventis Slavinis literis, lin- „ guam Latinam doctrinamque Romanam atque linguas aucto- „ rabiles Latinas philosophice superducens, vilescere fecit „ cuncto populo ex parte Missas & Evangelia, Ecclesiasticum- „ que officium eorum qui hoc Latine celebrabant. *Pergit ibid.* „ Ubi per verba illa, *atque linguas auctorabiles Latinas phi-* „ *losophice superducens*, hoc significare vult Scriptor, Metho- „ dium, utpote non rudem ac plebeji ingenii hominem, sed „ acutum nec obesæ naris philosophum, linguæ Latinæ, quæ „ auctoritate publica recepta erat, proptereaque auctorabilis „ vocabulo barbaro hic vocatur, usum ceu ridiculum & absur- „ dum quid notatum, improbasse. „ Verum primo quidem pro, *linguas auctorabiles Latinas*, omnino legendum, *Lite-ras*, uti idem ipse Kohlius not. A pag. 110. ex Lampio in hist. Hungarica Ecclesiastica pag. 14. monet. Deinde auctor illius Fragmenti, Methodium vituperans, non laudans, ironice loquitur, dum ait, *Literas Latinas auctorabiles philosophice superducens*, hoc est, obliterans inventis Slavinis literis.

XI. Quo sensu dicantur Hunni a Caro-

Nunc ut ea intelligantur, quæ modo sunt ex Anonymo re-

lo magno a Pannonia ejecti? nimirum subjugati, non deleti.

citata, juverit nonnullas observatiunculas subnectere. Et primo quidem, quod de *Bojariis* & *Slavis* dicitur terram illam inhabitantibus, unde fuerunt sub Carolo magno per Henricum Forojuliensem Comitem & Pipinum Italiæ Regem *Hunni* ejecti; id ab Annalista Metensi ad annum 803. sic narratur: „ Imperator autem Bajoariam profectus, venationem bubalorum ceterarumque ferarum per saltum Hircanum (*a*) exercuit. Inde vero ad Regenesburch (*b*) veniens, dispositis his quæ utilia videbantur esse, adventum exercitus de Pannonia redeuntis præstolabatur. Quibus reversis, obviam illis ad Regenesburch venit. Ibi etiam cum illis Zodan Princeps Panoniæ veniens, Imperatori se tradidit. Multi quoque Sclavi & Huni in eodem Conventu fuerunt, & se cum omnibus quæ possidebant, Imperatoris dominio subdiderunt. „ *Annalista Hildensheimensis ad annum* 803. „ Imperator autem pergit Bajoariam. Ibi venit legatio Avarorum, omnem terram imperii sui sub ditione Imperatoris Caroli subdunt. „ Non de solis Abaribus sive Hunnis sermo est; sed de cæteris Slavis inter Dravum & Danubium, & inter Dravum & Savum habitantibus. Eodem anno 803. mense Octobri Carolus adiit Salisburgum, & Arnoni Salisburgensi Archiepiscopo concessionem a Pipino filio quondam factam confirmavit; idest, erudiendorum Hunnorum curam, quam anno 796. Pipinus post debellatam eam gentem eidem Arnoni commiserat, *usque ad præsentiam genitoris sui Caroli*. Non igitur deleti a Carolo Magno Hunni, sed Francico Regno subjugati, uti ex eorundem Regum serie ad Tutundum usque perducta liquet.

XII. Juvavenses Archiepiscopi, & Moravorum Episcopi. Hunnois Dux Tutundus & Moraviæ Moymarus. duces confinii, & Carinthiæ.

Juvavenses Episcopi, sub quibus Slavi Carantani & Moravi Episcopos habuere, hi sunt. I. *Arno* successit *Virgilio*, sub initium anni 685. (in ordine Juvavensium Præsulum sextus) decessit die 24. Januarii anno 821. Hic Slavis ordinavit primum Episcopum *Theodoricum*, commendans illi regionem Carantanorum & confines eorum ab Occidentali parte Dravi fluminis usquedum Dravus fluit in Danubium: ut populum illum sua prædicatione regeret, Ecclesias dedicaret, Presbyteros ordinaret, totumque Ecclesiasticum officium perficeret; subjectionem habens Juvaven-

a *Hercynium*.
b *Ratisponam*.

vensium Præsulum. II. *Adalrammus*, Arnonis successor, sedit ab anno 821. usque ad annum 836. quo obiit pridie nonas Januarii. Qui inter cetera beneficiorum opera, finito cursu Theodorici Episcopi, prout Arno Archiepiscopus antea Theodorico Episcopo Slavos commisit, ita & ipse *Othonem* constituit Episcopum. III. *Luitprammus* post Adalrammum, sedit ab anno 836. ad ann. 859. quo prid. Kal. Octobris defunctus est. Othoni defuncto substituit *Oswaldum* Slavorum Episcopum. IV. *Adalwinus*, seu Adalbinus, electus anno 859. post Kalendas Octobris, decessit XI. Kal. Maji anno 872. sive juxta alios 873. Hujus Adalvini, nec non decessoris Luitprammi temporibus *Osvaldus* Episcopus Sclavorum regebat gentem, prout jam priscis temporibus jamdicti Episcopi Theodoricus & Otho fecerunt, subjecti Episcopis Juvavensium. „ Ad hunc Oswaldum „ (inquit Hansizius Tom. 2. pag. 131.) teste Christophoro Jor- „ dano, extant Epistolæ duæ a Pontifice datæ. In priore præci- „ pit, ut Sacerdotem cum egestate luctantem, & cujusdam ethni- „ ci occisorem, numero Laicorum habeat. In altera jubet alium „ aliquem Sacerdotii dignitate dejici, quod lusum, quo corpo- „ ra reciproco libramento tolluntur vicissim ac desidunt, cum „ Diacono quodam incasto exercuerit, cervicis etiam noxa e ca- „ su contracta. In Cod. Cæsareo MSS. visitur opusculum *de ori-* „ *gine Bavaror.*, *auctore Bernardo monacho in Chrebsmunster* „ *sub Friderico*. Ibi sic. *Post Ottonem Hosbaldus Episcopus sub* „ *Liwtprammo & Atelwino Archiepiscopis. Huic Osbaldo scri-* „ *psit Nicolaus Papa duos canones, qui in corpore decretorum* „ *inveniuntur*. „ Defecerunt sub Adalwino Archiep. Juvavenprædicti Sclavorum sive Carantanorum Episcopi, propter assiduas cum Archiepiscopis discordias: inquit idem Hansiz. tom. 2. pag. 134. Quo factum, ut quod ait Anonymus, per semetipsum Adalvinus eam gentem studeret regere. „ Quare in vita S. Ge- „ behardi Salzburgensis Archiepiscopi, qui anno 1072. Sedem „ Gurcensem fundavit, adnotatur causa, quæ Gebehardum „ impulerat ad eam sedem erigendam. Juvit (inquit) ad hanc „ novam constitutionem & quidem veterum notitiarum codex. „ Repertus enim erat talis in camera librorum Salzburgensi, „ & in eo repertum: qui Episcopi, sub quibus Archiepiscopis „ Salzburgensibus Ecclesiæ vices & ante gessissent in prænomi-

„ nata

„ nata regione (*nempe Carinthia*) Beatus enim Virgilius Epi-
„ ſcopus octavus a B. Rudberto, gentem Karentanam tempore
„ Taſſilonis ducis Bavariæ quibuſdam occaſionibus ad fidem
„ Chriſti convertit, & Epiſcopum illic Modeſtum dictum in
„ loco Giburnia (*i. e. Tiburnia*) dicto conſtituit: per quem
„ & per cujus ſucceſſorum inſtantiam eadem gens Sclavonica
„ a ritibus idololatriæ revocaretur. Item ab Arnone primo Epi-
„ ſcopo Otto Epiſcopus: „ (Imo ab Arnone Theodoricus; ab
Adalrammo, Otto Epiſcopus) a Luitprammo, tertio Archie-
piſcopo Oswaldus Epiſcopus, prælati ſunt Karantanis „ dein-
„ de ſubjicit cauſam, ob quam defecerint; Repertæ ſunt in
„ eodem libello crebræ diſcordiarum cauſæ inter ipſos Archie-
„ piſcopos, & Subepiſcopos illos, propter quas conjicitur &
„ æſtimatur, vicem illam tunc ceſſaviſſe, & morientibus aliis
„ alios non fuiſſe ſubſtitutos. Et quia hujuſmodi anchoras non
„ habebant, ſedem videlicet Epiſcopalem, & Clerum, ac
„ plebem in ſeparatis ſibi Parochiæ terminis cum qualibet, ſu-
„ pradicta reſtauratio renovata eſt & ſtabilita. Regionarios
quippe fuiſſe eos Epiſcopos, idem Hanſizius oſtendit Tom.
cit. pag. 7. inquiens: „ At vero prolatata per Arnonem ad Scla-
„ vos & Pannones Diœceſi, præter jamdictos Epiſcopos (*Ra-*
„ *tisbonenſem*, *Friſingenſem*, *Patavienſem*, *& Sabionenſem*)
„ conſtitutus fuit Epiſcopus Regionarius pro populis earum
„ partium, primum Theodoricus, deinde Otto, poſt Oſwal-
„ dus. Sed ob controverſias, quæ inter hos & Metropolita-
„ nos ſubnatæ ſunt, pro Epiſcopo ſubrogatus eſt Archipresby-
„ ter, qui ſubinde, præpollente per Pannoniam Methodio
„ Moravorum Archiepiſcopo ob gratiam linguæ Sclavicæ, con-
„ temptus exceſſit ex arena, ſeque Salisburgum recepit. Cau-
„ ſa igitur potiſſimum, cur jus per Moraviam & Pannoniam
„ Archiepiſcopis Juravenſibus creandi Epiſcopos illos fuerit
„ ademtum, in Slavos Moravos eſt rejicienda, qui propriæ
„ linguæ Antiſtites petierunt a Sede Apoſtolica obtinuerunt-
„ que. Atque hæc de Latinis Slavorum Epiſcopis.

Jam vero *Tutundus* Huniæ, & *Moymarus* Moraviæ Duces, ad quos Eugenius Papa ſcribit, uſque ab anno 825. proprium ſibi divinæ legis interpretem & Sacrorum Magiſtrum ab Eugenio II. Papa impetraverant *Urolphum*, cum titulo *Archiepiſcopi*
Lau-

Lauriacensis, qui instauratis quatuor Sedibus, Favianensi scilicet, & Vetuariensi, nec non Nitraviensi & Specu-Juliensi, Pannoniam & Moraviam a potestate Juvavensium avulserat. In inferiori tamen Pannonia, ubi Privina ejusque filius Hezilo dominabantur, tam Adalrammus quam Luitprammus & Adalvinus, Juvavenses seu Salisburgenses Archiepiscopi, Ecclesiasticam jurisdictionem per Presbyteros a se directos exercere perrexerunt usque ad annum 871. quo *Methodius noviter inventis Slavinis literis*, linguam Latinam doctrinamque Romanam atque literas auctorabiles Latinas philosophice superducens, vilescere fecit cuncto populo ex parte Missas & Evangelia, Ecclesiasticumque officium illorum, qui hoc Latine celebrabant. Quod Richpaldus Archipresbyter ferre non valens, sedem repetivit Juvavensem. De Privinæ & Moymari Successoribus infra sermo erit.

Quod vero apud laudatum narrationis *de Bojorum & Carentanorum conversione* Auctorem *de Confinii Pannoniæ Comitibus*, deque *Ducibus Slavorum* subjicitur, id omnino factum oportet post annum 803. quo (ut modo dicebam) Carolus Imp. in Bajoariam profectus, rem publicam ibidem ordinavit, limites descripsit, reliquasque utilitates, quæ in illis partibus necessariæ erant, ut chronographus Metensis scripsit, constituit. Primus igitur *Comes confinii* a Carolo magno post annum 803. constitutus, *Gonterammus*: & primus sub eodem Carolo post Valtchunonem Carantaniæ dux *Priwizlauuga*. Eodem, ut videtur, anno 803. constitutus secundus & tertius Comites *Werenharius* & *Albricus*: & quartus *Gotefridus*. *Albrici* tamquam Judicis mentio occurrit in Placito anni 804. „ Actum Epininga „ fisco publico Idibus Januarii, anno IV. Imperii domni nostri „ Karoli, & 36. Regni ejus in Francia, ac trigesimo in Italia, „ Indict. XII. ubi resedit *Arno Pontifex unacum Erchambaldo Comite, vel Otperchto & Albrico Judicibus*: apud Hansiz. tom. 2. pag. 117. *Werenbarii* & *Gotefridi*, in Placito anni 806. „ ad Otingas fisco Dominico, ubi resederunt *Missi* Domini Karoli magni Imperatoris Arn Archiepiscopus, & Adalwinus, „ Episcopus, & Audulfus, & Werinharius, & Gotefredus. „ Comites. Actum XVIII. Kal. Januar. anno VI. Imperii Domni „ Karoli, apud eund. Hansiz. pag. 119. *Geroldi Comitis* ad annum

num circiter 811. quemadmodum supradictum est: „ *Arno Archiepiscopus*, & *Geroldus Comes*, *Theodoricum* Episcopum „ perducentes in Sclaviniam, commendaverunt ei regionem „ Carantanorum & confines eorum, Occidentali parte fluminis usque dum Dravus fluit in Danubium. „ Nimirum postquam eodem anno 811. Karolus Imp. motam inter Juvavenses & Aquilejenses controversiam, lata sententia in diplomate (*a*) dato XVIII. Kal. Jun. anno XI. Imperii, Regni in Francia XLII. in Italia XXXVII. Ind. IV. ita diremit, ut ambarum Diœcesum limes Dravus amnis esset. Ejusdem Geroldi mentio in Instrum. dat. VI. Kal. Decemb. Ind. V. anno Imperii Karoli XII. Regni XLIV. idest, Chr. 812. apud Hansiz. pag. 121. Alius proinde ab illo Geroldo, qui anno 799. (juxta Reginonem) *quum* esset *Bajoariæ præfectus*, commisso cum Avaribus prælio *interfectus fuerat*. Post Geroldum *Ratbodus* anno 828. confinii comitatum accepit. Post Priwizlawgam autem Cemicias, Moymar, & Etgarus Carinthiæ duces. Hansizius tom. 2. pag. 128. de Luitprammo Salisburgensi Archiepiscopo. „ Provincias amplissimas, quæ *Pastorum Salzburgensium* curæ incumbebant, „ easque potissimam partem incultas & vastas, per semetipsum „ obivit; idque fecit occasione pacis & præsidio præfectorum, „ qui regiones illas administrabant majore jam numero, quàm „ antea. Nam quum nuper unus esset finium illorum custos, „ quem Comitem seu Marchionem Forojuliensem vocabant, „ periculo animadversum est, unum gubernandis tot provinciis haud sufficere. Nam idem præter Comitatum Forojulium, & Ducatum Carantanum ac Carniolensem, Pannoniam quoque inferiorem (sic provinciam inter Savum & „ Dravum fluvios porrectam id temporis appellabant) præterea Istriam, & Liburniam cum magna Dalmatiæ Mediterraneæ parte procurandam habebat. Postea vero quam Bulgari „ anno 827. in Pannoniam irruperant, eamque impune vastarant; quum id per indiligentiam Baldrici Forojuliensis præfecti contigisse putaretur, eo in ordinem redacto, *Marka* „ *in quatuor Comites divisa est*, ut habent Annales Francorum. „ & Carantanis quidem, quorum duces domestici (*Post Privizlauugam*, *Cemicam*, *Zotboymarum*, & *Etgarum*) jam „ defe-

a Edidit Hansizius Tom. 2. Germ. Sacr. pag. 120.

„ defecerant, impositus est *Hebrwinus* Francus; post quem „ *Albigarius*, deinde *Pabo* eam provinciam rexit. Pannonia „ inferior *Salachonem* Comitem præfectum accepit. Aliorum „ duorum de quatuor illis Comitum nomina, memoriæ non „ sunt prodita; sed alter illorum Forojulium cum Istria; Car- „ niolam alter cum Liburnia videtur provinciam sortitus. Hic „ modus regiminis ad annum usque 861. duravit, quo Caro- „ lomannus *Duces limitis Pannonici* & *Carantani expulit, atque* „ *per suos Marcam ordinavit*, teste Fuldensi: nam & Chronicon „ Salzburgense refert, anno 861. *Pabonem a Carinthia per Ca-* „ *rolomannum ejectum, Salzburgæ consedisse*. Hactenus igitur „ Duces Carantani a Borutho usque explorati sunt. Quod „ quum ex recentiorum commentariis nuspiam discatur, co- „ gnosci tamen potest ex aureo totiesque laudato opusculo de „ conversione Carantanorum. Postquam enim recensuisset „ Carantanorum Duces usque ad *Etgarum*, mox subdit: *Post* „ *istos vero Duces, Bajoarii cæperunt prædictam terram habe-* „ *re in Comitatum, Hebrwinus, Albgarius, & Pabo. His* „ *ita peractis* (anno scilicet 828.) *Ratbodus suscepit defen-* „ *sionem termini* (nempe Danubiani, cui novissime Geroldus „ præfuerat.) Hujus termini, seu confinii Comes Pannoniam „ super Dravum (quæ tunc Pannonia superior vocabatur) cu- „ rabat.

XIII. Ratimarus Dalmatiæ & Croatiæ Rex.

Quis autem *Ratimarus* ille dux fuerit, adversus quem *Ratbodus* termini Danubiani Comes, jussu Ludovici Germaniæ Regis, exercitum duxisse perhibetur; pronum est ex ipsa rerum gestarum serie intelligere: Dalmatiæ nimirum Transalpinæ & Croatiæ Rex erat; Bulgaris tunc temporis, ut videtur, fœdere conjunctus. Quamobrem quum Privinas Nitraviensis Moravorum dux unacum Hezilone filio a Moymaro altero Moravorum Duce relegatus, ad Ratbodum primo confugisset, deinde deBulgaria ad ejusdem Ratimari Ducis regionem venisset; quumque Ludovicus Rex præcepisset Ratbodo, ut ad exterminandum Ratimarum Ducem, tamquam Bulgaris faventem, cum exercitu multo procederet; fugiente Ratimaro, substitit Privinas, utpote qui Moymaro, non Ludovico Regi adversabatur: transitoque cum suis Savo, a Salachone Pannoniæ inferioris Comite susceptus est, & pacificatus cum Ratbo-

do. „ Invenio (inquit Hansizius tom. 1. pag. 128.) invenio apud „ Scriptores plerosque, hunc Ratimarum vocari Ducem Bulgarorum. Sed ex verbis Anonymi, quod unum documentum „ hac in re suppetit, constat non Bulgarorum, sed alterius cujuspiam populi fuisse Ducem: ait enim *de Vulgariis*, idest, „ Bulgaris desertis, ad Ratimari Ducis adiisse regionem. „ Hactenus recte, ut opinor. Quæ vero sequuntur, partim vera puto, si ad Regem Dalmatiæ & Croatiæ Ratimarum referantur; partim probare nequeo, quum incentor belli Ratbodum inter & Ratimarum Privinas dicitur, quumque Rex ille Dalmatiæ *Tirpimirus* appellatur. Sic enim pergit Hansizius „ Mihi suspicio est, hunc Ratimarum esse eundem cum illo, quem „ Joannes Lucius lib. 2. de Regno Dalmatiæ & Croatiæ vocat „ *Tirpimirum Ducem Croatorum*, cujus extat ibid. cap. 2. diploma pro Metropoli Salonitana datum *Byaci*, *Regnante in* „ *Italia piissimo Lothario Francorum Rege*, *Indict.* xv. idest, „ anno 838. Ad hunc Tirpimirum Priwinam transiisse, suadet „ & vicinitas ejus ad Bulgaros, & situs regionis trans Savum „ flumen, quem situm idem Anonymus mox indigitat: & Lucius refert, Croatas ob Marchiam in quatuor Comites divisam atque exinde debilitatam, res novas moliri, & jugum „ excutere cœpisse. Accedebat incentor Priwina: ad quem „ opprimendum Ludovicus Rex arma in *receptorem ejus Ratimarum jussit inferri*. Antiqua dissensio, *quam ortam inter* „ *illos* Anonymus scribit, *quam timens Priwinas*, è ditione „ Ratbodi fugam iniit in regionem Bulgariam cum suis & cum „ Hezilone filio suo, & non multo post de Bulgaria ad Ratimari ditionem perrexit „ illa, inquam, antiqua dissensio, non inter Privinam ipsum & Ratbodum intercedebat, uti opinatur Hansizius, qui Privinam idcirco incentorem ejus belli inter Ratbodum & Ratimarum tanquam Privinæ ipsius receptorem suscepti appellat; sed orta erat inter Ratbodum sive Francos, & inter Moymarum seu Moravos: quam proinde dissensionem timens Privinas (utpote Moravus & ipse, tametsi à Moymaro expulsus) fugit primo in Bulgariam, deinde in ditionem Ratimari. Dum enim Ratimarus a Francis profligatus, in fugam se convertit, non substitisset Privinas, neque transito dein Savo ad Salachonem se recepisset, si ad ipsum opprimen-

mendum Ludovicus arma inferri jussisset. Cur ergo a Salachone dicitur pacificatus cum Ratbodo? nimirum, quia Ratbodus ægre tulerat, Privinam ad Bulgaros & ad Ratimarum, Francorum hostes, perrexisse.

XIV. Tempora Regum Dalmatiæ & Croatiæ, quorum Catalogum Diocleates, Marulus, Orbinus, & Cangiue texunt, non esse recte disposita.

Occurrit quidem *Ratimirus* sive *Ratomirus*, Bladini filius, in Catalogo (*a*) Regum Dalmatiæ & Croatiæ, tum apud Dioleatem Presbyterum, tum apud Marcum Marulum, num. v. Post *Stroilum* videlicet, sive *Ostroillum*; *Senuladum* seu *Sevioladum*: *Selimirum*: & *Bladinum*. De quo *Ratomiro* hæc Presbyter Diocleas: „ Inter hæc mortuus est Bladinus, & „ regnavit pro eo Ratomirus filius ejus, qui inimicus nominis „ Christiani extitit a pueritia, cœpitque ultra modum persequi Christianos, voluitque delere de terra & de Regno „ suo nomen eorum; multasque quoque civitates eorum & loca destruxit, & alias in servitute redigens reservavit. At „ Christiani videntes se in magna tribulatione & persecutione „ positos, congregantes se cœperunt super cacumina montium „ ac fortia loca, castella, & ædificia, prout poterant, construere, ut vel sic evaderent manus eorum, donec Deus visitaret eos & liberaret.

Hoc ipsum legere est apud Marulum è codice Slavonico, his verbis de Ratomiro: *Sed eis præcipue infestus, qui maritima Dalmatiæ incolebant*. Qui & addit: *neque illos* (Christicolas nempe) *ea spes fefellit: quamvis usque ad quintum Regem dilatus est eventus*: nimirum, *Ratomirus* iste (juxta Farlati (*b*) supputationem) anno Chr. 583. Bladino patre rebus humanis exempto quum Regnum in Prævalitana regione obtinuisset, Christianæ religioni crudele bellum indixit, quod unacum ditionis suæ finibus longe lateque proferens, finitimas ab occidente urbes Mauricii Imperatoris præsidiis vacuas occupavit.

a Cangius in Familiis Dalmaticis, Slavonicis &c. Edit. Paris. pag. 273. & seqq. sic recenset priores, ut vocat, Dalmatiæ & Serviæ Reges ac Principes. 1. „ Sveladus. 2. Ostroillus seu Ostroivojus, vel Odrillus. 3. Sveuladus seu Sevudilavus. 4. Selimirus. 5. Ulandavus seu Bladinus. 6. Radimirus. 7. 8. 9. 10. Svetmirus, sub quo, inquit, Constantinus Philosophus vivebat. 11. Budimirus, qui „ ab eodem Constantino ac Methodio ad Christi fidem adductus, vocatus est Svetopelech, idest, Sanctus puer: seu Svetopolis. „ Vide Anselm. Bandur. Animadvers. in lib. Porphyrogeniti de Admin. Imper. edit. Paris. pag. 95. Venetæ pag. 51. & Farlat. Illyrici Sacri Tom. 2. pag. 236.

b Illyrici Sacri Tom. 2. p. 332. ad 335.

pavit. Quumque anno 590. sine liberis obiisset, quatuor (a) tyranni Anonymi, ipsius successores, inceptam in Christianos persecutionem, ab anno 591. usque ad annum 639. vel 640. continuarunt: quo anno mortuus dicitur postremus ex quatuor illis Tyrannis, qui Regnum in provincia Prævalitana occupabant. Hujus interitu (inquit Farlatus) extincta est series Regum e stirpe Ostroylli. Huic successit altera Regum series ex Regibus Serbliæ antiquæ sive Albæ, quæ ultra Danubium ad latus Occidentale Poloniæ rerum potiebantur. Eorum primus fuit dux ille Serblorum, qui ad Heraclium, agros & domicilia impetrandi causa, se contulerat: quem Diocleates *Zuanimirum*, Marulus *Satimirum*, Maurus Orbinus *Svetmirum* vocant: qui successisse fertur *Budimirus*, alias *Svetopelek* dictus, a SS. Cyrillo & Methodio ad Christi fidem adductus. Hæc quidem ex Diocleate, Marulo, aliisque Cangius in Familiis Dalmaticis & Slavonicis, Bandurius in Animadversionibus ad librum Porphyrogeniti de Admin. Imperio, & Farlatus in Illyrico Sacro Tom. 1. & 2. Verùm idem ipse Farlatus ingenue fatetur, eorum Regum tempora non esse juste distributa. Verba ejus recitare juverit, ut intelligatur, quot & quantis anachronismis scateat, ea quam Dalmatiæ, Croatiæ, & Serviæ veterum Regum vocant, series. Sic autem scribit in notis ad partem secundam Catalogi Romani Pontificum Salonitanorum & Spalatensium Tom. 1. Illyrici Sacri pag. 339. de Budimiro loquens, qui primus dicitur Christianam religionem suscepisse.
„ In eo Codice Diocleatis, quem Historicus Dalmata ad suos
„ de Regno Dalmatiæ & Croatiæ libros adjunxit, non *Budi-*
„ *mirus*, sed *Svetopelech* appellatur. At Marcus Marulus in suo
„ Codice, quem in Latinum transtulit, scriptum reperit Bu-
„ dimirum. Si vera sint, quæ Diocleas scripsit de Concilio
„ Delmitano, de Rege Svetopelech seu Budimiro, Constan-
„ tini Thessalonicensis, qui postea dictus est Cyrillus & chara-
„ cteres Slavonicos invenit, viri sanctissimi opera & cohorta-
„ tione ad Christianam religionem converso: de Legatis Mi-
„ chae-

(a) Idem Farlatus Illyrici Sacri Tom. 1. pag. 339. col. 1. „ Defuncto Ratomiro, „ ex ejus progenie regnaverunt post eum quatuor iniqui Reges, non in uno quidem „ tempore, sed unus post alium temporibus suis, quorum temporibus semper in „ persecutione fuerunt Christiani. „ Ex Diocleate.

„ chaelis Imperatoris Constantinopolitani ad eundem Regem „ missis, ut Synodo Delmitanæ interessent; hæc neque cum „ Joannis I. Spalatensis (a) Archiepiscopi ætate, neque cum „ sæculo VII. congruere possunt. Nam Svetopelech ille, qui „ aliter Budimirus, aliter ab aliis appellatur, si æqualis fuit „ Constantino seu Cyrillo Slavorum Apostolo, per quem ad „ Christi cultum traductus esse dicitur, non floruit ante sæcu- „ lum nonum; Constantinus quippe sive Cyrillus, Slavorum „ conversioni operam dedit, Nicolao primo Pontifice maxi- „ mo, qui anno 858. Pontificatum iniit, ut docent acta Cyril- „ liana apud Hagiologos Antuerpienses Tom. 2. die IX. Mar- „ tii. Nullus vero, cui nomen fuerit Michaeli, ante idem „ sæculum nonum Imperio potitus est. Huc revoca quæ dicta „ sunt part. 2. Prolegom. cap. 4. §. 2. Quare Auctor Catalogi „ Romani Budimirum seu Svetopelech, male conjungit cum „ Pontificatu Joannis, primi Archiepiscopi Spalatensis. Erra- „ vit igitur is Auctor, omninoque in hoc omnis est error, quod „ Reges ipsos novem, Ostroilo fratri Totilæ, cujus ætas di- „ moveri nequit à sæculo sexto, & Svetopelecho, cujus Re- „ gnum incidit in sæculum nonum, interjectos, in angustias „ unius sæculi conjecit. Itaque series illa novem Regum ab „ Ostroillo ad Svetopelech per annos circiter ducentos distri- „ buenda est, & usque ad sæculum nonum fere dimidium per- „ ducenda. Quos ergo Reges hic Auctor Episcopis Salonitanis „ æquales fecit, eorum tempora aptius distribue, & partim „ Salonitanis, partim Spalatensibus Episcopis adscribe; & Se- „ limirum seu Zuonimirum, Budimirum seu Svetopelech, „ quos Joanni primo Spalatensium Antistiti apposuit, eos re- „ fer ad sæculum nonum, & cum Episcopis Spalatensibus ejus- „ dem sæculi conjungas oportet: id quod deinceps de aliis „ qui sequuntur Regibus in ætates posteriores rejiciendis ad- „ monebimus. „ Quæ quum ita sint, lacuna annorum plus- quam centum sit, oportet, inter quatuor illos tyrannos, Ra- dimiri

a Joannes Antistes hujus nominis VI., Salonitanam sedem Spalatum translatam primus obtinuit ab anno 650. usque ad ano. 680. sedentibus Martino I. Eugenio I. Vitaliano I. Adeodato II. Dono I. Agathone I. Imperante Constantino III. Constante II. Constantino IV. Pogonato. Regnante in Dalmatia Orient. sive Servia, Selimiro, Budimiro. Ducibus Dalmatiæ occident. sive Croatiæ, Corbato, Porino. Pars secunda Catalogi Pontificum Salonitanorum & Spalatensium.

dimiri successores, & inter Selimirum seu Zuonimirum. Nullam tamen lacunam idem ipse Farlatus esse in Catalogo eorum Regum mox asserit: quum enim Tom. 1. pag. 339. nos admonuisset, Zuonimirum & Svetopelechum ad sæculum nonum esse rejiciendos; suæ ipse admonitionis oblitus, Tomo 2. pag. 336. initia Regni Zuonimiri ad ann. 640. apponit: & consequenter Tomo 3. (quem propediem exspectamus) Svetopelechum non nisi exeunte seculo septimo regnum iniisse affirmabit, datis Zuonimiro, ut minimum, regni annis sexaginta: aut saltem relicto ad sæculum septimum Zuonimiro, post lacunam centum & amplius annorum, initium Regni Svetopelechi medio sæculo nono figat, necesse erit. Ita, quæ de prioribus istis Dalmatiæ & Croatiæ Principibus ex Diocleate & Marulo narrantur, admodum incerta sunt, deque illis eadem proferenda sententia videtur, ac idem Farlatus Tom. 1. pag. 340. col. 2. de Serbliæ Regibus scripsit, inquiens: „ Hos Serbliæ Reges ex Por„ phyrogenito descriptos, vel in locum illorum substitue, „ quorum genealogicam seriem Presbyter Diocleas contexuit, „ vel cum illis aliquo modo compone; sive iidem fuerint ac „ binomines, sive distincti, & alteri quidem in una, alteri in „ altera Serbliæ parte Regnum obtinuerint. „ Itaque quum a tempore Caroli magni non modica Dalmatiæ pars Regno Francico sive Germanico accesserit; quumque Prinnina seu Priwina a Moymaro Moravorum Duce relegatus, partem inferioris Pannoniæ circa Savum in beneficium a Ludovico Germaniæ Rege (certe post annum 828. & ante annum 875. quo temporis spatio Ludovicus ipse Germaniæ, Pannoniæ & Dalmatiæ dominabatur) acceperit; consequens est, *Zuonimiuum* seu *Vonomirum* quidem ab Heraclii ævo, cui perperam affigitur, ad tempora Caroli magni esse transferendum, quum Regnante eodem Carolo Henricus Forojuliensium Dux anno 796. unacum *Swonimiro Sclavo* adversus Hunnos conflixisse, in Analibus Bertinianis perhibeatur; *Ratimirum* autem Ducem, cujus regionem Ratbodus cum magno exercitu, sub Ludovico Germaniæ Rege, Caroli magni ex filio Ludovico Pio Nepote, invasit, non alium esse ab illo *Ratimiro*, quem Diocleas Presbyter, & Marulus in catalogo Principum Dalmatiæ & Serviæ, Christianorum persecutorem vocant, atque infra

fra annum Christi 590. immani prochronismo detrudunt.

XV. Privvina, Hezilo, & Brassavus, Pannoniæ inferioris inter Dravum & Savum Moravorum Duces.

Prinnina, qui (*a*) & *Priwina*, *&* *Pruno*, ab eodem Anonymo auctore narrationis de *Conversione Bojorum & Carantanorum*, appellatur,) usque ad annum circiter Chr. 861., in vivis fuit; eique a Moravis (nimirum à Rastice, qui post Moymarum Moravorum Rex fuit) cæso, in Comitatu Pannoniæ inferioris *Hezilo* (qui & *Hebrilo*) filius successit. Sic enim Auctor ille habet: „ Anno igitur DCCCLXV. Venerabilis Ar„ chiepiscopus Juvavensium Adelwinus nativitatem Christi „ (*a qua apud Auctorem istum, anni principium sumitur*) „ celebravit in castro Hezilonis, noviter Moseburch vocato, „ quod illi successit moriente patre suo Privinina, quem Mo„ ravi occiderunt. „ Pientissimus Princeps Privina (inquit Hansizius Tom. 2. pag. 134.) nuper Carolomannum in Moravos ducentem secutus, occubuerat, relicto filio *Hezilone ditionum paternarum hærede*. Fallitur vir doctus: non enim Carolomannum filium, sed Ludovicum patrem *Privinna* secutus, sub ipso Carolomanno unacum Moravis fœderato & in patrem rebellante, a Rastice Moravorum Duce interfectus fuit, idque factum contigerit oportet circa annum 861. Quod enim *Priwina* fidelis fuerit Ludovico Regi, patet ex eodem Auctore: „ Pervenit ergo ad notitiam Ludovici piissimi Regis, quod „ Priwina benevolus fuit erga Dei servitium, & suum. Fide„ libus suis quibusdam sæpius admonentibus concessit illi in „ proprium totum, quod prius habuit in beneficium. „ Quod autem Carolomanno in patrem rebellante, bellumque in Privinæ

---

a *Bribinus* etiam vocatur in diplomate Ludovici Germ. Regis „ dat. x. Kal. Mart. „ Ind. 8. Anno Regni Ludovici in Orientali Francia 28. Regenspurg civitate Regia, hoc est, anno Chr. 845. Apud Hundium Tom. 2. Metrop. Salisburg. de Abbatia Althæ inferioris pag. 15. & seq. ubi sic legitur. „ Quapropter comperiat omnium fi„ delium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum solertia, qualiter Bribinus fi„ delis dux noster veniens in Procerum nostrorum præsentiam, postulavit serenita„ tem nostram, ut de rebus proprietatis suæ, quas ei in proprietatem concessimus, „ liceret ei partem aliquam ob memoriam ejus dare ad S. Mauritium, & ad monaste„ rium nostrum Altaha, cui tempore illo Abbas Otgarius præesse videtur & rector. „ Cujus petitioni libenti animo assensum præbentes, decrevimus ita fieri. Dedit ita„ que Bribinus fidelis dux noster cum consensu & licentia nostra ad præfatum mona„ sterium S. Mauritii Martyris Christi de sua proprietate in suo Ducatu quidquid ha„ buit ad Salapiugiti intra terminos istos: in Orientem ultra Salam fluviolum usque „ ad Slongenzim Marchan & Strefmaten: & sic rursum per Salam usque ad Waltun„ gespuch, & sic inde usque ad Hrabagisreit, & ad Chiristetin. „ Cetera de confirmatione hujus donationis,

næ ditionem inferente, a Moravis idem Privina interfectus sit, colligitur ex Annalibus Francorum. Annalista Bertinianus.„ Anno 861. Carolomannus Ludovici Germaniæ Regis filius, „ cum Resticio Vinidorum Regulo fœderatur: a patre deficit, „ & Resticii auxilio, magnam sibi partem usque ad Hin fluvium paterni Regni præsumit. *Fuldensis ad eund. ann.* 861. „ Carolomannus quoque filiorum Regis maximus, res novas „ molitus est: expulit enim Duces, quibus custodia commissa „ erat Pannonici limitis & Carantani, atque Marcham ordinavit. „ Eo igitur anno occasionem nactus Resticius sive Rastices Moravorum Regulus id perficiendi, quod Moymarus suus patruus, dum Privinam circa annum 828. ditione sua privatum, fugam ad Ratbodum capessere compulit, in mente habuerat, conjunctis cum Carolomanno armis non Carinthiam tantum, sed etiam Pannoniam inferiorem, ubi Privina dominabatur, invadens, eundem Privinam tamquam antiquum hostem, e medio sustulit. Excepit Priwinam Hezilo filius eodem quo pater occubuit anno: cujus Hezilonis benefacta ab anno Chr. 865. usque ad annum 871. sub Adelwino Juvavensi Præsule a laudato Anonymo narrantur, idest, usquedum Methodius in Hezilonis atque Rasticii & Zuentibaldi Moraviæ Ducum ditionem usum linguæ Slavonicæ præ Latina invexit. Quo autem is anno diem clauserit, non constat. Certum tamen est, ei in Pannoniæ inferioris Dravum inter & Savum ducatu successisse filium *Wratislaum* seu *Bratislaum*, qui *Braslavus* & *Braslavo* in Annalibus Francorum appellatur ad annum Chr. 884. Hansizius Tom. 2. pag. 139. de Ditmaro seu Theodmaro Juvavensi Archiepiscopo, Adalvini & Adalberti successore, qui S. Methodium Moravorum Apostolum oppugnabat, eo quod a Joanne VIII. Papa Methodius non solum a calumniis, quibus ob usurpationem linguæ Slavicæ impetebatur, absolutus, sed cum egregia commendatione adArchiepiscopatum Moraviæ, literis Sventopluco Comiti mense Junio anno 880. datis, remissus esset: de Ditmaro, inquam, loquens: „ Causam (inquit) Metropolitanæ Juvavensis per Pannoniam adhuc sustinebat Arnolfus, cui post obitum Carolomanni patris ditio „ castri Mosburgensis, deinde post obitum Ludovici patrui „ Germaniæ Regis, dominatio Carantana, cui Pannoniæ adscri-

„ scribebantur, cesserat. Sed anno 783. Sventibaldus Moravus Pannoniam occupavit: in ejus etiam partes abscessit „ Bratislaus Hezilonis Pannoniæ inferioris Ducis filius. Tum „ exclusa penitus Juvavensium potestate, solus omnia Methodius potuit: nisi quod Pannonia inferior cum Duce Bratislao „ (quem Fuldenses Braxlavonem appellant) anno (a) 885. „ ad officium rediit, copiamque dedit Theodmaro, uti possessiones illic egregias, Arnolfi dono, nancisceretur. „ Pergit enarrans, quomodo Germaniæ proceres quum anno (b) 886. a Carolo Crasso abhorrerent, odio Luitberti Moguntini, tum ob indicia debilitatæ mentis non obscura, legatus ad eum est communi voto Theodmarus, qui magisterium sacrorum nuper in Palatio Carolomanni Regis cum approbatione gesserat. Demum eo ventum, ut palam ab Carolo deficerent, invitato ad solium Arnulfo, qui mox Theodmarum in gradum Archicapellani optavit; qua provincia Præsul exinde constanter functus est, expertus eundem Arnulfum in se Ecclesiamque suam Juvavensem multimodis benignum. „ Nam & Ecclesiam *Ratenbaslacensem*, & *Chiemensem* ei contulit; præterea *Abbatiam Mosaburch*, *ubi S. Adrianus requiescit*, in loco scilicet, quem olim *Priwina*, deinde filius ejus *Hezilo*, ac „ modo *Wratislaus* seu *Braslavus* nepos possidebat; plurésque „ locos & Ecclesias regionis illius, quam quondam *Luitprammus* Archiepiscopus circumierat: „ *Ecclesiam ad Turnawa* (fort. *Nitrawa*) item ad *Pettava* (Bettobiam scilicet) *Ecclesiam cum tota civitate*: aliaque, de quibus diploma luculentum extare ait Megiserus; Hansizius tamen se hactenus non vidisse affirmat, agnoscere tamen se ait ex Præcepto Philippi II. Romanorum Regis, quod hæc omnia confirmat. Hæc Hansizius. Verum non anno 885. neque ad Arnulfi, sed anno 884. ad Caroli Crassi obedientiam rediit Brazlavus, & ab Arnulfo abhorruit usque ad annum 887. quo Carolus dejectus est. Annalista Fuldensis. „ Anno 884. Imperator (*Carolus scilicet Crassus*) per „ Bajowariam ad Orientem proficiscitur: veniensque prope „ flumen Tullinam, monte Comiano colloquium habuit. Ibi „ inter

a Imo, anno 884. uti mox patebit.
b Non anno 886. sed sequenti a Germaniæ proceribus dejecto Carolo Crasso, Arnulfus Rex electus est. Vide Annales Fuldenses ad ann. 887.

„ inter alia veniens Zwentibaldus Dux cum principalibus suis, „ homo (sicut mos est) per manus Imperatoris efficitur, contestatus illi fidelitatem juramento, & usquedum Carolus „ vixisset, nunquam in Regnum suum hostili exercitu esset „ venturus. Postea veniente Brazlaworum (*leg. Brazlavone*) „ Duce, qui in id tempus Regnum inter Dravo & Savo flumina tenuit, suique militiæ subditus adjungitur. Rex (*Carolus*) per Carentam in Italia perrexit, prospere Papia natalem Domini celebravit. „ *Idem Annalista*. Anno 887. Alamanni contra Liutwardum Episcopum dolose conspiravere, „ qui tunc maximus consiliator Regis in Palatio fuit, & eum a „ præsentia Imperatoris omni honore privatum abire compellunt. Ab illo ergo die male inito consilio Franci, & more „ solito Saxones & Duringi (*Turingi-scil.*) quibusdam Bajowariorum Primoribus & Alamannorum admixtis, cogitaverunt deficere a fidelitate Imperatoris, nec minus perficere. Igitur veniente Carolo Imperatore Franconofurt, isti „ invitaverunt Arnolfum filium Karlmanni Regis, ipsumque „ ad Seniorem elegerunt, & sine mora statuerunt ad Regem „ extolli. Karolus nitens bellum contra Arnolfum Regem instaurare, sed non proficit. „ Cetera ibi legenda de Karoli depositione & Arnulfi inauguratione; quod factum ad annum 887. mense Novembri circa transitum S. Martini ab omnibus Annalistis confertur. Vide Pagium num. 7. & seq. Itaque „ Rex Arnolfus in urbe Ratispona, receptis (uti habet Fuldensis) primoribus Bajowariorum, Orientalibus Francis, „ Saxonibus, Duringis, Alamannis, magna parte Sclavanorum, natalem Domini (*exeunte anno* 887.) & Pascha „ (*ineunte anno* 888.) ibidem honorifice celebravit. „ Mox receptis in gratiam Odone Rodberti filio, Rudolfo Chuonradi filio, & Berengario Eberhardi filio, qui ad ejus colloquium admissi fuerant, paucis secum assumptis, Forum-Juliense penetrans, in curte Corontana natalem Domini (*exeunte anno* 888. celebravit. Nimirum, in Carinthia. Proinde, post Caroli Crassi depositionem (cui & Zuentibaldus, & Braslavus, Moravorum Duces, paruerant) ad Arnulfi partes iidem Duces statim transierunt. Sequitur enim ad annum 889. „ Exeunte „ mense Majo Rex (Arnulfus) apud villam, quæ dicitur Fo-

„ rabhem,

„ rahhem, generalem conventum habuit, ibique disputans de „ statu Regni sui, consultum est, ut eodem tenore Primores „ Francorum, prout Bajowarii, juramento confirmarent, ne „ se detraherent a principatu & dominatu filiorum ejus, Zuuen„ tibulchi quidem, & Ratoldi, qui ei de concubinis na„ ti erant. Eo tamen modo, ut si de legali sua uxore heres ei „ non produceretur. Advenientibus etiam ibidem undique „ nationum Legatis, Nordmannorum scil. ab Aquilone, Scla„ vanorum, pacifica optantes. „ Et ad ann. 890. *Arnulfus concessit Zuuentibolcho Marahensium Sclavorum Regi Ducatum Behemensium*, uti habet Annalista Metensis. Additque Fuldensis ad ann. 891. *Rex Legatos pro renovanda pace ad Maravos transmisit*. Nimirum, non modo ad Zuentiboldum, sed etiam ad Braslavum. Quin imo quum Zuentiboldus ex adjectione Ducatus Bohemiæ, fastu superbiæ inflatus, contra Arnulfum anno 892. rebellasset; Braslauus in fide Arnulfi constans permansit, Fuldensi teste, cujus hæc sunt verba. „ Anno 892. Rex „ de Francia cmu victoria (*de Nortmannis reportata*) in „ Alamannia curte Regia Olma honorifice Natalem Domini „ celebravit. Inde Orientem proficiscitur, sperans ibi Zuuen„ tibaldum Ducem obvium habere. Sed ille more solito ad „ Regem venire renuit, fidem & omnia ante promissa menti„ tus est. Inde Rex irato animo in Hengistfeldono cum Braz„ lavone Duce colloquium habuit: ibi inter alia quærens tem„ pus & locum, quomodo possit terram Maravorum intrare. „ Consultum est enim, ut tribus exercitibus armatis Regnum „ illud invaderet. „ Cetera mox proferam, quum de Zuen„ tibaldo Moraviæ Rege sermo redibit.

XVI. Rastices, alias Ratilaus, & Ratislavus, Moraviæ Rex, post Moymarum, diversus a Svatopluco, seu Sventibaldo, ipsius nempe nepote. Ad Christi fidem conversus (ut ajunt) a SS. Cyrillo & Methodio.

Quo tempore in Pannonia inferiore inter Dravum & Savum Slavis Privina præerat, Moravorum ultra Danubium Rex erat *Rastices*, Moymari nepos, qui patruo defuncto, a Ludovico Germaniæ Rege usque ab anno Christi 846. Regnum accepit. Annalista Fuldensis. „ Ludovicus circa medium mensem „ Augusti cum exercitu ad Sclavos Margenses (*a*) defectio„ nem molientes, profectus est, & juxta libitum suum com„ positis rebus, Ducem eis constituit Rasticem nepotem Moy„ mari.

a *Margenses*, *Marclenses*, *Maruani*, & aliter, appellati leguntur *Moravi*, & *Maravi*: quorum legati anno 822. a Ludovico Pio Imp. auditi & absoluti.

„ mari. „ Hujus Moravorum Ducis nomen non uno modo profertur ab Auctoribus: *Raſtices* quippe a Fuldenſi appellatur: *Raſtices* & *Reſtitius* a Bertiniano: *Ratzidus* ab Hildensheimenſi: *Raſlaus* a Dubravio: *Raſtizes*, *Raſtilaus*, & *Ratiſlavus* a Pagio ad ann. 846. & 863. *Radiſlaus* a Kohlio pag. 137. quod poſtremum, *Radiſlavus* ſcilicet, & *Ratiſlavus* ad Slavicum idioma magis accedit. Verum ſicut in nomine, ita & in rebus ejus geſtis magnum eſt apud ſcriptores diſcrimen: ſunt enim, maxime ex Neotericis, qui eum cum *Svetopeleco* confundunt, duoque hæc *Svetopelechi* & *Radiſlavi* nomina, unum eundemque Ducem ſive Regem Moraviæ deſignare autumant, qui a Cyrillo Philoſopho, ut ajunt, ad Chriſti fidem converſus ſit. Hæc ſententia Presbyteri Diocleatis fuit, qui in lib. de Regno Slavorum tradit, qua tempeſtate Sfetopelek Regnum Slavorum in Dalmatia obtinebat, Slavos omnes Conſtantini ſive Cyrilli doctrinis imbutos, unacum ipſo Rege Chriſtianæ religioni nomen dediſſe. Sveropolim eum vocat Andreas Dandulus ad ann. 874. Sveropilum Flavius Blondus lib. 2. quorum verba recitat cl. Farlatus Tom. 1. Illyrici Sacri pag. 125. ad ditque „ Quem Diocleas Sfetopelek, ipſi Sveropolim vocant; „ eundem quippe Regem alii Budimirum, alii Raſtiſlavum, „ alii Swantoplucum, alii Sfentoplucum, alii Sfendoplocum, „ alii aliter appellant: „ Sic & Henſchenius in commentar. prævio ad Vitam SS. Cyrilli & Methodii ad IX. Martii §. IV. num. 31. „ Sparſus illico apud cæteras Slavinorum phylarchias „ rumor converſionis Chazarorum, ad Raſtilaum præpotentem eo tempore Principem Moraviæ, qui & Swantoplucus „ ſive Sfentipulcus appellari alibi videtur, quum gentem ſuam „ videret ultro ab idolorum cultu receſſiſſe, & Chriſtianæ fidei percipiendæ avidam eſſe, Legatos & ipſe ad Imp. Michaëlem mittit, oratque, ut eximium illum doctorem Conſtantinum, qui Chazaros erudiiſſet, ad ſuam quoque gentem „ inſtruendam venire pateretur. „ Alii diſtinguunt quidem *Raſtiſlavum a Sventoplaco*, ſed utrumque *Sventoplucbi* nomen geſſiſſe ſcribunt, & primum *Seniorem Sventoplucum* vocant, alterum *juniorem*, qui poſt ſenioris obitum Regno Moraviæ potitus ſit. Sic Farlatus Tom. cit. pag. 126. „ Præterea Conſtantinus Philoſophus, qui poſtea appellari voluit Cyrillus, „ Sfen-

„ Sfendoplecum ad Christi cultum traduxit ante obitum Nicolai Romani Pontificis, qui ex hac vita decessit anno 867. Ab hoc siquidem post ejus Regis Regnique conversionem, in Urbem evocatus quum esset, ut Apostolicæ illius expeditionis rationem redderet, Romam pervenit, Nicolao jam mortuo, suffectoque in ejus locum Hadriano II. ut docent Acta SS. Cyrilli & Methodii apud Hagiologos Antuerpienses Tom. 2. die IX. Martii. Hadriano autem successit Joannes VIII. anno 872. cujus extat epistola ad Sfentopulcrum gloriosum Comitem anno circiter 880. scripta. Is Sfentopluchus nepos erat Sfentopluchi senioris, ejusque successor, ut docent iidem Hagiographi Antuerpienses; estque ille, quem Annales Fuldenses ad ann. 894. vocant Zuantoblok Regem Marahensium, ideſt Moravensium Slavorum, & Constantinus Porphyrogenitus supra laudatus Sphendopluchum Principem Moraviæ appellat: huic enim tum Annales illi, tum Porphyrogenitus tres filios attribuunt. „ Alii demum, ut Stredowskius apud Kohlium pag. 137. *Radislaum* a *Suatopluco* distinguentes, uno tamen eodemque tempore ambos a Cyrillo ac Methodio baptizatos scribunt: „ die (inquiunt) declarata, in solennissimo populi confluxu Radislaus & Suatoplucus Reges, cum ingenti Reginæ Miloslavæ solatio palam Weleradii a SS. Apostolis aquis salvificis sunt abluti: quorum exemplo alii Principum Dynastarumque Moraviæ plurimi prævie necessariis imbuti, per eosdem, Baptismi beneficio, Ecclesiæ Christi sunt adunati. „ Nos vero relictis hujusmodi Neotericorum opinionibus, antiquos ejus ævi Scriptores sequimur, qui & *Radislaum* a *Sventopulco* distinguunt, & hunc alteri defuncto successisse affirmant, Radislaum denique nomine Sventopulchi nunquam donatum testantur. Hinc Pagius ad annum 863. num. 16. Bollandum (ut ipse ait, sed verius Henschenium) recte arguit his verbis: „ Præterea ibidem (*a*) „ Rastilaum cum Swantopluco sive Sfentipulco, qui & Zuentibaldus appellabatur, perperam confundit. Ut enim videre est in Annal. Fuldensibus anno 855. & seqq. Rastices seu Rastizi, qui idem est cum Ratislao, Moraviæ Principatum „ rexit

a In Comment. prævio ad illam Vitam §. IV.

„ rexit usque ad ann. 870. quo Karlomanni Regis jussu excæcatus fuit ob infidelitatis crimen, & Zwentibald nepos Rastizi in locum ejus substitutus. De utroque Principe diserta mentio est in posteriori vita utriusque Sancti, diciturque, *Seditiosum Swadopluk* conatum esse *religiosum Principem avunculum suum* occulte potione veneni occidere: Subditurque; *postquam vero devotus Rex* (nempe Rastices sive Rastilaus) *fuisset naturali morte præventus, & Swadopluk Regnum Moraviæ gubernaret*, Christianos persecutus est: qua de re suo loco. Qui itaque Cyrillum & Methodium a Michaële Imperatore postulavit, ut in Moravia verbum Dei prædicarent; *Rastices*, seu *Rastizi*, seu *Rastilaus* fuit, eique *Zuentibaldus* seu *Swadopluk* nepos successit.

XVII. Tam Rastices Moraviæ Rex, quam Viztrachus Bohemiæ Dux, & Sclavitagus ejus filius, & Tabamuizil Abotritorum; Dalmatæ quoque, Sorabi, Slusi, & Winidi, a Ludovico Rege Germaniæ deficiunt, & ab eodem subjugantur. Rastices dolo Svatepluchi seu Sventibaldi nepotis, comprehensus, Ludovico traditus, & ab eodem excæcatus, atque in Monasterium anno 870. detrusus est.

Ratislaus igitur sive Rastices, avunculo dejecto aut defuncto anno Chr. 846. Moravorum Principatum, beneficio Ludovici Germaniæ Regis, adeptus, eodem quo avunculus *Moymarus* spiritu superbiæ inflatus, defectionem & ipse molitus est. Quare Ludovicus anno 855. cum magno exercitu contra eum perrexit, eventu tamen minus prospero. Animum Ratislao addiderant Slavi alii, qui omnes unanimi consensu adversus Ludovicum insurrexere. Bertinianus Annalista: *Ludovicus Rex Germanorum crebris Sclavorum defectionibus agitatur*. Fuldensis hæc fusius describit: „ Rex Ludovicus in Sclavos Margenses contra Rasticen Ducem eorum sibi rebellantem, parum prospere ducto exercitu, sine victoria rediit, malens adversarium firmissimo, ut fertur, vallo munitum ad tempus dimittere, quam militum suorum periculose pugnando damna sustinere: magnam tamen provinciæ partem prædis, & incendiis vastavit exercitus, nec paruam multitudinem hostium castra Regis invadere cupientium usque ad internecionem delevit; quia post reditum Regis, Rastices cum suis insecutus, plurima trans Danubium finitimorum loca prædando vastavit. „ Non solus Rastizes, sed etiam Sorabi, Dalmatæ, Winidi, & Bohemi, adversus Ludovicum Germaniæ Regem defectionem moliti sunt, uti ex Annalistis Francorum constat: quorum verba etsi supra a nobis recitata sunt, operæ tamen pretium existimo, ad illustrandam Moravorum historiam, huc suis quæque annis conferre. Anno igitur 856. Lu-

Ludovicus diutius in expeditione Sclavorum detentus, ubi & magnam sui exercitus partem amisit, collecto exercitu, per Sorabos iter faciens, Ducibus eorum sibi conjunctis, Dalmatas prælio superat, receptisque obsidibus, tributarios facit: inde per Bohemos transiens, nonnullos ex eorum Ducibus in deditionem accepit. Anno 857. Otgarius Episcopus, Rodolfus Comes Palatii, & Ernustus Ernusti Ducis filius, a Ludovico Rege cum hominibus suis & Bohemis missi, civitatem Wiztrachi Ducis (unius scilicet ex pluribus Bohemorum Ducibus) ab annis multis rebellem, occupant, expulso ab ea Sclavitago filio Ducis Wiztrachi, qui tyrannidem in ea exercebat. Quo per fugam lapso, ad Rasticem Moraviæ Ducem se conferente, frater ejus qui ab eo patria pulsus apud Czizriborum Sorabum exulabat, ad Regem Ludovicum veniens, loco fratris Dux constituitur. Anno 858. Ludovicus Rex tres exercitus in diversos Regni sui terminos mittit: unum quidem per Karolomannum filium suum seniorem contra Rasticem: alterum per Ludovicum filium minorem contra Abotritos & Linones, qui Rastici tunc temporis parebant: tertium per Tracholfum (*a*) contra Sorabos dicto obedire nolentes, qui Czizriborum Ducem suum Ludovico fidelissimum interfecerant. Anno 861. Karolomannus Ludovici Regis Germaniæ filius, Duces quibus custodia Pannonici & Carantani limitis commissa erat, expellit, atque per suos Marcham illam ordinat. Cnm Rastice Winidorum (idest, Moravorum & Abotritorum) Regulo fœderatur, & ejusdem Rasticis auxilio, magnam sibi partem paterni Regni occupat. Anno 862. Karolomannus cum patre Ludovico Rege reconciliatur: Rex autem ducto in Abotritos exercitu, Ducem eorum Tabamuizilem rebellantem, dicto obedire, & filium suum cum aliis obsidibus dare cogit. Hungari, hostes antea illis populis inexperti, Regnum Ludovici depopulantur. Anno 863. Karolomannus a Rastice desertus, & a suis deceptus, sub conditione sacramenti a patre Ludovico Rege recipitur, & secum in libera custodia tenetur. Rex enim Ludovicus collecto exercitu, specie quidem quasi Rasticem Moravorum Slavorum Ducem cum auxilio Bulgarorum ab Oriente venientium doma-

a Ad ann. 873. Annalista Fuldensis: „ Trachulfus Comes & Dux Sorabici limi-
„ tis mense Augusto defunctus est.

domaturus; re autem vera ad Carantanos filium Karolomannum expugnaturus, accessit. Karolomannus proditione Gundachari Comitis sui, (qui propterea Carantanis præfectus fuit,) copiis amissis, per juramenta Principum venit ad patrem, & de objectis sibi criminibus sese purgavit. Anno 864. Karolomanus a patre fuga elapsus, Marchas sibi ablatas, cum consensu Marchionum, qui eum tradiderant, occupat, & anno 865. cum patre reconciliatus, easdem Marchas retinet. Anno 866. Ludovicus Germaniæ Rex misso contra Winidos Rastici subjectos rebellionem molientes exercitu, eos sine conflictu domat. Hujus Ludovici filius minor, & ipse Ludovicus dictus, graviter ferens, quod Rex quædam beneficia sibi subtrahens, Karlomanno fratri suo ea reddidisset, Comites a patre suo ob infidelitatem jam ab anno 861. depositos, suis adhibens consiliis pristinam eis dignitatem restituturum se promittit, modo secum contra Regem conspirarent: misso etiam ad Rasticem legato, ab eo petit, ut ejusdem conspirationis fautor fieret. Sed Karlomanno, cui pater illam Marcham dederat, satagente, Rastices intra sua se cohibet. Ludovicus vero pater suis undique confluentibus, tantum hostibus terrorem incussit, ut Ludovicus filius coactus sit patri suo reconciliari. Anno 869. Annalista Fuldensis. „ Sclavi qui vocantur Behemi, terminos Bajoariorum crebris incursionibus infestant, & quasdam villas incendio tradentes, mulieres inde duxere captivas; contra quos Ludovicus Rex tutores partium illarum interim misit, donec ipse opportuno tempore suorum vindicaturus injuriam, in desertores arma corriperet. Karlomannus exercitibus Rastici bis numero congressus, victor extitit, prædam inde capiens non modicam sicut ipse literis ad patrem suum destinatis retulit. Sorabi, & Siusli, (*an Slesitæ?*) junctis sibi Behemis, & cæteris circumcirca, antiquos terminos Thuringiorum transgredientes, plurima loca devastant, & quosdam sibi incaute congredientes interficiunt. Cundachar (*a*) Vassallus Karlmanni, qui multis perjuriis & dolosis machinationibus Ludovico Regi ejusque filiis sæpenumero extitit infidelis, & „ pro-

---

a Supra, *Gundachar* ad ann. 863. „ Gundachar Comes cum omnibus copiis transivit ad Regem Ludovicum, prodito Karlmanno filio) *& prælatus est Carantanis, sicut ei prius occulte promissum est, si dominum suum fraude decepisset.*

" proprium dominum derelinquens, ad Rasticem defecerat,
" contra patriam more Catilino dimicare volens, occisus est.
" Hic, Karlmanni Ducibus ad locum certaminis appropin-
" quantibus, dixisse fertur ad eos, quibus a Rastiso erat præ-
" latus: Pugnate fortiter, vestram patriam tuentes: ego enim
" in hoc certamine vobis proficuus non ero, quoniam Sanctus
" Emmerammus cæterique Sancti, in quorum Reliquiis Lu-
" dovico Regi filiisque illius fidem me servaturum esse juravi,
" meum clypeum & hastam tenentes, mea brachia iisdem depri-
" munt, & me undique constrictum quasi loris ligatum reti-
" nent, ita ut nec manum quidem ad os mittere valeam. Dum
" hæc infelix loqueretur, nostris supervenientibus occubuit,
" Domino illi infidelitatis suæ condignam mercedem retribuen-
" te. Quod quum Regi relatum fuisset, omnes in commune
" laudare Dominum, signis etiam cunctarum in Regenesburg
" Ecclesiarum concrepantibus, pro interitu hostis extincti præ-
" cepit. *Et post pauca*. Mense vero Augusto Rex Ludovicus
" collectis copiis, in tres partes dimisit exercitum. Æquivo-
" cum suum (*Ludovicum natu minorem*) cum Thuringiis &
" Saxonibus ad comprimendam Sorabórum audaciam destina-
" vit. Bajoarios vero Karlmanno in adjutorium fore præcepit,
" contra Zuentibaldum nepotem Rastizi dimicare volentem.
" Ipse autem Francos & Alamannos secum retinuit adversus Ra-
" stizen pugnaturus; quumque jam proficiscendum esset,
" ægrotare cœpit. Unde necessitate compulsus, Karolum fi-
" liorum suorum ultimum eidem exercitui præficit, Domino
" exitum rei commendans. Qui dum cum exercitu sibi com-
" misso in illam ineffabilem Rastici munitionem & omnibus
" antiquissimis dissimilem venisset, Divino auxilio fretus,
" omnia mœnia regionis illius cremavit incendio, & abscon-
" dita quæque in silvis, vel defossa in agris reperiens, cum
" suis diripuit, omnesque sibi congredientes fugere compulit
" vel interfecit. Nec minus Karlomannus Regnum Zuentibal-
" di nepotis Rastizi igne & gladio depopulatur: vastatataque
" omni regione, Karlus & Karlmannus fratres convenerunt,
" de victoria sibi cœlitus data gratulantes. Interea Ludovicus
" frater illorum cum Sorabis manum conferens, primo quidem
" quibusdam occisis, hostes terga vertere coëgit: deinde ve-

„ ro non modica ex eis multitudine prostrata, & Behemis,
„ qui a Sorabis mercede conducti fuerant, partim occisis, par-
„ tim turpiter ad sua redeuntibus, ceteros in deditionem acce-
„ pit. Dum hæc in diversis locis gerebantur, Ludovicus Rex
„ apud Radasbonam Bajoariæ civitatem gravi detinebatur in-
„ firmitate. *Et mox*. Omnes autem Ludovici Regis filii in di-
„ versis locis rebus prospere gestis, sine damno militum suo-
„ rum cum triumpho regressi sunt. Behemi dextras sibi a
„ Karlmanno dari petunt, & accipiunt. Anno 870. (*idem Ful-*
„ *densis Annalista*.) Ludovicus Rex de infirmitate sua conva-
„ lescens, mense Februario in Purificatione S. Mariæ ad Fran-
„ conofurt villam Regni sui pervenit, ibique plurimos de
„ optimatibus Lotharii diu illum opperientes, in suum susce-
„ pit dominium, & beneficium illis a Karolo (*fratre suo*) su-
„ blatum restituit. *& paucis interjectis*. Zuentibald nepos
„ Rastizi, propriis utilitatibus consulens, se Karlmanno una-
„ cum Regno quod tenebat, tradidit. Unde Rastiz vehe-
„ menter iratus, nepoti occulte ponit insidias, & eum in con-
„ vivio nihil mali suspicantem jugulare disponit; sed gratia
„ Dei a periculo mortis liberatus est. Nam antequam illi,
„ qui eum necaturi erant, domum intrarent, surrexit de loco
„ convivii, annuente sibi quodam ejusdem fraudis conscio,
„ & quasi cum falconibus ludum exercens, præparatas devita-
„ vit insidias. Rastiz autem videns denudatum consilium
„ suum, nepotem cum militibus quasi comprehensurus inse-
„ quitur: sed justo judicio Dei captus est laqueo quem teten-
„ dit. Nam ab eodem nepote suo comprehenditur, ligatur,
„ & Karlmanno præsentatur: a quo sub militibus illum ne ela-
„ beretur observantibus in Bajoariam missus, usque ad præ-
„ sentiam Regis servandus in ergastulum retruditur. Karlman-
„ nus vero Regnum illius nullo resistente ingressus, cunctas
„ civitates & castella, in deditionem accepit; & ordinato Re-
„ gno atque per suos disposito, ditatusque gaza regia rever-
„ titur. *Tum subjungit*. Morante autem Ludovico Rege in
„ Aquense Palatio, venerunt ad eum Legati Ludovici Impe-
„ ratoris de Italia, simulque Hadriani Papæ, quos ille susci-
„ piens, absolvit. Et post paululum inde transiens, circa Kal.
„ Novembr. in Bajoariam profectus est; ibique cum suis col-
„ lo-

„ loquium habens, Rastizen gravi catena ligatum sibi præsen„ tari jussit; eumque Francorum judicio & Bajoariorum, nec „ non Sclavorum, qui de diversis provinciis Regi munera de„ ferentes aderant, morte damnatum, luminibus tantum „ oculorum privari præcepit „. *Annalista Bertinianus ad annum* 870. „ Ipse (Ludovicus Rex Germaniæ) mox ut ali„ quantulum convaluit, ad Reginisburg pergens, Restitium „ Winidorum Regulum a Carolomanno per dolum nepotis „ ipsius Restitii captum, & aliquandiu in custodia detentum, „ post judicium mortis, excæcari, & in Monasterium mitti „ præcepit. *Annalista Weingartensis ad ann.*870. *apud Mabil„ lon. Tom.* IV. *Analect.* „ *Rastizius Dux a Ludovico Rege, & Soltanus ab Imp. captus est*. Idem habent Annales Sancti Galli a Duchesnio Tom. 2. editi, nisi quod, loco *Soltani*, in iis legitur *Soldanus*: is nimirum Saracenorum Princeps, alias dictus *Seodan*, qui una cum Bario in potestatem Ludovici II. Imperatoris eod. anno 870. venit. Vide Pagium ad eund. ann. num. 29. ad 31.

XVIII. Quid de Rasticis seu Ratislai Moraviæ Regis obitu sentiendum? Quid de ejus pietate?

Ita de Rastizii, sive Ratislai Moraviæ Principis morte Annalistæ Francorum. At in posteriori Vita *SS.Cyrilli & Methodii*, res aliter narratur: Svatoplucus quippe dicitur in necem Rasticis frustra conspirasse, & Rastices deinde naturali morte obiisse. „ Cernens autem (*a*) ludificator animarum diabolus, „ populum semper suis mancipatum servitiis sibi subtrahi, & „ Christo Regi applicari; nequitiarum indutus armis, ad tan„ tam malignitatis perfidiam Deo odibiles excitavit, ut sedi„ tiosus Swadopluk Princeps doli cum sibi adhærentibus frau„ dum complicibus fremeret, intantum quod religiosum Prin„ cipem avunculum suum occulte potione veneni appeteret „ occidere, quatenus in loco ejus posset regnare. Sed pius „ Rex sumpto ignoranter potu lethali, divina se gratia prote„ gente, nil nocuum sensit in corpore. Postquam vero devo„ tus Rex fuisset naturali morte præventus, & Swadopluk „ regnum Moraviæ gubernaret, sua feritate inflatus, fastu ar„ rogantiæ, cum ministris Satanæ, qui sibi pari conspiratione „ tamquam canes rabidissimi erant connexi, doctrinam viri „ Dei vanam fore asserebant, & eos, quos una cum eis erro-

 „ neos

a Num. 9. ad IX. Martii pag. 23. col. 1.

„ neos revocaverat ad viam veritatis, ſalutis, & gratiæ, labo„ rabat exterminare „. *Hoc ipſum in Breviario Olomucenſi*: „ (*a*) Sed quia ab ipſo mundi primordio poſtquam proto„ plaſtus ſumpſit vetiti amaritudinem pomi, ſeminarium di„ ſcordiæ inter humilitatem & ſuperbiam, inter dilectionem „ & odium, & reliqua virtutum odoramenta vitiorumque fœ„ torem, humani generis inimicus uſque ad præſens fundere „ non deſiſtit; dolens populum ſuis ſemper ſervitiis mancipa„ tum ſibi ſubtrahi, veroque Regi Chriſto Domino acquiri; „ totis nequitiarum armis indutus, novos ſatellites & ignaros „ ad tantam perfidiam bellandi adit, diſcordiarum venenata „ ſemina inter ipſos primarios rectoreſque jactitat, & avaritiæ „ & ſuperbiæ ignita tela parat. Et hoc intantum, ut Swato„ pluk, qui erat nepos Principis vel Regis glorioſi, qui in„ ſtitutor & rector totius Chriſtianitatis ſeu religionis extiterat „ benignus, ipſum Avunculum ſuum inſidiis appetitum Re„ gno pellere, viſu privare, vitamque ei veneno conaretur „ auferre. Sed hauſto illo peſtifero potu, protegente ſe di„ vina gratia, nil adverſum patitur. Dehinc Swatopluk ty„ rannide ſuſcepta, faſtu arrogantiæ inflammatus, cum ſibi mi„ litantibus ſodalibus, Pontificis Methudii prædicationem quaſi „ mellifluam reſpuit „ & cæterâ de Svatopluki faſtu, ac tyrannide, & quomodo is a Methodio fuerit excommunicatus, ac demum pœnitentia ductus de his quæ Sancto Methodio injuſte intulerat, Borzivojum Bohemiæ Ducem ad Chriſti fidem adduxerit. Sed vereor, ut a vero utraque narratio nonnihil recedat. nam quod Annaliſtæ Francorum perhibent de Raſtize, *eum* ſcilicet *nepoti Zuentibaldo iratum*, *occulte ei poſuiſſe inſidias in convivio*, hoc a Zuentibaldo confictum videtur, ut crimen proditionis a ſe amoliretur: nam qui *propriis utilitatibus conſulens*, *ſeipſum unacum Regno quod tenebat*, *Karlomanno tradiderat*, quo pacto is ab avunculo *Raſtice in convivio excipi potuit*, *ut in eo convivio nihil mali ſuſpicans*, *jugularetur*? Id quoque a ſimilitudine veri abhorrere dixeris, quod Biographus de *propinato Raſtici a nepote Zuentibaldo veneno refertur*: Zuentibaldus enim qui unacum avunculo arma adverſus Carlmannum conjunxit, non in eadem regione, neque cum

a Ibid. pag. 24. num. 5.

cum iisdem copiis degebat tum, quum accepta a Carlomanno securitate, uterque in urbem Rasticis invadens, cum comprehensum ligatumque in Bajoariam ad Ludovicum Regem misit plectendum.

Hagiographus in (a) posteriore vita *Rasticen* Moraviæ Principem vocat *religiosum*, *pium*, ac *devotum*: quippe qui, & ipse Baptismatis unda per Cyrillum ac Methodium mundatus est, & populum suum ad fidei lumen adducendum curavit. Et in Breviario Olomucensi num. 4. sic legitur: „Ipse autem Cyrillus (cui potior conversionis Moravorum attribuitur) etiam „ibi (in Moravia) persistens, monachicum habitum ibi suscipiens, diem clausit extremum, relinquens supermemoratis „in partibus fratrem suum, nomine Methudium virum strenuum omnique sanctitate decoratum. Qui etiam postquam „multos Christi manipulos congregaverat, ab ipso Principe, „qui partibus in illis tunc dominabatur, & imperabat universæ terræ ceu magnificus Imperator, statuitur, ut Summus „Pontifex fieret, habens sub se septem Pontifices ejusdem „sanctitatis.

Multa tamen hic sunt expendenda. Primum circa *pietatem*, *religionem*, ac *devotionem Rasticis*. Hæc certe in eo præcipue stetit, quod is Christianæ religioni nomen dedisse dicitur, & sanctum Cyrillum ab Imperatore Michaele petiisse, ut quod ab illo factum fuerat in Chazarorum provincia, id etiam in Moravia efficeret: „Nuncians hoc (ut in priori vita dicitur) „quod populus suus ab idolorum quidem cultura recesserat, „& christianam legem observare desiderabat; verum doctorem talem non habent, qui ad legendum eos, & ad perfectam legem ipsam edoceat: rogare se, ut talem hominem „ad partes illas dirigat, qui pleniter fidem & ordinem divinæ Legis, & viam veritatis populo illi ostendere valeat.

XIV. An S. Cyrillus fuerit Episcopus?

Alterum, circa *Cyrilli* sive *Constantini* Ecclesiasticam dignitatem. Sunt enim, qui eum *Episcopum* consecratum fuisse affirmant, & *Episcopatui renunciasse*, postquam illum in Moravia per aliquot annos gessisset. In *Olomucensium Episcoporum Serie*, quam *Augustinus* decretorum doctor, ejusdemque Olomu-

a In specimine Ecclesiæ Ruthenicæ per Ignatium Kulczynski Monachum Ordinis S. Basilii, Ruthenum. Romæ typis Hieron. Mainardi 1733. pag. 10. & 18.

mucensis ac Brunnensis EcclesiarumPræpositus &Secretarius Regius, ad *Stanislaum* Olomucensem Episcopum, (*a*) edidit, de Cyrilli ac Methodii Episcopatu hæc leguntur: „ Primus Ar-
„ chiepiscopus Moraviæ Cyrillus, natione Græcus, prius
„ Constantinus Philosophus dictus, a Nicolao primo Pon-
„ tifice maximo, anno Christi 887. (leg. ante annum 867.)
„ sedem Velegradensem suscepit; postquam Triballos pri-
„ mum, inde Swatoplukum Moravorum Regem, cum
„ universa gente (quæ Vistula, Danubio, ac Vago fluvio ter-
„ minabatur) in fide Christi initiarat. Fuere hi Marcomanni,
„ veterum quondam historiis celebratissimi. Hic quum Eccle-
„ siæ quinque ferme annis præsedisset, Archiepiscopatui cessit,
„ Adrianique Pontificis nutu, Methodium fratrem Ecclesiæ
„ Velegradensi præfecit. Qui quum a juniore Swatopluko
„ multis injuriis ac contumeliis cum Clero suo afficeretur, Ec-
„ clesiæ huic sacris interdixit, Romamque concessit: revoca-
„ tusque non multo post, quum nihilo remissius Rex in Cle-
„ rum sæviret, omnibusque sceleribus & vitiis homo sangui-
„ narius flagraret; Beatus Methodius gregis sui perditionem
„ ferre non valens, Romam iterum rediit, atque illic anno
„ Christi nongentesimo septimo ex hac luce migravit, in Ec-
„ clesia Divi Clementis (cujus corpus Cyrillus ex Chersona
„ Ponti Romam attulerat) sepultus: post cujus obitum Se-
„ des Episcopalis quinquennium fere vacavit „. Hæc Augustinus, cui Dubravius suffragatur, sic scribens *historiæ Bojemicæ* (*b*) lib. 4. de Borivorio Bohemiæ Duce a SS. Methodio & Cyrillo sacro fonte abluto: quod circa annum Chr. 894. factum narrat Cosmas (*c*) Pragensis. „ Quum itaque non solum ho-
„ norificam Borivorius, sed etiam fructuosam videt esse reli-
„ gionem Christianam, ad illam vehementer aspirare cœpit.
„ Sed meliore mox spiritu afflatus fuit, quum Divum Metho-
„ dium, Divi Cyrilli Collegam, ambos Moraviæ & primos
„ Antistites, de fide & religione differentem audivit... Ad-
„ fuit Spiritus Sancti gratia, animumque Borivorii, luce fidei
„ Chri-

a Rer. Bohemicar. Scriptores ex Bibliotheca Marquardi Freheri, Hanoviæ typis Wechelianis anno 1602. pag. 177.

b Tom. cit. pag. 23., & 26.

c Tom. cit. Cosmæ Pragen. Chron. pag. 11. *Anno Dom. Incarn.* 894. Boriwoy baptizatus est primus Dux Sanctæ Fidei Catholicus.

„ Christianæ sic illustravit, ut ibidem statim cum bene multis „ suis clientibus, aqua salutari a Methudio tingeretur: deinde uxor quoque ejus, cui Ludmillæ nomen, in Bojemia ab „ eodem tincta fuit, & magnus præterea Bojemorum utriusque sexus numerus ad Baptismum adfluebat „. Et paulo post, quum narrasset, Borivojum male a Bojemis ob dogmatis Christi professionem acceptum, in Moraviam secedere, Stoymiro in locum ejus Duce creato, coactum fuisse, subjungit: „ Ita Borivorius dignitati suæ (*exautorato eodem Stoymiro*) „ post decimum mensem restitutus, secum in Bojemiam Præsulem Methodium ex Moravia abduxit, ut ab impietate, „ quos posset, ad pietatem converteret, eosque in consortium „ Ecclesiæ sanctæ adscriberet: quorum Ludmilla Borivorii „ uxor, prima erat: dein liberi utriusque: mox etiam Slaviborius (*Melnicensis, qui Borivorii socer erat*) cum tota familia, sacro lavacro est ab eodem Methudio tinctus. Defectu templorum uni Deo consecratorum, sparsim tunc Methudius per ædes profanas rem divinam faciebat, semenque „ verbi Dei disseminabat, haud tanto profectu auctuque inter „ raros & dispersos, quanto fieri poterat in coetu multorum: „ sed nec tanta dignitate in angulis, quanta in Templis sacrorum illi sacrificiorumque obeundorum potestas fuit. Non „ cunctatus igitur Borivorius, ad Templum Pragæ ædificandum curam adjecit, conductisque operis, fundamenta „ Templo sub titulo Divæ Virginis, in loco maxime conspicuo, quem Curiam Lætam vocabant, ponere jussit. Extruxit deinde in Arce Vicegradensi Sacellum Divo Clementi, „ cujus corpus Cyrillus Antistes ex Chersoneso Pontica in „ Moraviam attulit, ac deinceps Romam secum extulit, clarum miraculis ac venerandum, ideoque Templo a Borivorio decoratum. Alterum idem mox Sacellum Divo Petro „ & Paulo, ducibus ad Christianismum doctoribusque gentium, in colle Zyderaso a Pragensibus dicto, exædificavit. „ Atque in omnibus istis locis sacris Sacerdotes a Methudio „ Præsule consecratos constituit, illisque stipendia de ærario „ suo dari jussit. Scholas præterea instituit, in quibus Scholastici Latinis literis discendis, a Bojemis prius plane ignoratis, vacarent. Nascitur interim Borivorio ex Ludmilla filio-

„ lus,

,, lus, nomine Boleslaus, Methudioque Præsuli tingendus un-
,, gendusque offertur. Ibi Bojemi Methudium adoriuntur, ab
,, ipso exigentes, ne sermone Latino, quem non intelligerent,
,, sed Bojemo sibi usitato Sacra & Sacramenta perageret. Hanc
,, rem ille Romam ad Cyrillum Collegam, atque is ad Nico-
,, laum Romanum Pontificem retulit. Ambo Collegæ ob eam
,, relationem, non Pontifici modo, sed frequenti etiam Pa-
,, trum Coucilio deridendos se propinaverunt: quum ecce ti-
,, bi, de improviso vox hæc sua sponte in tali frequentia inso-
,, nuit: Omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua con-
,, fiteatur eum. Qua voce perculsus Romanus Pontifex, se-
,, cundum petitionem Bojemorum respondendum Cyrillo du-
,, xit. Cæterum non intra multos annos, mos ille vernacula
,, lingua inter sacra cantandi viguit, abolente illum rursus Pon-
,, tifice Romano, quum daret Bojemis Antistitem (nam diu
,, satis Bojemi a privatis Sacerdotibus, sacrorum religionisque
,, disciplinam percipiebant) eidemque præscriberet, ne a Ri-
,, tu Ceremoniisque & Cantu Romano ullam in partem de-
,, vium ageret. Non autem soli Bojemi & Moravi, sed præ-
,, terea in Mysia Bulgari, & horum populares Gazari, doctri-
,, næ istorum duorum Moraviæ Pontificum, Cyrilli & Methu-
,, dii, acceptum referre debent, quod sint Christiani: neutri
,, horum tamen in Sede sua Pontificali mori contigit, sed uter-
,, que Romam (*a*) recedens, ibidem vitam cum morte
,, commutavit, ibidemque in numerum divorum relatus est.
In-

---

a Idem Dubravius, paulo ante obitum Wratislai Ducis, (qui communiter ad annum circiter 916. figitur) sic scribit: ,, Obierant tunc Romæ ambo Moraviæ Præ- ,, sules, Cyrillus & Methudius, claraque in obitu & post eum sanctitatis suæ edide- ,, runt miracula, quæ mox illos in catalogo sanctorum retulerunt. Memor igitur ,, Wratislaus beneficiorum, quæ sancti Viri in parentes suos, seque, & totam gentem ,, suam contulerunt, memoriæ hujus voluit & apud posteros exstare monumentum. ,, Nempe Templum sub nominibus illorum consecratum, quod ipse in eo loco ædifi- ,, cavit, quem Boleslaviam ex Boleslai filii sui nomine in hodiernum diem appellant. ,, Atque inde brevi tempore migravit ad Dominum, corpore ad Divi Georgii relicto, ,, in quo templo sepeliri illud moriens jusserat ,,. Atqui Boleslavia non ab Wratis- lao patre, sed a filio Boleslao ædificata dicitur a Cosma Pragensi circa ann. 932. Ec- clesia autem S. Georgii unacum multis aliis post annum 967. a Boleslao pio, Boleslai antedicti filio exstructa. Ac proinde vero similius videtur, ad hunc Boleslaum Pium esse referendum quod de templis S.Georgii, & SS.Cyrilli ac Methodii narratur. Nam (ut inquit de eod. Boleslao Pio Cosmas Pragensis) ,, ut in Privilegio Ecclesiæ San- ,, cti Georgii legimus, xx. Ecclesias Christianæ religioni credulus erexit ,,. Et reliqua.

„ Interim in Moravia annis quinque Interpontificio durante,
„ tandem Joannes Moravus in locum Methudii cooptatus est.

In hac narratione miror tam multa a vero aliena doctis viris excidisse. Primo ait Augustinus, *Cyrillum a Nicolao Papa an. 887. Ecclesiam Velegradensem suscepisse*: Cyrillus nunquam Episcopus fuit, uti mox patebit: & Nicolaus Papa anno 867. defunctus, annum 887. attingere nequivit. Idem est error Dubravii, qui post Borivorii conversionem, quæ anno circiter 894. accidit, Cyrillum & Methodium Nicolao Papæ ait retulisse Bojemorum preces de Slavonica lingua in sacris adhibenda. Secundo Augustinus Dubravio repugnat scribens, „ Cyrillum abdicato Archiepiscopatu, Adriani Pontificis nutu, Methodium „ fratrem Ecclesiæ Velegradensi præfecisse „: quum Dubravius dicat, Methodium Archiepiscopatu in Moravia & Bojemia diu functum fuisse, superstite adhuc Nicolao Papa, Adriani decessore. Tertio errat Augustinus, quum scribit, *Methodium anno Chr. 907., ex hac luce migrasse, & post quinquennii Interpontificium, Joannem Moravis Episcopum in locum ejus fuisse cooptatum*: nam ex literis Bavariorum Episcoporum ad Joannem IX. Papam anno Chr. 900. scriptis, quarum infra exemplum recitabimus, manifestum redditur, *eodem anno 900. aut potius antecedente, Joannem Archiepiscopum* ab eodem Jo. IX. Papa *consecratum, una cum Episcopis Benedicto & Daniele in Moraviam missum fuisse*. Sed de his postea. Nunc de S. Cyrilli Episcopatu inquirendum est.

In Anthologio Ruthenorum apud Culcinium ad diem XIV. Febr. hæc leguntur: „ S. P. N. Cyrilli Episcopi Moraviæ, „ Apostoli Slavorum & Bulgarorum, qui ex Græcis formavit „ Slavonicas literas, baptizavitque Slavos & Bulgaros „. Et ad XI. Maji: „ S. P. N. Methodius Episcopus Moraviæ, fuit „ frater Cyrilli Philosophi, Apostoli Slavorum, inventorisque literarum Slavonicarum: & claruit Basilio Macedone.

In Tabulis Martyrologii Romani ad IX. Martii de ambobus sanctis Slavorum Apostolis: „ In Moravia Sanctorum Episcoporum Cyrilli ac Methodii, qui multas illarum regionum „ gentes cum earum Regibus ad fidem Christi perduxerunt „. Atqui in sex illis Lectionibus, quas Baronius in Observationibus ad Martyrol. Rom. laudat his verbis: „ Habentur horum res „ ge-

„ gestæ in Breviario religiosissimæ Polonorum Ecclesiæ, sex „ Lectionibus secundum Ritum Ecclesiasticum distinctæ „, in illis, inquam, Lectionibus, *Cyrillus* nunquam dicitur Episcopus, sed in *Monachico* tantum *habitu* & *gradu Sacerdotali* obiisse; solus autem *Methodius Pontifex* factus perhibetur.

Fateor, in Priori Vita num. IX. de utroque fratre, postquam Romam exeunte anno 867. vel ineunte 868. sub Hadriano Papa advenerunt, sic haberi: „ Multis itaque gratiarum actionibus præfato Philosopho (*Constantino scilicet sive Cyrillo*) pro tanto beneficio (*ob allatas nempe Sancti Clementis Reliquias*) redditis, consecraverunt ipsum & Methodium in Episcopos: nec non & cæteros eorum Discipulos in Presbyteros, & Diaconos.

At in vita posteriori num. 8. indicatur, voluisse quidem Hadrianum Papam tam Cyrillum quam Methodium Episcopali dignitate augere; Cyrillum tamen oblatum sibi honorem recusasse, & solum Methodium fuisse Episcopum creatum: „ Quum „ ergo fama Viri Dei (*Romæ*) magnificaretur in populo, ex„ pavescens, ne rumigero populi celebraretur favore, sub „ magna deliberavit vigilantia potius soli Deo cognitus esse, „ quam hominum efferri laudibus. Quapropter Episcopatui „ renuncians, habitum induit monachalem, & ex auctoritate „ Apostolica dereliquit post se S. Methodium fratrem suum, „ gloriosis virtutibus glorificandum, cui pro fœdere caritatis „ æternæ, tamquam pius magister discipulo suo, amore de„ voto curam commendavit pastoralem: in quo caritatis mu„ nificentia, religio optimæ vitæ, & verbi Dei instantia vera„ citer residebat. Factus ergo Moravorum Antistes, & lucer„ na patriæ, gregem commissum curæ suæ discreta pietate mo„ nuit, docuit, & correxit „. Quid? quod Joannes VIII. Papa, (qui a die 14. Decembris anni 872. usque ad diem 15. vel 16. Decembris anni 882. Pontificatum gessit) Methodium quidem ab Hadriano Papa Episcopum consecratum scribit; de Constantino vero sive Cyrillo sic loquitur, perinde ac si Episcopali charactere numquam insignitus fuisset: hæc enim sunt ejus verba ad *Tuventarum de Marauna* epist. 194. data *Indictione XII.* hoc est anno Chr. 879. „ Quia vero audivimus, „ quia Methodius vester Archiepiscopus, ab antecessore no„ stro,

„ ſtro, Hadriano ſcilicet Papa, ordinatus, vobiſque dire-„ ctus &c. „ & in epiſtola 247. ad Sfentopulcrum Comitem, dat. menſe Junii Indict. XIII. „ hoc eſt, anno Chr. 880. Li-„ teras denique Slavonicas a Conſtantino quodam Philoſopho „ repertas, quibus Deo laudes debite reſonent, jure lauda-„ mus „. Ubi Methodium ab Hadriano Papa anno 868. ordinatum Epiſcopum diſertim affirmat; Conſtantinum autem non Epiſcopum, ſed Philoſophum vocat: quod argumento eſt, hunc nunquam fuiſſe Epiſcopum: quomodo enim Joannes VIII. Papa, qui Methodium præſentem vidit & allocutus eſt, ignorare potuiſſet, Cyrillum ſive Conſtantinum ipſius fratrem non fuiſſe ordinatum Epiſcopum? aut ſi Epiſcopus fuiſſet conſecratus, quomodo eum *Philoſophum* vacaſſet, non *Epiſcopum*? Recte igitur Auctor libri Ruthenici qui Slavico ſermone *Stepennaja Kniga*, ideſt, *Gradualis liber* vulgo appellatur, de utroque fratre cap. XI. hæc tradit: „ Ablegati a Michaële Im-„ per. Orientis Methodius & Conſtantinus, filii Leonis Theſ-„ ſalonicenſis, quum multos libros ſacros tranſtuliſſent, & pe-„ culiare quoddam Alphabetum ſuo ex ingenio concinnaſſent, „ magna cum laude, Eccleſiæque fructu, Evangelii docendi „ munus obierunt; Methodio tandem Moraviæ Epiſcopo con-„ ſtituto; Conſtantino autem in Monachali vita, quæ Cyrilli „ nomen illi indiderit, defuncto.

XX. De die emortuali S. Cyrilli.

Tertium, circa diem emortualem *Sancti Cyrilli* ſive *Conſtantini*. Prior SS. Cyrilli ac Methodii Vita cum Poſteriori in hoc non cohæret. In prima ſiquidem dicitur Cyrillus Romæ tum obiiſſe, quum a Nicolao Papa Romam unacum fratre Methodio evocatus, eoque profectus, reperit Hadrianum II. Nicolao defuncto ſucceſſiſſe, quumque ab eodem Hadriano Methodius eſſet Epiſcopus conſecratus, antequam idem Methodius in Moraviam perrexiſſet, hoc eſt, anno 868. Sic enim num. 10. poſt conſecrationem Methodii ab Hadriano Papa factam legitur: „ Quum autem Philoſophus, qui & Conſtanti-„ nus, diem tranſitus ſui imminere ſibi ſenſiſſet, ex con-„ ceſſione Summi Pontificis impoſuit ſibi nomen (a) Cyril-

„ li,

a Monaſticæ Vitæ genus, quod Conſtantinus ſive in Moravia, ſive alibi, ſive Romæ ſub vitæ finem ingreſſus eſt, *Cyrilli* nomen ei indidiſſe, veroſimilius eſt: ſic enim fieri

„ li, dicens, hoc revelatum sibi fuisse: & sic post quadraginta „ dies dormitionem (*a*) accepit in Domino, XVI. Kalendas „ (*b*) Martias. Præcepit autem Sanctus Apostolicus, ut omnes „ tam Græci, quam Romani Clerici ad exequias ejus accur„ rerent cum psalmis & canticis, cum cereis & thuris odori„ bus, & non aliter ei, quam ipsi quoque Apostolico, funeris „ honorem impenderent „. Pergit Hagiographus num. 11. & 12. referre, quod Methodio volenti corpus fratris Romæ defuncti in patriam ad suum Monasterium reducere, annuit primo Summus Pontifex; sed Romano Clero unacum Episcopis, ac Cardinalibus & nobilibus Urbis intercedente, id negavit, jussitque magnifice sepeliri in Templo S. Clementis ad dexteram partem Altaris ipsius, *quo* (inquit) *in loco multa & miranda operatur*. Emus Baronius in Annotationibus ad Martyrol. Rom. ad IX. Martii: „ Porro iidem (*SS. Cyrillus ac Methodius*) Romæ (*c*) morientes, miraculis clari, sepulti sunt, „ quorum sacras Reliquias nuper sub Altari in ejusdem Eccle„ siæ (*nimirum S. Clementis*) Sacello pervetusto repertas „ esse accepi „. Addit Henschenius in comment. prævio num. 37. & seq. „ Scribit quoque Octavius Pancirolus in The„ sauris absconditis Almæ Urbis, in dicta Ecclesia S. Clemen„ tis, quæ est 23. Regionis 2. sanctorum horum corpora asser„ vari, colique eos die IX. Martii. Translatæ aliquæ eorum „ postea in Moraviam Reliquiæ. Nam Bruna, quæ celebris „ illic civitas est, ita ad nos anno 1658. P. Theodorus More„ tus noster scripsit: nuper visitabam Ecclesiam Collegiatam „ Brunensem S. Petri, ubi in Thesauro ejusdem Ecclesiæ, „ S. Cyrilli (*d*) Episcopi & cum S. Methodio Apostoli Mora„ viæ, os brachii integrum mihi ostensum est, in antiquissima „ argentea theca inclusum „. Verum in Posteriore vita, Cyrillus

ceti solere constat, ut cum vitæ genere, nomen simul Monachi mutent, idque in aliud nomen, quod easdem initiales literas habeat, ut *Constantinus* in *Cyrillum*: *Thomas* in *Theophilum* &c.

a Hoc ipsum de Cyrilli obitu Romæ legitur in Breviario Olomucensi: „ Ipse „ autem Cyrillus etiam ibi (*Romæ*) persistens, Monachicum habitum ibi suscipiens, „ diem clausit extremum.

b Hoc est, anno 868. die 13. Febr.

c Cyrillum Romæ mortuum, Acta habent. De Methodio, silent.

d Hoc falsum esse, supra demonstravi, Monachus enim & Sacerdos obiit, non Episcopus.

lus Romæ deceſſiſſe dicitur, poſtquam, Raſtice mortuo, & Swatopluco Moravis imperante eodemque Fideles perſequente, Methodius ſententia excommunicationis in ipſum Svatoplucum prolata, Romam venit, ibique invenit Cyrillum fratrem jam mortuum, nimirum poſt annum Chr. 870. Verba Hagiographi hæc ſunt num. 10. & ſeq." „ Poſtquam vero devotus
„ Rex (*Raſtices ſive Ratislaus*) fuiſſet naturali morte præven-
„ tus, & Swadopluk Regnum Moraviæ gubernaret, ſua feri-
„ tate inflatus, faſtu arrogantiæ cum miniſtris Satanæ, qui ſibi
„ pari conſpiratione tamquam canes rabidiſſimi erant connexi,
„ doctrinam Viri Dei vanam fore aſſerebant, & eos, quos una
„ cum eis erroneos revocaverat ad viam veritatis, ſalutis &
„ gratiæ, laborabant exterminare. Præco autem Chriſti con-
„ ſtantiſſimus plebem Deo fidelem admonuit, ut in via veri-
„ tatis perſiſterent, qui alacri corde ſalutaria ejus monita ca-
„ paciter ſuſceperunt. Rebelles vero contumaciter aſperna-
„ bantur legem Domini, plurimis injuriis afficientes Sacerdo-
„ tes Domini. Pater autem Angelicus alta conſideratione per-
„ pendens, quomodo nonnullos pie credentes ſplendor lucis
„ accenderet, & alios impie credentes & derogantes tetra ca-
„ ligo diffuderat, & quomodo ſequaces boni currunt ad glo-
„ riam, & perfidi trahuntur ad pœnam; illorum declinans
„ pertinaciam, illos tamquam hoſtes religionis Catholicæ
„ abhorruit, omnem eorum converſationem deteſtans, Davi-
„ dico ſuffultus eloquio dixit intra ſe: De cetero non ſedebo
„ cum conſilio malignantium, & cum ſceleratis non manebo,
„ ſed adhærebo innocentibus, & circumdabo Altare Dei mei.
„ Quapropter in frontoſum Principem Swadopluk & ſuos ſa-
„ tellites, & in omnes ejus (*a*) Gades, excommunicationis
„ fulminavit ſententiam. Quo facto Romam adire volens,
„ beatumque Cyrillum ſecum ducere; ſed inveniens eum
„ mortuum, petiit Papam, ut ſaltem fraternum corpus exa-
„ nime ſecum poſſet Moraviam deferre, pro devotione gen-
„ tis ipſius noviter converſæ „. Proſequitur Biographus numer. 12. enarrans, quod Methodius, Papa abnuente, S. Cyrilli

a Breviar. Olomucen. „ Qua propter a Pontifice beatæ memoriæ ſupermemorato, pagus ejus & rus cum habitantibus incolis, anathemate percuſſa, cum ſulcis ſuis & iruſtibus, diverſis cladibus attrita, uſque in hodiernum diem deflent.

rilli corpus clam e templo S. Clementis auferens, Roma in Moraviam secum deportare decrevit; sed vi divina detentus in via, & monitus ab eodem S. Cyrillo, quod Romam iterum deberet deportari, id refert: „ Quo deportato (inquit) Papa „ cum populo Romano, sancto occurrens copori, & reveren- „ ter id recipiens, in Ecclesia S. Clementis, ubi antea jacue- „ rat, iterum sepelivit „. Et subjungit num 13. „ Post hoc „ Swadopluk pœnitentia ductus, super his, quæ viro sancto „ injuste intulerat, misit per nuncios ad Virum Sanctum, per „ quos petiit, ut reverteretur ad Ecclesiam suam promittens „ errata emendare. Tunc vir Dei gregem suum revisere pro- „ perat, quem reliquerat corpore, non affectu. Ad cujus ad- „ ventum occurrentes nobiles cum civibus patriæ, & in mi- „ rum exultationis gaudium versi grates Deo dixerunt „. Si vera est hæc Hagiographi narratio, de Methodio scilicet post excommunicatum Moraviæ Regem in Urbem Romanam adveniente, ter Romam Methodium venisse oportet; primo nimirum anno exeunte 867. vel ineunte 868. quando a Nicolao Papa unacum fratre Cyrillo evocatus, ab Hadriano Nicolai successore Episcopus ordinatus, in Moraviam remissus fuit: secundo, post annum 870. & ante annum 872. quum Svatoplucum excommunicasset. Tertio demum, anno 880. quum a Joanne VIII. Papa Romam evocatus fuit, ut fidei suæ rationem redderet. Auctor prioris vitæ, Cyrilli mortem ad primam ipsius ac Methodii fratris evocationem refert: Auctor vero vitæ posterioris, ad secundam solius Methodii Romanam profectionem: cui subscribens Pagius ad ann. 870. num. 30. sic ait: „ Subdit idem Auctor, Methodium, quum Romæ fuit, in- „ venisse Cyrillum fratrem esse mortuum. Quare Cyrilli „ mors, sicuti Methodii persecutio, contigit Hadriano II. Ec- „ clesiam Romanam administrante, ideoque ante finem anni „ 872. quo Joannes VIII. ei in Pontificatum successit „. Mox Diocleatem refellit, his verbis: „ Diocleas quidem Presby- „ ter in Regno Slavorum, editus a Joanne Lucio in calce Hi- „ storiæ suæ de Regno Dalmatiæ & Croatiæ, affirmat, Cyrilli „ nomen Constantino Philosopho a Stephano Papa attributum „ fuisse. Verum is Scriptor, qui sub finem seculi XI. vixit, „ sæpissime falsa veris permiscet; & ex utraque horum San-

„ ctorum

„ ctorum vita constat, Cyrillum ad tempora Stephani V., vulgo VI. appellati, pervenire non potuisse „. Quintus quippe (*a*) Stephanus post Joannem VIII., Marinum, & Hadrianum III. Pontifices, mense Septembri anni 885. Pontifex inauguratus, anno 891. e vivis excessit. Quidquid tamen sit de secunda illa Methodii Romana profectione, vero similius videtur, mortem S. Cyrilli (*b*) anno 868. contigisse: eo enim anno Hadrianus Papa Methodium consecratum Episcopum in Moraviam cum nonnullis Presbyteris ac Diaconis direxit; Cyrillum útique cum illis directurus, nisi mors ejus intercessisset.

XXI. Quonam anno Moravi a SS. Cyrillo & Methodio ad Christi fidem conversi? seu doctrinis evangelicis imbuti? quando Methodius apud Moravos usum linguæ Slavicæ in sacris celebrandis invexit?

De Moravis quæri solet, Quonam ii anno *ad Christi fidem sint adducti*. Henschenius Comment. prævio num. 31. *Moravos ante annum Chr.* 856. a Cyrillo ac Methodio Christiana sacra accepisse affirmat: „ Sparsus illico (inquit) apud „ cæteras Slavinorum phylarchias rumor conversionis Chazarorum, ad Ratislaum præpotentem eo tempore Principem „ Moraviæ (qui & Swantoplucus (*c*) sive Sfentipulcus appellari alibi videtur) quum gentem suam videret ultro ab „ idolorum cultu recessisse, & Christianæ fidei percipiendæ „ avidam esse, legatos & ipse ad Imper. Michaëlem mittit, „ oratque, ut eximium illum doctorem Constantinum, qui „ Chazaros erudiisset, ad suam quoque gentem instruendam „ venire pateretur: quod sane haud gravate concessum. Id „ remur contigisse ante annum 856. quando Michaël & ab Imperii regimine matrem ac sororem, & se ab S. Ignatii familiari consuetudine removit, fraudulentis Bardæ avunculi „ sui consiliis circumventus. Socius Constantino ad hanc secundam expeditionem germanus suus Methodius fuit. „ Quando ad regiam urbem Willegradum pervenerint Sancti, inde perspici potest, quod in priore Vita e Codice „ Du-

a Auctor Synopseos, qui in Slavonicum translatus & Petropoli impressus liber est, Slavorum, Cimbrorum, Scytharum, aliasque antiquas Slavonicas, & Ruthenicas res complexus, Cyrillum hunc tempore Wolodimiri vixisse putat, immani anachronismo. Sic enim scribit apud Kohlium pag. 139. not. H. „ Post discessum autem Sancti Cyrilli Philosophi, congregavit ad se Wladimirus &c. „ Wladimirus enim Russiæ Monarcha decimo seculo vivebat: Cyrillus autem annum 868. aut saltem 872. non excessit.

b Ab aliis perperam dictus *sextus*.

c Hoc esse falsum supra ostensum est.

„ Duchesnii, dicuntur annos quatuor & medium in Moravia „ permansisse, gentemque universam cum Rege convertisse. „ Dein Romam evocati a Nicolao Papa, statim iter suscepe- „ runt, neque eo pervenerunt nisi Hadriano II. Pontifice, qui „ Nicolao Idibus Novembris 867. mortuo, suffectus erat „. Verum, ut recte observat Pagius ad ann. 863. num. 15. „ Manifestum est, deceptum esse (*a*) Henschenium, ubi existi- „ mat, Cyrillum & Methodium ante annum 856. hanc secun- „ dam expeditionem suscepisse: sic enim non per annos qua- „ tuor & dimidium, ut in ea vita dicitur, sed per decennium „ & amplius in Moravia fuissent „: quum Romam scilicet e Moravia circa annum 867. venisse dicantur.

Pagius itaque, rejecta Henschenii sententia, ad ann. 863. sacram Cyrilli ac Methodii in Moraviam expeditionem figit, inquiens loc. cit. & ad ann. 866. num. 2. „ Quum Cyrillus & „ Methodius in Moravia per annos quatuor & dimidium Evan- „ gelium disseminarint, annoque 867. Romam venerint, ma- „ nifestum est, eos circa annum 863. Bulgariam reliquisse, & „ in Moraviam perrexisse.

Verum, si Actis SS. Cyrilli ac Methodii fides est adhibenda, colligitur, Moravos Christianam fidem a Methodio ac Cyrillo non accepisse, nisi postquam Michaël Rex Bulgarorum Baptisma suscepit: adeoque id factum fuisset oportet anno 865. quemadmodum de Bulgarorum ad Christi fidem conversione supra ostensum est. Quia tamen constat, in Moravia quidem & Bulgaria sanctos illos Slavorum Apostolos per annos 4. cum dimidio Evangelium disseminasse, quidquid sit, quo ii anno Bulgariam, & quo anno Moraviam adierint, certum tamen est, ante annum 867. quo Romam evocati perrexere, quatuor illos cum dimidio prædicationis eorum annos inchoatos fuisse.

Quid autem Methodius post annum 867. ex Urbe reversus in Moravia & in inferiori Pannonia egerit, tradit eorum temporum Scriptor (*b*) Anonymus in libello *de Conversione Bajoariorum & Carentanorum*, a nobis supra laudatus. Quum enim *Adalwinum* in Juvavensi sive Salisburgensi Sede, *Luitpranno*

a Memoriæ lapsu, *Bollandum* pro *Henschenio* habet Pagius ad hunc ann. 863. sed anno 866. num. 2. *Henschenium* reponit.

b Scribebat quippe anno Chr. 871. uti supra demonstravi.

pranno defuncto anno Chr. 858. successisse scripsisset, subjungit, „ Ab hoc Adelwino in ditione Prinninæ Comitis ad Savum fluvium in inferiori Pannonia posita, ad Slavorum „ regendam gentem, post mortem *Alifridi* Presbyteri, *Archipresbyterum* ibi fuisse constitutum, eique commendatas „ claves Ecclesiæ, curamque, post ipsum Adelwinum Archiepiscopum, totius populi gerendam: similiterque eo defuncto, alium substitutum *Archipresbyterum*, nomine *Richpaldum* „ Statimque de Richpaldo addit „Qui multum tempus „ ibi demoratus est, exercens suum potestative officium, sicut „ illi injunxit Archiepiscopus suus; usquedum quidam Græcus, „ Methodius nomine, noviter inventis Slavinis literis, linguam Latinam doctrinamque Romanam, atque literas auctorabiles Latinas Philosophice superducens, vilescere fecit „ cuncto populo ex parte Missas & Evangelia, Ecclesiasticumque officium illorum, qui hoc Latine celebraverunt. Quod „ ille ferre non valens, sedem repetivit Juvavensem. Anno „ (*a*) ergo 865. Venerabilis Archiepiscopus Juvavensium „ Adelwinus natalem Christi celebravit in castro Hehbrilonis, „ noviter Moseburch vocato, quod illi successit moriente patre suo Privinna, quem Maravi occiderunt; illoque die officium celebravit ibi Ecclesiasticum, sequentique die in proprietate Witrimari: dedicavit Ecclesiam in honore S. Michaëlis Archangeli in proprietate Hezilonis: item in eodem „ anno XVIII. Kal. Febr. ad Spihhun in honore S. Margaritæ „ Virginis Ecclesiam dedicavit.

Ex quibus verbis intelligitur, Moravis quidem a Methodio fidem Christianam fuisse annunciatam ante annum 867. quo Methodius unacum Cyrillo fratre Romam a Nicolao Papa evocatus venit: ut Slavico tamen idiomate Missas officiumque Ecclesiasticum Moravi celebrare a Methodio edocerentur, rejectis iis, qui Latinam linguam propugnabant, & Privinna seu Prinnina ipso Comite interfecto; id nonnisi anno circiter 870. contigisse; unde concludit Auctor ejus libelli: „ Tempore ergo, „ quo dato & præcepto Domini Caroli Imperatoris (*idest ab* „ *anno Chr.* 796.) Orientalis Pannoniæ populus Juvavensibus „ regi

a De more Francorum Scriptorum, Annus Christi inchoatur a die natali ejusdem, idest, a die XXV. Decembris.

„ regi cœpit Præsulibus, usque in præsens tempus (*idest usque* „ *in annum* 871.) sunt anni LXXV. quod nullus Episcopus ali- „ cubi veniens potestatem habuit Ecclesiasticam in illo confi- „ nio, nisi Salzburgenses rectores: neque Presbyter aliunde „ veniens, plus tribus mensibus ibi suum ausus est colere offi- „ cium, priusquam suam dimissoriam Episcopo præsentaverit „ Epistolam. Hoc enim observatum fuit, usque dum nova „ orta est doctrina Methodii Philosophi „. Jam supra vidimus ex Annalistis Francorum, *Rasticem* Moraviæ Regem, ab anno 855. usque ad annum 870. (quo oculis orbatus, in Monasterium detrusus fuit) excusso Germaniæ Regis jugo, cunctisque fere Slavorum Ducibus sibi adjunctis, sui juris effectum fuisse. Quare, postquam Michaël Rex Bulgarorum a Methodio (ut supra dixi) ad Christi fidem conversus esset, Rastices, ejusdem Michaëlis ac Chazarorum exemplo incitatus eumdem Methodium ab Imper. Græcorum Michaële ante annum quidem 866. expetiit, ut in Moraviam accedens, se suumque populum Christiana fide imbueret; sed ut simul a Francorum Rege, cujus jugum excusserat, Moravi magis essent alieni, circa annum 870. (quo Bulgaris Episcopus Græcus, ejectis Latinis, datus fuit:) Methodium etiam, tempori gentique servientem, induxit, ut Missas divinumque officium in Slavicum sermonem converteret, ut nempe Moravi Slavico, non Latino idiomate in rebus sacris uterentur, propriisque Sacerdotibus, non Juvavensi Præsuli subessent. Hoc certe sibi vult laudatus Auctor, dum de ultimo Latinæ Linguæ Archipresbytero Slavorum inferioris Pannoniæ Richpaldo ait: „ Qui multum tempus ibi „ demoratus est, exercens suum potestative officium, sicut illi „ injunxit Archiepiscopus suus; usquedum quidam Græcus, Me- „ thodius nomine, noviter inventis (*a*) Slavinis literis, lin- „ guam Latinam doctrinamque Romanam, atque literas au- „ ctorabiles Latinas Philosophice superducens, vilescere fe- „ cit cuncto populo ex parte Missas, & Evangelia, Ecclesiasti- „ cumque officium illorum, qui hoc Latine celebraverunt. „ Quod ille (*Archipresbyter*) ferre non valens, Sedem re- „ petivit Juvavensem „. Quod in Comitatu Prinninæ in inferiori

a Non quidem a Methodio ipso, sed ab ipsius fratre Constantino sive Cyrillo: qui unacum Methodio in Moraviam venit, uti Acta utriusque testantur.

tiori Pannonia a Methodio factum narrat hic Auctor; id etiam in Moravia trans Danubium ab eodem Methodio peractum fuisse oportet: Itaque etsi *Methodii* (*a*) tantummodo mentionem Auctor ejus libelli inferat; *Cyrillum* tamen fidelem ejus socium laborumque administrum, quoad primam Moravorum conversionem ante annum 866. peractam, non excludit: non enim de ea loquitur, sed de regressu Methodii ex Urbe in Moraviam, quando Cyrillus ipsius frater jam in vivis esse desierat. Perperam tamen *Methodius Philosophus* appellatur; non enim ille, sed *Cyrillus* in excellentiori quodam sensu *Philosophus* cognominatus est, uti Kohlius in hist. Codicis sacri Slavonici pag. 126. lit. d. observat, *Aventinum* redarguens, qui in hist. Bojorum, *Methodium Philosophum* scribit „ Venedas „ (idest, Slavicas) invenisse literas, vertisseque divina ora„ cula in vernaculum Slavorum sermonem „. Goldastus quoque in Comment. Bohem. lib. 2. cap. 5. *multa de rebus Moravorum Regum, sed confuse, eundem Aventinum scripsisse*, ait.

XXII. Binæ literæ: altera Moguntini Archipræsulis, altera Salisburgensis suorumque Suffraganeorum ad Joan. IX. Papam adversus Moravos, eorumque Præsules.

Sed, etsi Slavam linguam Methodius præ Latina Moravos in sacris usurpare docuit; non tamen Græcum Ritum in Moraviam ab ipso fuisse inductum, neque Sacerdotes è Græcia evocatos, quemadmodum Græcus Episcopus in Bulgariam, ejectis Latinis immissus fuerat; tum ex allato Auctoris Anonymi testimonio, patet; tum ex literis Præsulum Bajoariorum & Germanicorum ad Joannem IX. Papam anno 900. datis, in quibus conqueruntur quidem de novis Slavorum Episcopatibus apud se erectis, deque diminuta per Moravos Antistites Juvavensium Episcoporum jurisdictione: de Latini tamen Ritus in Græcum mutatione, aut de Presbyteris sive Episcopis Græcis illuc invectis ne verbum quidem faciunt. Exstant hac de re binæ Epistolæ ad Joannem IX. Papam scriptæ: Prima (*b*) Hat„ tonis Moguntini Archiepiscopi, ejusque Suffraganeorum, de morte Arnulphi Imperatoris, qui obiit die 20. Novemb. 899. deque Ludovico ejus filio septenni, Rege Germaniæ salutato, & de Archiepiscopatu apud Moravos erecto. Titulus: „ Do-

a Methodius quidem, & Cyrillus, ante annum 866. in Moravia Evangelicam doctrinam annunciarunt: sed anno circiter 870. quo Moravi Slavico idiomate Missas officiumque Ecclesiasticum celebrare cœperunt, solus Methodius in Moravia degebat: Cyrillus enim Romæ anno ineunte 868. jam obierat, uti supra dictum est.

b Tom. IX. Labb. pag. 496.

„ mino Sanctæ & Apostolicæ & Universalis Romanæ Ecclesiæ „ Papæ, Hatho indignus præsul Moguntinensis Ecclesiæ, cum „ universis Suffraganeis nostræ exiguitati adjunctis, debitum „ orationis obsequium, & fidelem servitutem. „ Initium: „ Noverit igitur sublimitas vestræ Sanctitatis, quod nulla fra- „ trum unanimitas Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, potestas subjecta, „ fidelior atque devotior ac subjectior apparet, quam nos, „ qui vestræ dominationi & capiti omnium Ecclesiarum omni „ mentis intentione subjicimur. „ *Tum de morte Arnulphi*: „ De cætero vestræ clementiæ innotescimus, seniorem no- „ strum Arnulphum Imperatorem de hujus vitæ exilio migras- „ se. „ *Et de electione Ludovici*. „ Tali vero Domino, „ rectore, & gubernatore amisso, in nostris partibus vacilla- „ vit navis Ecclesiæ. Quem Regem eligeret, parvo tempore „ inscia mansit. Et quia timor magnus aderat, ne solidum Re- „ gnum in partes se scinderet, divino, ut credimus, instinctu „ factum est, ut filius senioris nostri quamvis parvissimus, com- „ muni consilio Principum & totius Populi consensu in Regem „ elevaretur. Et quia Reges Francorum semper ex uno ge- „ nere procedebant, maluimus pristinum morem servare, „ quam nova institutione insidere. Sed cur hoc sine vestra jus- „ sione & permissione factum sit, vestram haud dubitamus la- „ tere prudentiam. Nulla scilicet alia causa actum constat, nisi „ quia Paganis (*a*) inter nos & vos consistentibus, impedi- „ tum est iter nostrum ad sanctam Matrem nostram Romanam „ Sedem, ita ut nec legati a nostra parvitate ad vestram dignita- „ tem dirigi potuissent. „ *Mox de Moravis subjungunt*. Insu- „ per etiam pietati vestræ intimamus, quod fratres & Coëpi- „ scopi nostri Bawarienses, se apud nos conquerentes & alta „ suspiria trahentes gemebant, qualiter Maravenses populi, „ Francorum potestati rebelles, jactent se ab illorum consor- „ tio esse divisos, & seorsum Metropolitano glorientur a ve- „ stra concessione esse sublimatos, quum nunquam Metropoli- „ tana Sedes inter illos haberetur, sed semper illorum provin- „ ciæ & diœcesi cohærerent. Dolebant se etiam apud nos, quod „ quo-

---

a Hungaros intelligunt, qui eodem anno 900. in Italiam, & Bajoariam irrupe- rant, ut Pagius ex continuatore Freheriano Annalistæ Fuldensis ad ann. 900. num. 17. narrat.

„ quorumdam machinatione, magna infamia circa vestram sollicitudinem essent denotati, scilicet ut cum Paganis foedus & pacem inirent, & ipsi Pagani, consilio eorum, agerent tam multa nefaria & illicita. „ *Et paucis interjectis*. „ Hæc autem omnia perscripta vobis ideo dirigimus, qui estis caput totius Sanctæ Ecclesiæ, quæcumque per orbem diffunditur, & solamen mœrentium, quæcumque tristia vobis, contigerunt membris vestris: quia Sanctissimi Pastores Christi superius dicti (*Fratres Coëpiscopi nostri Bawarienses*,) in nulla re a Catholica fide deviantes, sed eandem sanctis operibus & Ecclesiasticis officiis ornantes, apud nos conquerentes postulaverunt, ut vestræ notitiæ manifesta faceremus, quia & illi per se ipsos vobis eadem innotescere, vita comite promittebant. Unde poscimus, ut vestra consolatio illorum mœrorem ad lætitiam reformet, & semper talia membra summo capiti, quod estis vos, se gaudeant adhærere. Illi autem Maravenses, ut nostris auribus illatum est, in occasionem superbiæ suæ assumunt, quia a vestra concessione dicunt se Metropolitanum suscipere, ac singulariter degentes, aliorum Episcoporum consortia refutant. Si hac confidentia diutius inflantur, usque ad sanguinis effusionem, ut multi arbitrantur, prosilient. In quantum præsumimus, admonemus, quatenus vestra auctoritas, priusquam hoc contingat, ad humilitatis viam illos corrigendo deponat, ut tandem cognoscant, cui dominatui subjici debeant... Quodsi vestra admonitio illos non correxerit, velint, nolint, Francorum Principibus colla submittent, & credimus, absque effusione sanguinis & mutua cæde ex utraque parte tunc (*a*) posse bene contingere. Iterum iterumque vestræ dignitatis auribus replicamus, quod tam Episcopi, quam Laici Bawarienses in religione Christianitatis nulla gente inferiores esse probantur, neque unquam Franci absque illorum auxilio, aut in Ecclesiasticis rebus, vel in bellicis negotiis, nominatim vel fama dignum aliquid peregerunt: sicut nec illi absque istis.

Altera Epistola *Theotmari*, (*b*) *Archiepiscopi Juvavensis*,

a Fort. *non posse*.

b Tom. IX. Concil. Labb. pag. 244. & iterum pag. 498. Hæc epistola Episcoporum Bajoariæ, tamquam ad Joannem VIII. Papam, scripta, edita fuit a Joanne Cordesio

sis, & aliorum Episcoporum, ad eundem Joannem IX., in qua queruntur, unum Archiepiscopum, & tres Episcopos in Slavorum terris, prius Pataviensi Episcopo subjectis, creatos esse: adduntque multa de Moravis ad fidem Christi conversis, deque injuriis, quas illi sibi inferebant. Titulus: „ Summo „ Pontifici, & universali (*a*) Papæ, non unius urbis, sed „ totius orbis, Domino Joanni, Romanæ Sedis gubernatori „ magnifico, humillimi Paternitatis vestræ filii, Theotmarus „ Juvavensis Ecclesiæ Archiepiscopus: Waldo Frisingensis: „ Erchenpaldus Eystatensis: Zacharias Sebonensis; Tatto Ratisponensis: Richarius Pataviensis Ecclesiæ Episcopus: nec„ non & universus Clerus, populusque Christianus per totam „ Noricam, quæ & Bavaria vocatur: prosperum in Salvatore „ nostro profectum, Catholicæ pacis augmentum, & regnum „ optamus æternum. *Incipit*. Antecessorum vestrorum de„ cretis, & Catholicorum Patrum institutis plenissime instrui„ mur, in omnibus nostro ministerio Sacerdotali obstantibus „ & adversantibus Romanum appellare Pontificem, ut quod ad „ unitatem concordiæ & ad custodiam pertinet disciplinæ, nul„ la dissensione violetur, sed ab ipso summa provisione decer„ natur. *Subjungunt*: Nequaquam enim credimus, quod coa„ cti quotidie audimus, ut de illa sancta & Apostolica Sede, „ quæ nobis Sacerdotalis Mater est dignitatis, & origo Chri„ stianæ religionis, profluxerit quippiam perversitatis, sed „ doctrina & auctoritas Ecclesiasticæ rationis. Sed venerunt „ ut ipsi promulgaverunt, de latere vestro tres Episcopi, vi„ delicet Joannes Archiepiscopus, Benedictus & Daniel Epi„ scopi, in terram Sclavorum, qui Moravi (*b*) dicuntur, „ quæ

desio post Hincmari opuscula & Epistolas anno 1615. Parisiis: quum jam ab ann. 1611. Monachii in Appendice Chronici Reicherspergensis in Bajoaria, opera Christophori Gewoldi cum pluribus aliis antiquis diplomatibus prodiisset. At illam ad Joannem IX. anno 900. missam esse, constat, tum ex Episcoporum qui scribunt ætate, ut discitur ex Hundii Metropoli Salisburgensi Tom. I. tum etiam ex iis verbis, quæ de Wichingo ab Joanne VIII. ordinato Episcopo dicuntur Tom. cit. concil. pag. 245. & 500. „ Antecessor vester (nimirum Joannes VIII.) Zventibaldo Duce impetrante Wichin„ gum consecravit Episcopum &c.

a In editione Monachii & Paris. titulus hic est. „ Summo Pontifici & universa„ li Papæ Domino Joanni Romanæ Sedis magnifico gubernatori, humillimi paterni„ tatis vestræ filii &c.

b *Maravi*, *Maravenses*, *Moravi*. In edit. Paris. & Monachii: „ *Qui Moravi vocantur. Et, in terram Slavinorum.*

„ quæ Regibus noſtris, & populo noſtro, nobis quoque cum „ habitatoribus ſuis ſubacta fuerat, tam in cultu Chriſtianæ re- „ ligionis, quam in tributo ſubſtantiæ ſæcularis, quia exinde „ primum imbuti, & ex Paganis Chriſtiani ſunt facti. Et idcir- „ co Patavienſis Epiſcopus civitatis, in cujus Diœceſi ſunt illius „ terræ (a) populi ab exordio Chriſtianitatis eorum, quan- „ do voluit & debuit, illuc nullo obſtante intravit, & Syno- „ dalem cum ſuis, & etiam ibi inventis, conventum frequen- „ tavit, & omnia quæ agenda ſunt, potenter egit, & nullus „ ei in faciem reſtitit. Etiam & noſtri Comites, illi terræ con- „ fines, placita ſæcularia illic continuaverunt, & quæ corri- „ genda ſunt correxerunt, tributa tulerunt, & nulli eis reſti- „ terunt; uſquedum inceſſente corda eorum diabolo, Chri- „ ſtianitatem abhorrere, & omnem juſtitiam detrectare, bel- „ loque laceſſere, & obſiſtere ſæviſſime cœperunt, adeo ut „ via Epiſcopo & Prædicatoribus illo non eſſet, ſed libitu ſuo „ egerunt quæ voluerunt. „ Ex quibus liquet, ante Methodii, Cyrilli, & Raſticis Ducis tempora, Moravos a Francis fidem Chriſtianam jam accepiſſe, ſub Arnone videlicet & aliis Epiſcopis Salisburgenſibus, ſubque Theodorico, & Oſvaldo Slavorum Epiſcopis, aliiſque Presbyteris, ab ipſa Salisburgenſi Eccleſia miſſis eidemque ſubjectis: ab illo vero tempore, quo Raſtices a Regibus Francorum defecit, Epiſcopo & Prædicatoribus Francis viam fuiſſe præcluſam, & Slavicum ſermonem pro Latino in rebus ſacris inductum: quemadmodum Anonymus in libello de Bajoariis & Carantanis ſupra narravit. Pergunt Antiſtites Bajoarii: „ Nunc vero, quod grave nobis videtur & „ incredibile, in argumentum (b) injuriæ, jactitant ſe magni- „ tudine pecuniæ id egiſſe, qualia de illa Apoſtolica Sede nun- „ quam audivimus exiſſe, neque canonum decreta ſanxiſſe, „ ut tantum ſchiſma una pateretur Eccleſia. Eſt enim unus „ Epiſcopatus in quinque diviſus. Intrantes enim prædicti Epi- „ ſcopi in nomine veſtro, ut ipſi dixerunt, ordinaverunt in „ uno

a Tom. IX. Concilioor. pag. 499. perperam legitur, *illius tempore populi*.

b Edit. Pariſ. & Monach. Tom. IX. Concil. pag. 244. „ In augmentum juſtitiæ jactitant, ſe magnitudine pecuniæ egiſſe, vos eoſdem præfatos Epiſcopos ad ſe direxiſſe, & in eodem Patavienſi Epiſcopatu talia egiſſe, qualia de illa Apoſtolica „ Sede nunquam exiſſe, neque canonum decreta ſanxiſſe, ut tantum Schiſma una pa- „ teretur Eccleſia.

„ uno eodemque Episcopatu, unum Archiepiscopum, (si ta-
„ men in alterius Episcopatu Archiepiscopium esse potest) &
„ tres Suffraganeos ejus Episcopos, absque scientia Archiepi-
„ scopi, & consensu Episcopi, in cujus fuerunt Diœcesi. „ De Archiepiscopatu & tribus Episcopatibus in Diœcesi Pataviensi a Joanne IX. institutis, sermo redibit, quum ad ann. 900. Hungarorum in Bajoariam & Pannoniam invasionem describam. nunc reliqua Antistitum Bajoariæ verba de Moravis persequor. „ Antecessor vester (inquiunt), idest, Joannes VIII.
„ Papa Zventibaldo Duce impetrante, Wichingum consecra-
„ vit Episcopum, & nequaquam in illum antiquum Patavien-
„ sem Episcopatum eum transmisit, sed in quamdam neophy-
„ tam gentem, quam ipse Dux domuit bello, & ex Paganis
„ Christianos esse patravit. Quum autem eisdem Sclavis locus
„ familiaritatis apud legatos vestros dabatur, accusabant nos
„ & diffamabant nos in multis, & verbis mendacibus insta-
„ bant, quia nemo eis vera respondebat, dicentes nos & cum
„ Francis & Alemannis scandalum & discordiam habuisse:
„ quum hoc falsum esse, ex hoc convincitur, quia amicissimi
„ nostri sunt, & caritative cooperantes: & etiam cum ipsis
„ impacatos esse accusabant. Quod non nostra culpa exigente,
„ sed sua protervia faciente, ita fatemur esse. Quia quando
„ Christianitas illa cœpit vilescere, & insuper debitum tribu-
„ tum senioribus nostris Regibus, & Principibus eorum solve-
„ re respuerunt, belloque resistere, & gentem nostram cœ-
„ perunt lacessere; orta est seditio inter illos. Et quoniam ar-
„ mis sibi eos defenderunt, & in servitium redegerunt; idcir-
„ co jure proprio tributarios habere debuerunt, & debent, &
„ sive velint, sive nolint, Regno nostro subacti erunt. Qua-
„ propter oportet vos ab alto speculari, & moderaminis tem-
„ periem præ omnibus tenere, ne pejor pars confortetur, &
„ melior infirmetur. Progenitores namque serenissimi Senioris
„ nostri, Ludovici videlicet, Imperatores, & Reges (a)
„ ex Christianissima Francorum gente prodierunt. Moimarii
„ vero

a Ita edic. Paris. & Monach. At Concil. Tom. IX. pag. 500. „ Ludovici videli-
„ cet Imperatoris, & Regis „: minus recte: nam Ludovicus puer electus est post Arnulphi patris obitum, Rex Germaniæ, non Imperator; Quare vox, *Imperatores & Reges*, ad ejusdem Ludovici progenitores refertur.

„ (a) vero Sclavi, a Paganis, & Ethnicis venerunt. Illi „ potentia Imperiali Romanam Remp. sublimaverunt: isti da„ mnaverunt. Illi Christianum Regnum confortaveruut, isti „ infirmaverunt. Illi toti mundo spectabiles apparuerunt; isti „ latibulis & urbibus occultati fuerunt. Illorum consilio Apo„ stolica Sedes pollebat: istorum persecutione Christianitas „ dolebat. In omnibus his juvenculus Rex noster (*Ludovicus „ Arnulfi Imp. filius*) nulli prædecessorum suorum inferior, „ secundum virtutem a Deo sibi datam, Sanctæ Romanæ Ec„ clesiæ & vobis Summo Pontifici, cum omnibus Regni sui „ Principibus adjutor optat esse fortissimus: omne namque „ Regnum divinitus sibi commissum, ad Dei servitium suum„ que adjutorium unum vult & operatur: unde & pace vi„ get, & concordia gratulatur, atque ad vestram paternitatem, „ sicut patres sui, se pertinere lætatur „. Ad Hungaros transitum faciunt, quorum incursionis in Italiam & Pannoniam caussam, a se amoliuntur, & in ipsos Slavos rejiciunt: qua de re postea sermo erit.

XXIII. Slavieam quidem linguam in sacris eelebrandis præ Latina induxit Methodius, non tamen GræcumRitū, aut Græcos Episcopos, & Clericos. Ante Methodii tempora jam Moravos Christiana Sacra acceepisse, constat tum ex Annalibus Francorum, tum ex Epistolis Bavariæ Præsulum, tum demum ex Vita SS. Cyrilli & Methodii.

Sed in hac Bajoariorum Præsulum epistola, duo sunt maxime notanda: Primum nempe, quod (ut supra dixi) conqueruntur quidem de novis Slavorum Episcopatibus in Diœcesi (ut ajunt) Pataviensi institutis, deque imminuta Antistitum Juvavensium, quibus olim Moravi omnes subjacebant, jurisdictione: nullam tamen de Latino Ritu in Græcum mutato, aut de Presbyteris & Episcopis Græcis illuc invectis mentionem faciunt. Deinde notanda sunt ea Bajoariorum Antistitum de Slavis Moravis verba „ Venerunt de latere vestro tres Episco„ pi, videlicet, Joannes Archiepiscopus, Benedictus & Daniel „ Episcopi, in terram Sclavorum, qui Moravi dicuntur, quæ „ Regibus nostris & populo nostro, nobis quoque cum habita„ toribus suis subacta fuerat, tam in cultu Christianæ Religio„ nis, quam in tributo substantiæ sæcularis, quia exinde pri-

a Tom. ix. Concil. pag. 500. *Moimarii Sclavi*: idest, Slavi Moravi, quorum primus Dux Moimarus Rasticis pater; & postremus, qui tunc Moravis dominababatur, Zvenribaldi filius, & Zvenribaldi junioris frater, *Mcymarus*, de quo Annalista Fuldensis ad annum 898. „ Inter duos fratres genris Marahensium, Moymirum vi„ delicet & Zventebolchum, eorumque populum, dissensio atque discordia gravissima exorta est &c. At in edit. Monaeh. & Parif. Tom. ix. pag. 245. legitur: „ Mora„ vii vero Sclavi a Paganis & Ethnicis venerunt.

„ mum imbuti, & ex Paganis Christiani sunt facti „. Nulla hic mentio Cyrilli ac Methodii, Moravos ad Christi fidem adducentium; quin imo, ante eorum tempora, dicuntur *Moravi a Bajoariis Episcopis ex Paganis Christiani facti*: unde colligitur, non a veritate abhorrere quæ tam in hac Epistola, quam ab Anonymo *de conversione Bajoariorum & Carentanorum* narrantur, nimirum, *non omnes Moravos, neque sub Rastice, sed sub Zuentibaldo Rasticis filio* gentem quamdam „ Moravorum, quam ipse Zuentibaldus bello domuit, ex pa„ ganis Christianam effectam fuisse „: Adeoque, si verum est quod de SS. Methodio ac Cyrillo in Moraviam a Rastice evocatis narratur, præcipuum hac in re consilium Rastici fuisse oportet, ut sancti illi Viri a Moravorum gente, quæ ibi irrepserant vitia evellerent, & literas quibus Moravi carebant, edocerent. Id quod apertis verbis in priori vita insinuatur, ubi sic legitur: „ Philosopho reverso Constantinopolim, audiens Ra„ stilaus Princeps Moraviæ quod factum fuerat a Philosopho in „ provincia Chazarorum, ipse quoque genti suæ consulens, „ ad prædictum Imperatorem nuncios misit, nuncians hoc, „ quod populus suus ab idolorum quidem cultura recesserat, „ & Christianam legem observare desiderabat (*ergo id totum „ non opera SS. Cyrilli ac Methodii, sed Præsulum Bajoariorum „ jam factum fuerat*) verùm doctorem talem non habent, qui „ ad LEGENDUM eos, & ad perfectam legem ipsos edo„ ceat: rogare se talem hominem ad partes illas dirigat, qui „ pleniter fidem & ordinem divinæ legis & viam veritatis po„ pulo illi ostendere valeat. Cujus precibus annuens Impera„ tor, eundem supernominatum Philosophum ad se venire (*a*) „ rogavit, eumque illuc, ideft, in terram Sclavorum, simul „ cum Methodio germano suo, transmisit „. En igitur Moravi jam ab idolorum cultu recesserant, Christianam fidem amplexi: Sed literis Slavonicis carebant, quibus inventis, *pleniter fidem, & ordinem divinæ legis & viam veritatis* a SS. Cyrillo & Methodio edocti sunt: sacris nimirum Scripturis, & Eccle-

siasti-

a Cur Imp. Michael *ad se venire rogavit Constantinum Philosophum*, qui paulo superius dicitur è Chazaria Constantinopolim reversus? uterque enim Constantinopoli degebat. Nimirum, his verbis indigitatur, Constantinum cum Methodio è Constantinopoli in Bulgariam abiisse ad Bogorim Bulgarorum Regem. Inde ergo eos evocavit Michael Imperator, ut in Moraviam pergerent.

ſiaſticis officiis in patriam linguam converſis: de quo Anonymus ille *Methodium* (ſuppreſſo Cyrilli nomine) redarguit, dicens: „ Uſquedum quidam Græcus, Methodius nomine, noviter „ inventis Slavinis literis, linguam Latinam, doctrinamque „ Romanam: & cetera ut ſupra „. Etſi enim dicuntur poſtea *Rex & populus baptizati*; id tamen aut ex præconcepto de converſione Moravorum per Cyrillum ac Methodium facta errore ſcribitur; (qui error ex authenticis documentis a nobis productis eſt emendandus:) aut eſt intelligendum non de Raſtice & omni ejus populo, ſed de illa dumtaxat gente, quæ nondum Baptiſma ſuſceperat; quemadmodum in laudata Bajoariorum Antiſtitum Epiſtola de Wichingo ab Jo: VIII. PP. ordinato Nitrienſi Epiſcopo aſſeritur „ tranſmiſſo ſcil. ad quamdam Neo- „ phytam gentem, quam Zventibaldus Raſticis nepos ac in „ Moraviæ Principatu ſucceſſor bello domitam, ex Ethnica ſu- „ perſtitione Chriſtianam fecit.

CAPUT III.

De Moraviæ Epiſcopis & Archiepiſcopis. Refertur ac refellitur Catalogus Græcus Archiepiſcoporum Moraviæ & Bulgariæ. Item Catalogus Epiſcoporum Olomucenſium.

I. SS. Cyrillus & Methodius a Nicolao PP. Romam evocati ad reddendam rationem prædicationis Evangelicæ. Ab Hadriano PP. honorifice excepti Ab eodem Methodius conſecratus Epiſcopus, in Moraviam remittitur.

HIs de Ruſſorum, Chazarorum, Bulgarorum, & Moravorum ab Ethnica ſuperſtitione ad Chriſti fidem converſione prælibatis, Slavicam hiſtoriam proſequor.

Dum Nicolaus primus (*a*) anno 866. audita Michaëlis Bulgariæ Regis legatione ſuggerentis, quid ſe facere ſalubrius oporteret, & quid erga reliquum Bulgaricum adhuc „ Baptiſmo carentem populum, ut fidei Sacramenta percipe- „ ret, agi deberet; ſimulque (*b*) a Sede Apoſtolica inſti- „ tutores & doctrinam expetentis „. Dum, inquam, Nicolaus Papa Legatos ſuos Paulum & Formoſum Epiſcopum in Bulgariam mitteret, audiens, Cyrillum ac Methodium in Mora-

a Anaſtaſ. Bibliothec. in Vita Nicol. I.

b Nicol. I. Epiſt. 70. ad Hincmarum & Archiepiſcopos, & Epiſcopos in Regno Caroli Regis Eccleſias conſtitutas regentes.

via (*a*) „ parvulos eorum literas edocere, officia Ecclesiastica instruere; sicque abrasis & exstirpatis de agro illo pestifero multifariis vitiorum sentibus, Divini Verbi gramina seminare; valde lætus super his, quæ sibi ex hoc (*a missis utique in Bulgariam legatis*) relata fuerant, redditus, mandavit, & ad se venire illos literis Apostolicis invitavit. Quo nuncio illi percepto, valde gavisi sunt, gratias agentes Deo, quod tanti erant habiti, quod mererentur ab Apostolica Sede vocari. Mox igitur iter aggressi, duxerunt etiam secum aliquos de discipulis suis, quos dignos esse ad Episcopatus honorem recipiendum censebant. Sicque post aliquot dies Romam applicuerunt. Sed quum ante non multos dies supradictus Papa Nicolaus transiisset ad Dominum (*obiit autem die* 13. *Novemb. anni* 867.) Secundus Hadrianus, qui illi in Romano Pontificatu (*die* 14. *Decembris ejusdem anni* 867.) successerat, audiens, quod præfatus Philosophus (*Constantinus seu Cyrillus*, *Methodii frater*) Corpus B. Clementis, quod studio suo repererat, secum deferret, valde nimis exhilaratus est, & extra Urbem cum Clero & Populo, procedens obviam illis, honorifice satis eos recepit... Multis itaque gratiarum actionibus præfato Philosopho pro tanto beneficio redditis, consecraverunt ipsum & Methodium in Episcopos, necnon & cæteros eorum discipulos in Presbyteros & Diaconos „. Nimirum decrevit Hadrianus Papa, utrumque fratrem in Episcopos consecrare, sed quum Cyrillus Episcopatui renunciasset (quippe qui diem transitus sui imminere sibi sentiebat) solus Methodius Episcopalem consecrationem accepit, quemadmodum Auctor posterioris eorumdem vitæ tradit. „ Factus ergo Moravorum Antistes, gregem commissum curæ suæ discreta pietate monuit, docuit, & correxit, evellens nocua, salubria seminans. Ecclesias Dei ad culmen summi honoris erigens, mira exercens, unumquemque a polluta religione discedere persuasit, & Baptismum Christi induere.

II. Apud Jo. VIII. Papam accusatur Methodius Episco-

Porro Methodium ab Hadriano II. Papa ordinatum fuisse Episcopum Moravisque directum, diserte testatur Joannes Papa VIII. in Epist. CXCIV. data XVIII. *Kal. Jul. Indict.* XII. hoc est,

a Auctor prioris Vitæ SS. Cyrilli & Methodii de sacra eorum in Moraviam expeditione.

est, die 14. Junii anno 879. *Ad Tuventarum* (*a*) *de Maruana* (leg. Maravia seu Moravia) in qua hortatur, ut omnem falsam doctrinam rejiciens, in Romanæ Ecclesiæ fide maneat; miraturque, Methodium aliter, quam fuerat professus, docere: & propterea a se vocatum fuisse significat. „ Scire volumus, quia nos qui per Dei gratiam B. Petri Apostolorum „ Principis vicem tenemus, pio amore vos quasi carissimos filios amplectimur, & paterna dilectione amamus; nostrisque „ assiduis precibus vos omnes Jesu Christo Domino commendamus, orantes semper pro vobis, ut Deus omnipotens, „ qui corda vestra illuminavit, & ad viam veritatis perduxit, „ in bonis operibus confirmet, & usque ad finem in recta fide „ bonaque actione decoratos vos atque incolumes dignetur „ perducere. Quod autem, sicut Joanne Presbytero vestro, „ quem nobis misistis, referente didicimus, in recta fide dubitatis; monemus dilectionem vestram, ut sic teneatis, sic „ credatis, sicut Sancta Romana Ecclesia ab ipso Apostolorum „ principe didicit, tenuit, & usque in finem sæculi tenebit, „ atque per totum mundum quotidie sanctæ fidei verba rectæque prædicationis semina mittit: & sicut Antecessores nostros, „ sanctos videlicet Sedis Apostolicæ Præsules, parentes vestros ab initio docuisse cognoscitis. Si autem aliquis vobis, „ vel Episcopus vester, vel quilibet Sacerdos, aliter annunciare, aut prædicare præsumpserit, zelo Dei accensi omnes „ uno animo unaque voluntate doctrinam falsam abjicite, stantes & tenentes traditionem Sedis Apostolicæ. Quia vero „ audivimus, quia METHODIUS vester Archiepiscopus, ab „ Antecessore nostro Hadriano scilicet Papa ordinatus, vobisque directus, aliter (*b*) doceat, quam coram Sede Apostolica se credere verbis & literis professus est, valde miramur: tamen propter hoc direximus illi, ut absque omni „ occa-

pus Moravorum, quod aliter doceret, ac Romæ professus fuerat. Romam anno 879. evocatur, vetaturque Slavicum sermonem in sacris adhibere. Binæ hac de re Joannis Papæ Epistolæ.

a Leg. *Tuvennatabare de Moravia*: qui una cum aliis Michaelis Bulgarorum Regis Legatis in Synodo VIII. Oecumenica Act. IX. & X. consedisse legitur. Vide Tom. 8. Concil. Labb. pag. 1124. & 1359.

b Hansizius Tom. I. Germ. Sacr. pag. 165. Ceterum de erroribus illis, qui Methodio erant criminatione quorundam impositi, quamquam proditum haud sit, prudenti tamen conjectura, putamus fuisse Schisma Photii. Hic homo fanaticus Animas in homine duas adstruebat: grassatus inde ad Patriarchatum Cpnum, Bulgaros ab obsequio Romanæ Sedis in partes suas attrahere studuit. Inde Schisma conflatum quod

„ occaſione ad nos venire procuret ; quatenus ex ore ejus au-
„ diamus , utrum ſic teneat & credat , ſicut promiſit , an non.
Nimirum Salisburgenſis Archiepiſcopus videns Methodium ab Hadriano Papa Antiſtitem Moravorum conſecratum , noviter inventis Slavinis literis vileſcere feciſſe cuncto populo Miſſas Eccleſiaſticumque officium eorum qui hoc Latine celebrabant ; ea videtur Accuſationum capita adverſus ipſum ad Pontificem Joannem miſiſſe , quæ in Libello de converſione Bajoariorum & Carentanorum a nobis ſupra laudato continentur ; ægre enim ferebat , novum Epiſcopatum in ſua , uti exiſtimabat , Diœceſi Salisburgenſi erectum fuiſſe ; quumque adverſus Pontificis ſummi auctoritatem , a quo is Epiſcopatus fuerat inſtitutus , contendere videri nollet , Methodio crimini vertit , quod aliter doceret , quam coram Sancta Romana Eccleſia profeſſus fuerat : „ Uſquedum (inquiens) quidam Græcus , Methodius
„ nomine , noviter inventis Slavinis literis , linguam Latinam
„ doctrinamque Romanam atque literas auctorabiles Latinas
„ Philoſophice ſuperducens , vileſcere fecit cuncto populo ex
„ parte Miſſas & Evangelia , Eccleſiaſticumque officium illo-
„ rum , qui hoc Latine celebraverunt „ . Hinc Joannes Papa memoratam ad Tuventarum Moraviæ Ducem Epiſtolam dedit, necnon alteram ad eundem Methodium , ordine CXCV. datam , ut ſupra , ſic inſcriptam : ***Reverendiſſimo Methodio Archiepiſcopo Pannonienſis Eccleſiæ*** : qua præcipit ei , ut ad ſe veniat , ut de ejus doctrina cognoſcere poſſit : Miſſas interim Sclavonica lingua celebrari prohibet . „ Prædicationis tuæ (inquit) do-
„ ctrinis populum Domini , tibi quaſi Spiritali Paſtori commiſ-
„ ſum , ſalvare inſtruereque quum debeas ; audivimus , quod
„ non ea , quæ Sancta Romana Eccleſia ab ipſo Apoſtolorum
„ Principe didicit , & quotidie prædicat , tu docendo doceas ,
„ & ipſum populum in errorem mittas . Unde his Apoſtolatus
„ noſtri literis tibi jubemus , ut omni occaſione poſtpoſita , ad
„ nos

quod tum gliſcere per Illyricum & Pannoniam , ſubflaminante præcipue Aquilejenſi Patriarcha , cœperat , errore cum primis de Proceſſione Spiritu Sancti propagato : Græcus erat Methodius , & doctrinam ſuam barbara lingua tradiderat , & Photii Schiſma ad multos manarat . Pronum igitur erat , ut per malevolentiam quorundam ſuſpicio criminis & Methodium afflaret ; præcipue quum meſſor peregrinus , & novi moris in aliena ſegete oculis minus æquis aſpiceretur . Aut hoc igitur erat , aut alii quipiam Ritus Græcis affines , & Romanis diſpares , quos in loco errorum accuſatores poſuerant . Cetera .

„ nos de præſenti venire prócures, ut ex ore tuo audiamus, „ & cognoſcamus, utrum ſic teneas, & ſic prædices, ſicut verbis & literis te Sanctæ Romanæ Eccleſiæ credere promiſiſti, „ aut non; ut veraciter cognoſcamus doctrinam tuam. Audimus etiam, quod Miſſas cantes in Barbara, hoc eſt, in Slavina lingua; unde jam literis noſtris per Paulum Epiſcopum „ Anconitanum tibi directis, prohibuimus, ne in ea lingua Sacra Miſſarum ſolemnia celebrares; ſed vel in Latina, vel in „ Græca lingua, ſicut Eccleſia Dei toto terrarum orbe diffuſa & „ in omnibus gentibus dilatata cantat. Prædicare vero, aut ſermonem in populo facere tibi licet, quoniam Pſalmiſta omnes „ admonet Dominum gentes laudare; & Apoſtolus: Omnis „ inquit, lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus in gloria eſt „ Dei Patris „. Tam in hac Epiſtola 195. quàm in antecedente 194. Methodius a Joanne Papa vocatur *Archiepiſcopus*, & cum addito, *Pannonienſis*, ideſt Moraviæ, quæ tunc temporis Pannoniam uſque ad Dravum fluvium complectebatur; non quod revera Epiſcopum ſibi ſubjectum haberet: ſolus enim ſine ſubjecto Epiſcopo, Eccleſiam Moravenſem regebat: Sed honoris cauſa dumtaxat, & quia poſtea factum eſt, ut vere *Archiepiſcopi titulum & dignitatem obtinuerit*, quando ab eodem Joanne Papa Romam evocatus, ſecum in Moraviam reduxit *Wichinum* Nitrienſi Eccleſiæ ordinatum Epiſcopum, ac ſibi tamquam Archiepiſcopo, ab ipſo Pontifice ſubjectum; tunc enim, & non antea vere fuit Methodius Moraviæ Archiepiſcopus. Id quod exemplo Bulgarorum adhuc magis confirmatur. Bulgarorum Rex Michaël, ut ſupra dictum eſt, poſtquam Methodius ipſe picturam illam ſecundi Dominici Adventus feciſſet, ad Chriſti fidem converſus, miſſis anno 866. Romam Legatis, inter cætera quæ a Nicolao Papa poſtulavit, hoc fuit, ut *Patriarcha* ſcilicet Bulgaris daretur. Cui petitioni Nicolaus Pontifex in Epiſtola ad Conſulta Bulgarorum cap. 72. ſic reſpondit: „ Requiſiſtis, ſi liceat in vobis Patriarcham ordinari. Sed „ de hoc nihil definitive reſpondere poſſumus, priuſquam Legati noſtri, quos vobiſcum mittimus, reverſi fuerint, ut „ nobis, quæ inter vos multitudo ſit, & unanimitas Chriſtianorum, renuncient. Nam interim Epiſcopum habetote: „ & quum, incremento divinæ gratiæ, Chriſtianitas ibi fuerit „ dila-

„ dilatata, & Episcopi per singulas Ecclesias ordinati; tunc „ eligendus est inter vos unus, qui si non Patriarcha, certe „ Archiepiscopus appellandus sit, ad quem omnes concurrant. Hæc Nicolaus Papa de Bulgaris: quibus sicut initio unus a Romano Pontifice præficiendus (*a*) fuisset Episcopus, non Archiepiscopus: ita & Methodius non Archiepiscopus, sed Episcopus Moravensem Ecclesiam tandiu administravit, donec solus fuit Moravorum Antistes.

III. Pagii allucinatio circa Weleradiensem Archiepiscopatum a S. Cyrillo, ut putat, creatum. Joannes Papa Sergium Slavum a Georgio pseudo Episcopo ordinatum Belogradensem Episcopum, deponit.

Quod igitur scribit Pagius ad annum 880. num. v. „ Moraviæ principatus & jurisdictio Metropolitana in eo instituta, „ complectebatur Pannoniam usque ad Dravum fluvium; populosque inibi habitantes Methodius ad Christi fidem perduxerat: hinc in Epistola Joannis Papæ CXCV. Methodius dicitur *Archiepiscopus Pannoniensis Ecclesiæ*: & in Epistola citata CCXLVII. *Reverendissimus Archiepiscopus Morabensis* „: hoc inquam, eo modo est intelligendum, quem supra exposuimus: idest, quando Wichinus factus Episcopus Nitriensis sub Methodio Archiepiscopo; non ante ipsius Wichini consecrationem. Falsum est proinde, quod ibidem subjungit Pagius: „ In eadem Epistola Joannes Papa Archiepiscopatus Welehradiensis in Moravia a S. Cyrillo instituti jura confirmat „. Equidem semel, iterum, ac tertio Epistolas omnes Joannis VIII. Papæ percurrens, quæ Tomo IX. Concil. Labb. a pag. 2. ad pag. 247. continentur; nihil tamen reperire potui eorum, quæ Pagius in Epist. CXCV. vel CCXLVII. legisse se perhibet de *Welehradiensi Archiepiscopatu a S. Cyrillo in Moravia instituto*. Quin imo in aliis Joannis Papæ Epistolis, nimirum CXCIV. & CCLXVIII. in quibus *Methodii*, aut *Moraviæ principum* fit mentio, ne verbum quidem de *Welehradiensi Archiepiscopatu*; sed neque de *Cyrillo ipso*, nisi in Epistola CCXLVII. ubi *Constantinus quidam seu, quondam Philosophus Sclavonicarum literarum inventor* appellatur. In quanam igitur Joannis Papæ Epistola id legerit Pagius, divinare nequeo. Fortasse memoriæ lapsu vir impense doctus, pro *Sergio Belogradensi Episcopo*, Cyrillum substituit, aut a Cyrillo existimavit *Episcopatum* illum *Belogradensem* institutum. In Epistola siquidem LXXV. ad *Michaëlem Regem Bulgarorum* data *Indict*. XI. *die* 16. *Aprilis*, anno 878. Joannes

a Nisi scil. Bulgari a Græcis postea Archiepiscopum Theophylactum accepissent.

nes Papa VIII. *Sergium* illum a *Georgio* quodam ordinatum, omni gradu Ecclesiastico dejectum decernit in hæc verba Tom. IX. Concil. Labb. pag. 61. „ Ceterum gloria vestra sciat, „ Sergium Eunuchum, qui quum genere Sclavus esset, & „ multis pravitatibus irretitus, Sacerdotium per surreptionem „ obtinuit, & post etiam aliis detectus, & convictus excessi- „ bus, ab Episcopo tunc suo depositus fuisse dignoscitur, & „ post indigne satis a Georgio, qui falso sibi Episcopi nomen „ usurpat, ad Episcopatum Belogradensem provectus est, „ Apostolorum Principum, & Sanctorum Canonum auctorita- „ te, etiam nostri esse sententia decreti depositum: quod tam „ vobis, quam vestræ omnium generalitati canonice patefaci- „ mus, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur, ne, „ quod non optamus, simili cum eis pœna judicii teneantur „ astricti „. Verùm quid hæc ad S. Cyrillum? Quid ad Archiepiscopatum Vvelehradiensem a Cyrillo institutum? Cyrillus Romæ sub Hadriano II. anno 868. ineunte, Episcopatui renuncians, in monastico instituto obiit, quemadmodum illius Acta testantur. Non igitur Archiepiscopatum Velegradiensem instituit, non rexit; non is demum fuisse potuit Episcopus, qui, Joanne Papa teste, Sergium eunuchum super multis convictum criminibus deposuit, aut Velegradensem Episcopum consecravit. Errandi ansam Pagio, ut mihi videtur, præbuit *MSS. Florarium SS. Cyrilli ac Methodii*, in quo ad diem IX. Martii apud Henschenium pag. 12. legitur: „ In Maravia ci- „ vitate Vvelligrad SS. Cyrilli & (a) Motudii Episcoporum „ & Confessorum „: Vel Jacobus de Voragine ann. 1292. creatus Genuensis Archiepiscopus, qui in Vita S. Clementis, Cyrillum vocat *Moranorum*, idest Moravorum, *Episcopum*, his verbis: „ Deinde prædictus Philosophus cum corpore S. Cle- „ mentis Romam venit, & multis ostensis miraculis, in Ec- „ clesia quæ nunc dicitur S. Clementis, honorifice corpus collo- „ catum fuit. In quadam autem chronica legitur, quod mari ab „ illo loco exsiccato, a B. Cyrillo Moranorum Episcopo Romam „ translatum est „: Conjunxit enim Pagius hæc duo, quæ certe in Cyrillo fuerant omnino separanda: nimirum, quum Cyrillus dictus fuerit (etsi perperam) *Moravorum Episcopus*, quum-

a Sic.

que *Vvelligrad* esset unus è præcipuis Moraviæ Episcopatibus, Pagius existimavit, Vvelligradiensem Moraviæ Episcopatum a Cyrillo fuisse institutum.

IV.
De Agathone Moravorum, Gabriele Achridæ, & Simeone Debelti Episcopis, a Photio in sua Pseudosynodo anni 879. commemoratis. Deque Silvestro, qui a Quieno dicitur Bulgaris per Hadrianum Papam consecratus Episcopus.

In Pseudo-Synodo Photiana (a) habita, seu potius conficta, anno 879. mense circiter Novembri (b) consedisse dicuntur, inter Metropolitas quidem Ἀγαθὼν Μωράβων, *Agathon Moravorum*; inter Episcopos autem Γαβριὴλ Ἀχρίδης, *Gabriel Achridæ*, & Συμεὼν δεβελτῦ, *Symeon Debelti*, quorum nempe primus fuerit Moraviæ Antistes: duo alii Bulgarorum Episcopi. Verum ad *Agathonem* quod spectat, jam supra vidimus, sed & mox fusius demonstrabimus, Moravis ab anno 868. usque ad ann. saltem 899. Archiepiscopum Methodium, & ab anno 879. usque ad ann. 900. Wichinum Episcopum præfuisse; quo temporis spatio, dum scil. Moravorum Duces essent Rastislaus & Zventopulchus, Latini Sacerdotes & Episcopi, non Græci in Moravia rei sacræ præerant; proinde non Moravorum, sed Bulgarorum, Episcopus *Agathon* fuit, uti mox demonstrabitur, tametsi certum non est, illum ei Pseudosynodo interfuisse. Hoc ipsum de *Gabriele & Simeone* dicimus: nam tum Debeltus, tum Achrida tunc temporis, quum in potestate Bulgarorum essent, Episcopis destitutæ erant. Anno quippe 812. „ Crumus Bulgarorum Princeps, quum Debeltum obsidione „ cepisset, oppidanos cum Episcopo in regionem aliam trans„ portavit „ Theophane teste. Quare dum Quienus Tom. I. Orient. Christ. p. 1184. in Catalogo Episcoporum Debelti, num. 5. *Simeonem* Synodo Photianæ subscripsisse asserit, mox num. 6. Anonymum Episcopum recenset a Crumo, capto Debelto, in Bulgariam translatum; dupliciter allucinatur: primum quidem, fictitium Simeonem Sancto *Eustratio, Jovino, Athanasio & Ælio Publio Julio*, veris Debeltanis Episcopis, adnumerans: deinde anonymum illum Episcopum a Crumo anno 812. Michaëlis Curopalatæ I. in Bulgariam abductum postponens Simeoni, Synodo Photianæ anno 879. confictæ subscribenti.

a Tom. XI. Concil. edit. Venetæ anni 1730. pag. 338. & seq. ex MSS. Græco Codice Bibliothecæ Vaticanæ, permissu Clementis XI. Pont. max. transcribi fecit, editque Harduinus Tom. 6. collect. Concil. pag. 213.

b Nam Actio 2. habita die 17. Novemb. Ind. 13. feria tertia dicitur Tom. XI. Concil. edit. Venet. pag. 359.

ti. Errat item vir cæteroquin impense doctus, dum Tom. cit. pag. 1174. Seriem Antistitum Adrianopolitanorum texens, num. 8. post *Manuelem* anno circiter 814. a Murtagone Bulgarorum Principe, ut supra dixi, Martyrio affectum, *Theophylactum* recenset his verbis: „ Hadrianopolis Episcopus seculo „ nono medio sedebat Theophylactus, qui anno 845. a Theo„ dora Augusta in Bulgariam missus est, ut sororem Bogoris „ Regis ipsumque Regem Christianæ fidei doctrina imbueret. „ Cæterum Theodosius Cupharas vocatur a Cedreno „. Confusa omnia. Neque Theophylactus, neque Episcopus Hadrianopolis; sed *Theodorus Cupharas* Monachus is fuit, idemque apud Bogorim captivus, Theodoræ Augustæ opera, cum sorore ipsius Bogoris quæ captiva Byzantii in Aula degebat, commutatus. Vide quæ supra sunt narrata. Quo vero anno Synodum suam Photius commentus est, idest, Chr. 879., Episcopus ad Bulgaros summissus a Græcis fuerat *Georgius*, quem Cl. Quienus post *Silvestrum* & *Gabrielem*, num.3. inter Achridenses Archiepiscopos enumerat Tom. 2. Orient. Christ. pag. 286. & seq. sic scribens: „ Ex quo Bulgari, Illy„ rici provincias varias occuparunt, nemo in illis Episcopus „ exstitisse reperitur, quum barbara illa gens inanium deorum „ cultui deditissima esset. Ubi vero, Deo demum favente, „ Bulgari Christi fidem religionemque admiserunt, primus „ ipsorum Antistes & Archiepiscopus fuit Silvester nomine, „ ab Hadriano Papa II. pro Marino Diacono, quem Rex ordi„ nari antea postularat „. Hæc Quienus.. Verum *Silvester* quidem ad Bulgaros ab Hadriano Papa fuit missus, ut ipsum eligerent, & ad se mitterent consecrandum Episcopum: non tamen ab ipsis Bulgaris electus est, aut a Papa consecratus: „ Superiore tempore (inquit Gulielmus Bibliothecarius in „ vita Hadriani II.) Formosus Portuensis & Paulus Populo„ niensis venerabiles Episcopi, qui cum cæteris *anno* 866. jus„ su SSmi Papæ Nicolai, causa prædicationis destinati fue„ rant, remeantes, de Christianitate Bulgarum ac omnimoda „ subjectione, qua specialiter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ devo„ tissima colla summiserant, Sedem Apostolicam recrearunt, „ & Michaëlis Bulgarici Regis Legatum, Petrum nomine, „ Summo Pontifici præsentarunt. Qui Legatos cum donis re-

„ galibus, regias quoque literas obtulit, Summum Præsulem „ summopere deprecantes, ut aut Marinum sibi bene com- „ pertum Diaconum, Archiepiscopum consecratum remitteret, „ aut aliquem ex Cardinalibus dumtaxat suæ Ecclesiæ, virum „ sapientia, persona, vitaque Archiepiscopatu dignissimum, „ Bulgaris eligendum dirigeret, quem post approbationem, „ denuo remeantem, Archiepiscopali ministerio sublimaret: „ Sed Marino Constantinopolim missaticum devotissime, ut dixi- „ mus, sortito, Summus Pontifex Silvestrum quemdam Bulgaris „ eligendum direxit, quem cum Leopardo Anconitano & Do- „ minico Tarvisiensi Episcopis, simul & literas pro Archiepi- „ scopo, aut Formoso Portuensi Episcopo remittendo impor- „ tunissime deprecantes remittentibus Bulgaris, magna sub ve- „ locitate recepit: quibus inter nonnulla rescripsit, ut quem- „ cumque nominatim devotio regalis exprimeret, eum sine „ dubio Pontificalis provisio Bulgaris Archiepiscopum commo- „ daret. At vero Bulgarum Rex expectationum moras diu- „ tius ferre non valens, ad Græcorum Imperatorem, eundem „ Petrum, quem a Roma sine desiderii sui effectu sero recepe- „ rat, cum aliis e latere suo Constantinopolim, requisitionis gra- „ tia, cui potissimum Bulgaria pertinere deberet, emisit „. Cetera supra sunt recitata. Non igitur *Silvester* ordinatus est Bulgarorum Episcopus, sed missus tantummodo in Bulgariam, ut, si Bulgaris placeret, eligeretur & Romam consecrandus mitteretur: quod tamen factum non est: sed anno 870. a Græcis missus in Bulgariam Episcopus, & Latini omnes e Bulgaria ejecti.

V. Agathon, non Theophylactus, a S. Ignatio ad Bulgaros missus primus Episcopus.

Allatius in Rob. Creyghtoni Apparatum, versionem & notas ad historiam Concilii Florentini scriptam a Silvestro Syropulo, exercitat xv. a p. 251. merito Creyghtonum refellit, quod is Theophylactum hunc a S. Ignatio ad Bulgaros missum, per summam inscitiam dicat a Photio missum fuisse, eundemque confundat cum altero Theophylacto ex Chrysostomi commentariis suas lucubrationes concinnante. Circa hujus Episcopi ad Bulgaros a S. Ignatio missi personam, ego quidem Baronio, Pagio, & Allatio, Viris doctissimis, libenter subscribo. At circa ejus nomen, conjecturam meam eruditis Lectoribus expendendam submitto. Non *Theophylacti*, sed *Agathonis* nomen

men ei fuisse videtur. Id ego conjicio ex Annalista Fuldensi, cujus ad annum Chr. 873. hæc sunt verba. „ Mense Novembri Agathon Archiepiscopus Basilii Græcorum Imperatoris Legatus, ad renovandam pristinam amicitiam, cum Epistolis & muneribus ad Ludovicum (*Germaniæ*) Regem venit. Quem Rex honorifice suscepit & absolvit „. Inter eos, qui anno 869. & 870. Synodo Octavæ œcumenicæ interfuere, nullus Agatho Archiepiscopus legitur. In Synodo tamen Photiana anno 879. celebrata, *Agathon Moravorum Archiepiscopus* subscriptus est, aut saltem confingitur. Hinc conjectari licet, *Agathonem Archiepiscopum*, post absolutam Octavam Synodum, a S. Ignatio consecratum Bulgaris Archiepiscopum, quem Photius *Moravorum* Præsulem appellat: communi scilicet Schismaticorum ejus temporis errore aut fraude, qui quum Episcopos Bulgariæ recensent, eos cum Moravis Episcopis confundunt. Vide Indicem Græcum Archiepiscoporum Bulgariæ a Quieno Tom. 2. Orient. Christ. a pag. 289. editum, in quo S. Methodius (qui certe Episcopus Bulgarorum non fuit, sed Moravorum) primus post adductos ad Christi fidem Bulgaros ejus gentis Episcopus numeratur.

VI. Georgius, non Gabriel, post Agathonem, Episcopus a Græcis summissus Bulgariam curabat.

Quienus fidem Photio adjungens, rejecto Theophylacto; (quem Baronius num. 52. & Pagius num. 21. ad annum 870. primum Bulgaris a S. Ignatio Patriarcha datum Archiepiscopum tradunt;) rejecto etiam *Agathone*, cujus modo mentionem feci;) *Gabrielem* substituit, quem tamen, eo quod *Achridensis*, teste Photio, esset, inter Metropolitas non esse censendum pronunciat, *quia nempe Achridæ nondum Bulgarorum Archiepiscopus consistebat*. Sed fictitium esse hunc Episcopum, suadet, tum mala fides Photii, quem constat Acta illius Pseudosynodi confinxisse; tum indubitata Joannis Papæ VIII. auctoritas, qui in epist. 75. ad Michaëlem Bulgarorum Regem die 16. *Apr. Ind.* XI. hoc est, anno Chr. 878. data, anno videlicet, ante illam pseudosynodum Photianam, *Georgium* tunc temporis in Bulgaria Episcopum egisse affirmat: „ Ceterum (inquiens) gloria vestra sciat, Sergium Eunuchum, (*a*) qui quum genere Sclavus esset, & multis pravitatibus irreti-

a *Eunuchum*. Ita Tom. 9. Concil. Labb. pag. 61. At Quienus Tom. 2. Orient. Christ. pag. 238. *Sergium Monachum*.

„ titus, Sacerdotium per ſubreptionem obtinuit; & poſt etiam „ ſuper aliis detectus & convictus exceſſibus, ab Epiſcopo „ tunc ſuo depoſitus fuiſse dignoſcitur; & poſt indigne ſatis a „ Georgio, qui falſo ſibi Epiſcopi nomen uſurpavit, ad Epi- „ ſcopatum Belogradenſem provectus eſt, Apoſtolorum Prin- „ cipum & ſanctorum Canonum auctoritate, etiam noſtri eſse „ ſententia decreti depoſitum „ Georgius ille, qui Sergium Belogradenſem Epiſcopum creaverat, Metropolita proinde Bulgariæ habebatur, quem PP. Joannes falſo ſibi Epiſcopi nomen vindicare ait, quia Romana Eccleſia Epiſcopos Græcos non admittebat, qui Bulgarorum Eccleſias ſine ſuo nutu curabant, uti notat idem Quienus Tom. cit. pag. 289. Cui adde, ſi placet, eundem Georgium idcirco non fuiſse ſimul cum Sergio a Papa Joanne depoſitum, ſed declaratum dumtaxat *falſi nominis Epiſcopum*, quia nempe jam ordinatus a S. Ignatio cujuſdam alterius loci Epiſcopus, ad Bulgaros poſt Agathonem advenerat: adeoque Bulgarorum quidem Eccleſiam regebat, ſicuti eam Epiſcopi Paulus & Formoſus aliquandiu curaverant; non tamen ad titulum certæ Bulgaricæ urbis conſecratus ita fuerat, quemadmodum ipſe Sergium Belogradenſem in Bulgaria Antiſtitem creavit. Hinc Joannes Papa de Sergio quidem ſubjungit: „ quod tam vobis, quam veſtræ omnium generalitati canonice patefacimus, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur; ne, quod non optamus, ſimili cum eis pœna teneantur aſtricti „: De Georgio vero nihil aliud adjungit, niſi quod illum *falſi nominis Epiſcopum*, ideſt, falſo eam Diœceſim ſibi uſurpantem, declarat.

VII. Catalogus Archiepiſcoporum Bulgariæ a Græco Schiſmatico Auctore concinnatus, apud Cangium & Quienum.

Ceterum Cangius in Familiis Auguſtis Byzantinis Cap. 28. de ſtemmate Comnenorum p. 174. ex Cod. MSS. Bibliothecæ Regiæ ſign. 2423. Quienus quoque ex eodem Cod. Regio, an ex altero ſign. 1004. Archiepiſcoporum Bulgariæ ſeriem recenſentes, primo loco enumerant *Protogenem Sardicæ Archiepiſcopum*, per quem, ut ibi legitur, Sancti Patres, Nicæni nempe, „ Philoſophum qui ſancto Spiritui detrahebat, confutaverunt; „ ut fertur (*a*) in Geſtis ejuſdem primæ Synodi „. Tum vero nulla facta *Silveſtri*, *Theophylacti*, *Gabrielis* aut *Georgii* men-

a Uti habetur in Actis Nicænæ Synodi a Gelaſio Cyziceno conſcriptis lib. 2. cap. 10.

mentione, ſtatim Auctor Græcus ejus Indicis ſubjicit: *Μεθόδιος ὁ αὐτάδελφος τοῦ ἁγίου Κυρίλλου τοῦ φιλοσόφου, χειροτονηθεὶς παρὰ Νικολάου πάπα τοῦ μετὰ Ἀδριανὸν ἐν Ῥώμῃ, Μορύξου* (lego (*a*) *Μοράβου*, vel potius *Μοράβων*) *τῆς παννονίας ἀρχιεπίσκοπος*: „ Methodius germanus S. Cyrilli Philoſophi frater, qui a Ni- „ colao Papa Hadriani ſucceſſore (*imo deceſſore*) Romæ or- „ dinatus eſt Moryxi (*Moraviæ ſeu Moravorum*) in Panno- „ nia Epiſcopus „. Poſt Methodium in Indice tertius numeratur, *Γοράσδος χειροτονηθεὶς παρὰ Μεθοδίου, εἶθ' ὕστερον ἐκδιωχθεὶς παρὰ τῶν πνευματομάχων* „ Goraſdus ordinatus a Metho- „ dio, exagitatus ſubinde a Spiritus Sancti impugnatoribus „. Poſt Goraſdum quartus ſubjungitur, *Κλήμης γενόμενος ἐπίσκοπος τιβεριουπόλεως*, (*b*) *ἤτοι βελίκης, ὕστερον δὲ ἐπιτραπεὶς παρὰ Βορίσου Βασιλέως ἐφορᾷν καὶ τὸ τρίτον μέρος τῆς Βουλγαρικῆς Βασιλείας, ἤγουν ἀπὸ Θεσσαλονίκης μέχρι Ἱεριχῶ, καὶ Βαννίνων, ἤτοι Σηπιάτου*: „ Clemens, Epiſcopus primum Tiberiopolis, „ ſeu Belices, cui Boriſes Bulgarorum Rex conceſſit tertiam „ Regni ſui partem curare, ideſt a Theſſalonica ad Hiericho „ & Bannina ſive Sepiati regionem „. Quintus ſuccedit, *Δαμιανὸς ἐν Δωροστόλῳ, τῇ νῦν δρίστᾳ, ἐφ' οὗ καὶ ἡ Βουλγαρία τετίμηται, αὐτοκέφαλος. οὗτος πατριάρχης ἀνηγορεύθη παρὰ τῆς Βασιλικῆς συγκλήτου, κελεύσει τοῦ Βασιλέως Ῥωμανοῦ τοῦ λακαπηνοῦ, ὕστερον δὲ καθῃρέθη παρὰ τοῦ Ἰωάννου τοῦ Τζιμισκῆ*: „ Damianus „ Doroſtoli ſedens, quæ nunc Driſta dicitur; quo Eccleſiam „ adminiſtrante, Bulgaria Autocephaliæ honore decorata eſt. „ Hic Patriarcha renunciatus fuit ab Imperiali Senatu, juſſu „ Imperatoris Romani Lacapeni: ſubinde vero a Joanne Tze- „ miſce deſtitutus eſt „. Sequitur ſextus, *Γερμανὸς, ὁ καὶ Γαβριὴλ, ἐν Βοδίνοις, καὶ ἐν τῇ πρέσπῃ*, „ Germanus, qui & „ Gabriel, Bodinis & Preſpæ ſedens „. Septimus: *Φίλιππος ἐν λυχνίδῃ προσαγορευομένῃ, νῦν δὲ Ἀχρίδῃ*, *Philippus, qui Lychnidæ ſedit, quæ nunc Achrida dicitur*. Reliqui novem, videlicet, *Joannes*, *Leo*, *Theodorus*, *Joannes*, *Theophylactus*, *Leo*, *Michael* qui & *Maximus*, & *Joannes* Monachus

---

a Verba hæc ſunt Quieni t. 2. pag. 289. At apud Cangium loc. cit. *Βοράβου τῆς παννονίας*, *Borabi Pannoniæ*.

b *Τιμεριουπόλεως*, & *Βορίου*, & *καὶ Καννίνων, ἤτοι σηπιάτου*. Apud Cangium loc. cit.

chus *Comnenus*, qui in sæculo Adrianus dicebatur, filius Isaacii Comneni, fratris Alexii Comneni Imperatoris.

VIII. Methodius in numero Archiepiscoporum Bulgariæ perperam collocatur. Item *Gorasdus* ab ipso Methodio ordinatus, non recte dicitur.

Ex hoc Indice patet, primum Bulgarorum Archiepiscopum juxta mentem hujus Græci Auctoris, qui circa annum 1100. scribebat, fuisse *Methodium*, a Romano Pontifice ordinatum *Moravorum in Pannonia Episcopum*: quod tamen stare nequit: nam Bulgari quidem, ut supra dixi, Christianæ fidei rudimenta a Methodio acceperunt: at vero Methodius (*a*) dum in Bulgariam venit, Episcopus omnino non erat. Sed neque postea ad Bulgaros missus fuit Episcopus, verum ad Moravos, uti ex epistolis Joannis Papæ colligitur. De *Gorasdo*, qui in Indice a Methodio Bulgariæ Episcopus ordinatus dicitur, hæc habet Quienus loc. cit. „ In Indice Conradus tertius numeratur, qui Bulgaris ordinatus a Methodio, exagitatus „ subinde fuit a Spiritus Sancti impugnatoribus. Qui sint illi „ Spiritus Sancti Impugnatores, a quibus in fugam actus sit „ Conradus, non statim capio. Non certe Latinos innuit „ Græcus Scriptor, qui Spiritum Sanctum a Patre Filioque pro„ cedere sentirent, sed quorum intererat Conrado suppetias „ adversus Byzantinos dare. Pene dixero Conradum alium non „ fuisse a Silvestro, quem ab Hadriano Papa II. Bulgaris da„ tum Archiepiscopum dixi: qui proinde, quod illis sæculis „ insolitum apud nostros non erat, binominis fuerit. Plane „ Conradi nomen Teutonicum est, atque adeo Latini ritus „ Præsulem indicat. Quamobrem illi Spiritus Sancti impugna„ tores, a quibus Conradus exagitatus est, ipsimet Schismatici „ Græci fuerunt, quibus displiceret, Spiritus prædicari a Pa„ tre & Filio processionem. At vero Allatius exercitatione 15. „ in Creyghtonum, auctorem vitæ Clementis, de quo mox di„ cemus, schismati deditissimum hominem appellat, qui nar„ ret, *Corasdum* sive *Conradum*, quem Bulgaris Methodius „ præfecerit, a Sede Episcopali expulsum fuisse; Welchinium „ autem, seu Welchinum Presbyterum, qui a Sphendoplecto „ gentis principe ad Joannem VIII. missus, ab eodemque Ni„ tren-

a Quienus T. 2. p. 289. „ Bulgari prima fidei Christianæ rudimenta a S. Cyrillo „ Philosopho acceperunt, quin etiam ab ejus germano fratre S. Methodio, qui re„ lictis Bulgaris, quos Photius sibi vindicabat, ad Moravos edocendos transie„ runt.

„ trensis Ecclesiæ consecratus Episcopus, Bulgariam repetie-
„ rat, ad eandem Sedem ascendisse.

IX. *Post Agathonem, primus Bulgarorũ Episcopus Græcus Schismaticos Gorasdus qui & Georgius. Secundus Clemens: tum reliqui in Catalogo enumerati. Quandonam Autocephalia Episcopis Bulgarorum concessa?*

Verum auctor Græcus tam de Bulgaricæ Ecclesiæ, quam de Moravicæ primordiis se omnino imperitum ostendit, aut potius Schismatico furore percitus, Methodium Romanæ Sedi addictissimum, ad factionem Photianam per summum mendacium trahere conatur; nec est, cur Quienus Æthiopem dealbare contendat. Sicut enim is in Methodio errat, quum eum Bulgarorum primum Episcopum affirmat; ita etiam in *Gorasdo* dupliciter errat, dum nempe & *Gorasdum* a Methodio ordinatum Bulgariæ Episcopum, & a Pneumatomachis, *Wichinum* pro Gorasdo Antistitem suscipientibus, exagitatum comminiscitur. Nimirum Schismaticus iste Latinos per summam injuriam vocat Pneumatomachos; quumque Sanctos Cyrillum ac Methodium celeberrimi nominis apud Slavos esse non ignoraret, illos Photianis adjungere volens, fabulatur Episcopum a Methodio ordinatum Gorasdum, qui non alius certe fuit, nisi ille Schismaticus Photianus, a Joanne Papa *Georgius* appellatus, quem proinde queritur a Wichino, legitimo scilicet Nitrensi Antistite, expulsum. Hic genuinus est eorum verborum sensus, quæ ex mss. Indice Antistitum Bulgariæ Quienus exscripsit: quemadmodum ex Græca Clementis Bulgarorum Episcopi vita patet. Vanus est autem ejusdem Quieni labor, dum *Gorasdum* Græcum hominem in *Conradum* Teutonicum commutare, & Pneumatomachos a Græco auctore appellatos, ad Græcos ipsos Schismaticos traducere conatur. Primus igitur Episcopus seu Archiepiscopus Bulgarorum *Theophylactus*, sive potius *Agathon* (uti supra dixi) fuit. Secundus *Gorasdus* sive *Georgius*. Tertius (quantum ex Indice Græco mss. colligitur) censendus est *Clemens*, *Tiberiopoli* sive *Belice* sedens. Nimirum, Bulgarorum Principes (ut recte observat Quienus p. 291.) nullam hactenus certam civitatem designarant, quæ Archiepiscopi suæ gentis sedes esset. Est autem *Tiberiopolis*, *Stromizza*, *Stramnitza*, *Strumnitza*, nunc *Varna* dicta, urbs Mœsiæ inferioris, & postea Bulgariæ, prope ostia fluvii Zyræ in Pontum Euxinum, Metropoleos demum titulo ornata, sub *Primæ Justinianæ Achridarum totiusque Bulgariæ Archiepiscopo*: quemadmodum Quienus tradit pag. 283. qui tamen, meo judi-

cio, fallitur, dum Autocephaliam Bulgarico Antistiti datam censet sub Leone Sapiente, his verbis: „ Hic vero Bulgarorum primarius Antistes Constantinopolitanæ quidem Sedi (Romanis Pontificibus frustra reclamantibus) obnoxius primum „ fuit; subinde autem αὐτοκέφαλος „ suive juris evasit, quum „ Bulgarorum principibus, qui perpetuis bellis Græcos lacessebant, non arrideret Ecclesiarum suarum negotia apud Byzantinos tractari. Id quod Leone Sapiente, Basilii Macedonis filio, Imperatore contigisse reor, qui quum Turcos & „ infideles alios populos in Bulgarorum gentem concitasset, „ in causa fuit, ut Bulgari inito consilio ad Romanos Pontifices concesserint „. Verum quidem est, Bulgaros sub Leone Sapiente tum in rebus politicis, tum in Ecclesiasticis a Græcis defecisse, & ad Romanam Sedem, a qua per Græcorum fraudem desciverant, rediisse: id enim ante Quienum Cl. Leo Allatius observarat exercit. xv. adversus Creyghtonum, sic scribens pag. 257. „ Tradunt (*a*) historiæ, sub Leone Macedonis filio & Formoso Pontifice, quum bello per plures „ annos *Bulgari* lacesserentur, vinculum inter eos & Græcos „ dissolvisse, & sublata spirituali præfectura, quam Græci sibi „ in ea provincia vindicaverant, Romanæ Ecclesiæ se rursum „ sponte subjecisse „. At falsum omnino, Bulgarorum Archiepiscopum subinde αὐτοκέφαλον, *suive juris* evasisse: nam sicuti ab ann. 870. quo a Græcis missus est in Bulgariam Episcopus, Latinis exinde ejectis, Constantinopolitanæ Sedi is obnoxius fuerat; ita Bulgaris adversus Græcorum Imperatorem bellum conferentibus, pulso *Gorasdo* sive *Gergio* sibi a Græcis dato Antistite, Romanæ Sedi sese subjecerunt. Quandonam igitur *Autocephalia* Bulgaris concessa? Nimirum, eodem anno 927. quo mortuo die 27. Maji Simeone, Petrus ejus filius Bulgariæ Rex firmatis cum Romano Lacapeno & pacis & nuptiarum (*b*) foede-

a Sub Simeone scil. Bladimiri Bulgariæ Regis filio, qui Michaeli Borisi successit, bellumque cum Græcis ab anno 888. usque ad annum fere 922. gessit, nunc pactis, nunc ruptis induciis: uti Cangius in Familiis Dalmaticis cap. 6. num. 20. a pagin. 382. narrat.

b Cangios famil. Dalmat. cap. 6. n. xxi. p. 383. Petrus Bulgariæ Rex, Simeonis f. statim atque diadema excepit, Turcis, Serviis, Croatis, vicinisque aliis populis, qui superstite Simeone, intra fines suos sese continuerant, bellum undique minitantibus, quo iis terrorem incuteret, comparato valido exercitu, in potentiores hostes Græcos

deribus, Mariam ex Christophoro Romani filio neptim die VIII. Octobris in uxorem Constantinopoli duxit. Tum vero, ut Græci Bulgaros sibi magis demererentur, Bulgarorum Archiepiscopo *Damiano* αὐτοκεφαλίαν a Sede Constantinopolitana concessam confirmarunt, a cujus deinceps ordinatione minime penderet. Id quod disertis verbis narrat auctor Græcus laudati Indicis Archiepiscoporum Bulgariæ in *Damiano Clementis successore*, cujus verba supra recitavi.

X. Quid de Gorasdo & Clemente Bulgariæ Episcopis, auctor Schismaticus in vita ipsius Clementis effutiat?

Hinc, si auctori vitæ *Clementis* Bulgariæ Archiepiscopi fides est adjungenda, quum *Gorasdus* a Wichino Episcopo e Bulgaria seu potius e Moravia ejectus dicatur, quumque Wichinus anno 880. a Joanne VIII. Papa ordinatus Episcopus in Moraviam missus sit, uti ex ejusdem Papæ epistola 247. liquet; Gorasdus e Moravia in Bulgariam ejectus fuerit oportet paulo post annum 880. & Clemens in Bulgaria decesserit necesse est ante annum 886. quo anno, mense Martio decessit Basilius Macedo Imperator. Id enim suadet ætas *Wichini* Præsulis & *Sphendoplecti* sive *Sventopulchi* Moraviæ Ducis, a quibus auctor Græcus vitæ Clementis Episcopi, (qui Gorasdo successisse perhibetur,) e Bulgaria (rectius e Moravia) ejectum Gorasdum narrat, his verbis apud Cl. Allatium exercit. xv. in Creyghtonum pag. 260. „ Erat autem ὁ Βορίλας Borilas (a) „ hic sanæ alioqui mentis compos, & ad bonum admodum „ perfacilis, sub quo gens Bulgarorum sacro lavacro ablui, & „ Christiano vitæ genere vitam traducere cœpit. Quum & „ Sancti Cyrillus atque Methodius multitudinem Christiano- „ rum cernentes, & ut multi Dei filii per Spiritum & aquam „ nascerentur, qui omnino spiritali cibo indigebant, litera- „ rum notas (*Slavonicas scil.*) comperere, ut jam diximus, & „ sa-

eos parata susceptaque expeditione, in Macedoniam descendit. Sed audito, Imperatorem Romanum Lacapenum in se cum copiis proficisci, habito cum suis consilio, Græcis, pace iis proposita, sibi conciliare, hancque nuptiarum fœdere firmare constituit. Qua quidem per Monachos primo, tum per utriusque gentis proceres composita, Petrus Constantinopolim venit, & a Romano Lacapeno perhonorifice exceptus, Mariam ex Christophoro Cæsaris filio neptim in uxorem duxit. Nuptiæ magno apparatu celebratæ VIII. Octobris die Ind. XV. (leg. I.) anno 932. (*imo* 927.) in Pegana Deiparæ Ecclesia, sacra faciente Patriarcha Stephano: cui quidem novæ sponsæ tum Irenes nomen impositum tradit Liuthprandus, quod per eam inter Bulgaros & Græcos pax sit firmissima constituta. Vide Pagium ad ann. 927. num. 6. & 7.

a Oscitanter Græcus auctor *Bogorim*, primum Bulgarorum Principem Christianum, appellat *Borilam*.

„ sacrorum librorum interpretationem in linguam Bulgaricam „ moliti sunt: ut natis Dei filiis divinum alimentum abunde „ suppeteret, & in augmentum spirituale, & mensuram integræ validæque Christi ætatis excrescerent; & hoc pacto a „ Scythicis erroribus vindicata Bulgarorum natio, veram & „ infallibilem viam, Christum, apprehenderet: tarde qui- „ dem, & circa undecimam, aut duodecimam in divinam „ vineam ingressi illius, qui eos accersiverat: Anno siquidem „ sex millesimo (*a*) trecentesimo septuagesimo septimo ab „ orbe condito, nationis illius vocatio effecta est „. & infra Bulgarorum a Græcis ad Latinos transitum commemorans: „ At hæreticorum (*b*) cohors (*inquit*) vi sermonis & veri- „ tate superatum τὸν σφενδόπλεκτον Sphendoplectum, qui post „ Rasisthlavum regnum obtinuit, fraudibus seductum, vi- „ rum incultum atque barbaris moribus, nec rei laudabilis „ capacem, totum in propriam opinionem traxerunt. Et quid „ aliud facturus erat ille muliebrium voluptatum mancipium, „ & execrandarum actionum cœno convolutus? illorum potius adhærescit sententiæ, qui fores illi ad omne nefas ape- „ riunt, quam Methodio omnis voluptatis virus animo no- „ xium exagitanti. Quod enim Eunomius ille, Anomæorum „ hæresis primus inventor, ad alliciendos ad se plures discipu- „ los; hoc ipsum & stolidorum Francorum gens adinvenit, pec- „ catoribus scilicet omnia permittere „. Addit multa, Latinos objurgans: & quum Wichinus, quem ipse τὸν Βιχνικὸν *Vichnicum* appellat, a Sphendoplecto ad Joannem Papam directus, consecratus ab eodem Nitrensis Episcopus rediisset, partes Latinorum sustinens; Græcorum Sacerdotes ait extra Bulgariæ fines, atque in his Gorasdum, fuisse ejectos. „ Hunc quidem „ (*nempe Gorasdum quem Methodii discipulum perperam* „ *vocat*) Episcopali dignitate spoliant; Vichnicum vero quem- „ dam, hæreseos temulentia debacchantem, & alios quoque „ in eandem ebrietatem allicere idoneum, proptereaque ana- „ themate subactum Satanæque traditum una simul cum aliis „ ejus-

a Hic annus ab orbe condito 6377. respondet anno Chr. 869. qui est manifestus hujus Græci auctoris error: nam Bulgari, ut supra est ostensum, unacum Rege Bogorí baptizati sunt anno 865. & anno sequenti Legati ejusdem Regis ad Papam Nicolaum Romam sunt missi.

b Ita vocat Latinos Schismaticus Græcus.

„ ejuſdem factionis inſanientibus: hunc (o labores & certamina Methodii, & Trinitas in proprietatibus confuſa!) in Sedem promovent: quinimo Sedem per hunc ipſum deponunt, quæ quanto, Methodii cauſa, glorioſior erat, & aliis illuſtrior, tanto, Vichnici cauſa, in dignitatis convalle declinatur „. Piget alia referre, quæ inſanus Schiſmaticus contra Latinos congerit.

XI. Svatoplucus Moraviæ Rex a Methodio primum excommunicatus, deinde abſolutus. Methodius a Jo: VIII. Papa Archiepiſcopus Moraviæ creatur, eique Wichinus Epiſcopus ſubjicitur: facultas inſuper conceditur, Slavico ſermone in ſacris celebrandis utendi. Joannis Papæ hac de re Literæ.

Porro Sphendoplectus ſeu potius Svatoplucus Moravorum Rex, quem Græcus auctor execrandarum actionum cœno involutum ait, primum quidem poſt Raſtislai patrui dejectionem (quæ anno 870. contigit) ſtatim ac ipſe inauguratus eſt, Methodium exagitans, doctrinam ejus vanam eſſe unacum impiis ſuis miniſtris aſſerebat, & eos quos is ad viam veritatis evocaverat, exterminare laborabat. Quapropter Methodius in Svatoplucum excommunicationis ſententiam pronunciavit. Poſtea tamen pœnitentia ductus, & a Methodio abſolutus, uti in Actis SS. Cyrilli ac Methodii legitur, eundem Sanctum Slavorum Apoſtolum, ad Joannem Papam direxit, tum ut is ſeſe apud Pontificem purgaret, propter invectas in ſacram Liturgiam divinunque officium, loco Latinæ Linguæ, Slavonicas literas; tum etiam, ut Vichinum Presbyterum, ſicuti ipſe Svatopulcus poſtulabat, ordinari a Pontifice Epiſcopum curaret. Id factum anno 880. conſtat ex epiſtola Joannis Papæ VIII. ordine 247. data *menſe Junio Indict.* XIII., hoc eſt, anno 880. *Sfentopulcro* (*a*) *glorioſo Comiti*: in qua Summus Pontifex gratulatur de ejus & ſubditorum illius obſervantia erga Sedem Apoſtolicam: recipit eos in fidem ſuam: oſtendit Methodium Archiepiſcopum orthodoxam fidem fuiſſe profeſſum, cujus jura & privilegia confirmat, eumque ad eos regendos mittit: Nitrenſis Eccleſiæ Epiſcopum Wichinum conſecratum ſignificat,

a Hanſizius Tom. I. Germ. Sacr. p. 165. Quidquid ſit, innoxium ſeſe & integrum Methodius probavit, ſeque moremque ſuum & profeſſione vindicavit ſua, & favore cum primis Sventibaldi, in quo præter egregiam potentiæ famam & Eccleſiæ Slavicæ inſtaurandæ curam, ſpes etiam erat Eccleſiæ Romanæ contra Italiæ Tyrannos nonnulla ſita. Metus etiam ſuberat, ne ſtudiis fruſtratus ſuis, ſequiora ſumeret conſilia; ni & Romanæ Sedis obedientia penitus abjecta, tranſitionem faceret ad Græcos. Peculiaribus igitur indultis confovendus erat Principis ferocis animus, & herbeſcens in gente barbara religio gratiarum rore nutrienda. His reor cauſis adducti Pontifices novationem illam Eccleſiaſticæ poteſtatis in Moravia & Pannonia ſunt paſſi vileſcere cum Eccleſiæ Pataviensis diminutione non modica. Quo ſtatu res uſque ad Arnulfum manſere. Hæc Hanſizius.

cat, & alium ad se vult mitti, quem alii Ecclesiæ præficiat: jubet omnes ipsi Archiepiscopo obedire. Concedit denique, ut divina officia Sclavonica lingua recitari possint, dummodo Evangelium Latina prius recitetur. „ Industriæ tuæ notum „ esse volumus, quoniam confratre nostro Methodio Reve- „ rendissimo Archiepiscopo Sanctæ Ecclesiæ Moravensis, una „ cum Semiüsmo fideli tuo, ad Limina Sanctorum Apostolo- „ rum Petri & Pauli, nostramque Pontificalem præsentiam ve- „ niente, atque sermone lucifluo referente, didicimus tuæ „ devotionis sinceritatem, & totius populi tui desiderium; „ quod circa Sedem Apostolicam & nostram Paternitatem ha- „ betis. Nam, divina gratia inspirante, contemptis aliis sæcu- „ li hujus Principibus (*a*), Beatum Petrum Apostolici ordi- „ nis Principem, Vicariumque illius habere patronum & in „ omnibus adjutorem ac defensorem, pariter cum nobilibus „ viris fidelibus tuis, & cum omni populo terræ tuæ, amore „ fidelissimo elegisti, & usque ad finem sub ipsius & Vicarii „ ejus defensione colla summittens, pio affectu cupis, auxi- „ liante Domino, utpote filius devotissimus, permanere. „ Pro qua scilicet tanta fide ac devotione tua & populi tui, „ Apostolatus nostri ulnis extensis, te quasi unicum filium amo- „ re ingenti amplectimur, & cum omnibus fidelibus tuis Pa- „ ternitatis nostræ gremio, veluti oves Domini nobis commis- „ sas, recipimus, vitæque pabulo clementer nutrire optamus, „ atque nostris assiduis precibus omnipotenti te Domino com- „ mendare studemus; quatenus Sanctorum Apostolorum suffra- „ gantibus meritis, & in hoc sæculo adversa omnia superare, „ & in cælesti postmodum regione cum Christo Deo nostro va- „ leas triumphare. Igitur hunc Methodium (*b*) Venerabi- „ lem Archiepiscopum vestrum interrogavimus coram positis „ fratribus nostris Episcopis, si orthodoxæ Fidei Symbolum ita „ crederet, & inter sacra Missarum solemnia caneret, sicuti „ San-

a Græcorum scilicet Imperatoris, & Bulgarorum Regis.

b Methodium Joannes Papa anno antecedente, hoc est 879. Romam evocaverat, ut de ejus doctrina cognosceret; Missas etiam Slavonica lingua ab eo celebrari, prohibuerat: ut constat ex epistolis 194. & 195. datis 18. *Kal. Jul. Ind.* XII. Itaque quum is Romam venisset, deque orthodoxa ejus doctrina Pontifex certior factus fuisset, hanc ad Sventopulcum Moraviæ Principem scribit Epistolam, qua Methodium laudat, eique permittit, Missas & divina officia Slavonice celebrare.

„ Sanctam Romanam Ecclesiam tenere, & in Sanctis sex venerabilibus Synodis a Sanctis Patribus, secundum Evangelicam Christi Dei nostri auctoritatem, promulgatum atque traditum constat. Ille autem professus est, se juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, sicuti Sancta Romana Ecclesia docet, & a Patribus traditum est, tenere & psallere. Nos autem illum in omnibus Ecclesiasticis doctrinis & utilitatibus orthodoxum & proficuum esse reperientes; vobis iterum ad regendam commissam sibi Ecclesiam Dei remisimus, quem veluti Pastorem proprium ut digno honore & reverentia, lætaque mente recipiatis, jubemus: quia nostræ Apostolicæ auctoritatis præcepto, Archiepiscopatus ei privilegium confirmavimus, & in perpetuum, Deo juvante, firmum manere statuimus, sicuti Antecessorum nostrorum auctoritate, omnium Ecclesiarum Dei jura & privilegia statuta & firmata consistunt; ita sane, ut juxta Canonicam traditionem, omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam habeat ipse, & ea, velut Deo contemplante, dispenset. Nam populus Domini illi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus erit rationem. Ipsum quoque Presbyterum Wichinum, quem nobis direxisti, electum Episcopum consecravimus Sanctæ Ecclesiæ Nitrensis, quem suo Archiepiscopo in omnibus obedientem, sicuti Sancti Canones docent, esse jubemus: & volumus, ut pariter cum ipsius Archiepiscopi consensu & providentia, alterum nobis apto tempore utilem Presbyterum vel Diaconum dirigas, quem similiter in alia Ecclesia, in qua Episcopalem (a) Sedem noveris esse necessariam, ordinemus Episcopum, ut cum his duobus a nobis ordinatis Episcopis præfatus Archiepiscopus vester, juxta decretum Apostolicum, per alia loca, in quibus Episcopi honorifice debent & possunt existere, postmodum valeat ordinare. Presbyteros vero, Diaconos, seu cujuscumque Ordinis Clericos, sive Sclavos, sive cujuslibet gentis, qui intra provinciæ tuæ fines consistunt, præcipimus esse subjectos & obedientes in omnibus jam dicto confratri nostro Archiepiscopo vestro, ut nihil omnino præter ejus conscientiam agant. Quod si contumaces & inobedientes existen-

„ tes,

a *Vestram*.

„ tes, ſcandalum aliquod, aut ſchiſma facere præſumpſerint, „ & poſt primam & ſecundam admonitionem ſe minime correxerint, quaſi zizaniorum ſeminatores ab Eccleſiis & finibus veſtris, auctoritate noſtra, præcipimus eſſe procul abjiciendos, ſecundum auctoritatem capitulorum, quæ illi dedimus, „ & vobis direximus. Literas denique Sclavonicas a Conſtantino quodam (*a*) Philoſopho repertas, quibus Deo laudes „ debite reſonent, jure laudamus; & in eadem lingua Chriſti Domini noſtri præconia & opera ut enarrentur, jubemus. „ Neque enim (*b*) tribus tantum, ſed omnibus linguis Dominum laudare, auctoritate ſacra monemur, quæ præcipit, „ dicens: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate „ eum omnes populi. Et Apoſtoli repleti Spiritu Sancto locuti ſunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc & Paulus „ cœleſtis quoque tuba inſonat, monens: Omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei „ Patris. De quibus etiam linguis in prima ad Corinthios Epiſtola ſatis & manifeſte nos admonet; quatenus linguis loquentes, Eccleſiam Dei ædificemus. Nec ſane fidei, vel doctrinæ aliquid obſtat, ſive Miſſas in eadem Sclavonica lingua „ canere, ſive ſacrum Evangelium, vel Lectiones divinas novi & veteris Teſtamenti bene tranſlatas & interpretatas legere, aut alia horum officia omnia pſallere: quoniam qui fecit „ tres linguas principales, Hebræam, ſcilicet, Græcam, & „ Latinam, ipſe creavit & alias omnes ad laudem & gloriam „ ſuam. Jubemus tamen, ut in omnibus Eccleſiis terræ veſtræ „ propter majorem honorificentiam Evangelium Latine legatur, & poſtmodum Sclavonica lingua tranſlatum in auribus „ populi Latina verba non intelligentis annuncietur; ſicut in „ quibuſdam Eccleſiis fieri videtur; &, ſi tibi, & judicibus tuis

a *Quodam*. Pagius ad ann. 880. num. 6. Certum eſſe debet, pro *Conſtantino quodam Philoſopho*, legendum eſſe *Conſtantino quondam Philoſopho*, quia amanuenſes lineolas breviationis cauſa ponendas non raro omiſerunt. Cyrillum autem ſive Conſtantinum, hoc anno 880. in vivis non fuiſſe, colligitur ex hac ipſa Joannis Papæ Epiſtola; Quid enim præter Wichinum neceſſe fuiſſet tertium ordinari Epiſcopum, cum quo Methodius conſecrare poſſet, ſi in vivis fuiſſet Conſtantinus ſive Cyrillus? non ne ipſum conſecraſſet Pontifex? At Henſchenius dum ait: „ Si in vivis fuiſſet Conſtantinus ſive „ Cyrillus qui ſenior Archiepiſcopus erat „: fallitur, ut ſupra eſt demonſtratum, Cyrillus enim non fuit Epiſcopus, ſed Romæ jam obierat in monachico inſtituto.

b Ideſt, Hebraica, Græca, & Latina.

„ tuis placet, Missas Latina lingua magis audire, præcipimus,
„ ut Latine Missarum tibi solemnia celebrentur.

XII. Ex Joannis Papæ Epistolis convincitur mendacii Auctor Græcus Vitæ Clementis Episcopi Bulgariæ, qui Methodium ad Græcorum Schisma pertrahere, & Latinos erroris arguere satagit.

Ex hac Joannis Papæ Epistola colligitur, quàm mendaciter auctor Græcus asserat, Latinos a doctrina Methodii abhorruisse, eundemque Methodium Græcanicis potius erroribus, quàm disseminandæ Romanæ Orthodoxæ fidei operam impendisse. Colligitur etiam, paulo post annum 880. Schismaticos Græcos, Gorasdum pseudo-Episcopum ejusque Sacerdotes, ab Orthodoxa, quam Methodius Archiepiscopus Vvichinusque Episcopus profitebantur atque prædicabant doctrina deficientes, eorumdem Antistitum cura jussuque Sventopulchi Ducis è Moravia fuisse ejectos, juxta illud Joannis Papæ monitum: „ Presbyteros, Diaconos, seu cujuscumque ordinis Clericos, sive Sclavos, sive cujuslibet gentis, qui intra provinciæ tuæ fines consistunt, præcipimus esse subjectos & obedientes in omnibus jamdicto confratri nostro Archiepiscopo vestro, ut nihil omnino præter ejus conscientiam agant. Quod si contumaces & inobedientes existentes, scandalum aliquod aut Schisma facere præsumpserint... ab Ecclesiis & finibus vestris, auctoritate nostra, præcipimus esse procul abjiciendos „. Quare nugatur insanus iste Græculus, dum, ejecto e Moravia Schismatico Gorasdo, exclamat, *o labores & certamina Methodii, & Trinitas in proprietatibus confusa!* perinde ac si Methodius pro Græcorum Schismate stetisset, qui Schismaticos potius Græcos e finibus Moraviæ abjiciendos curaverat, & quasi Trinitas a Latinis Spiritum Sanctum ex Patre Filioque tamquam ab uno principio procedere asserentibus, in proprietatibus confunderetur, quam potius Græci Schismatici confundebant, dum Spiritus Sancti processionem a Filio negantes, eundem Sanctum Spiritum consequenter a Filio minime distinguerent, uti recte a Theologis demonstratur.

XIII. Bulgariæ Reges a Græcis ad Romanam Ecclesiam confugiunt. Eorum series. De Clemente, Damiano, Davide & aliis Bulgarorum Episcopis.

Quod autem *Clemens*, Gorasdi successor, ante ann. 886. sive ante obitum Basilii Macedonis, in Bulgaria, ubi sedebat Græcorum Schismaticus Præsul, in vivis esse desierit, aut saltem inde a Bulgaris ejectus fuerit, intelligitur ex iis, quæ supra indicavi de Bulgaris sub Leone Basilii filio a Græcorum amicitia deficientibus, Romanæque Ecclesiæ toto tempore, quo Simeon Bulgarorum Rex vixit, sese rursum sponte submittentibus. Nam

Clementem quidem Schismaticum fuisse, ex ejus vita constat, quam ex Græco Vat. MSS. Codice 1409. a fol. 348. pag. 2. legere est. Bulgaros vero sub Simeone Bulgariæ Rege a Græcis defecisse, & ad Sanctam Romanam Ecclesiam rediisse, observat Quienus Tom. 2. Orient. Christ. pag. 283. notatque tempus his verbis: „ Id quod Leone Sapiente (*a*) Basilii Macedo„ nis filio Imperatore contigisse reor, qui quum Turcas, & „ infideles alios populos, in Bulgarorum gentem concitasset, „ in causa fuit, ut Bulgari, inito consilio, ad Romanos Pon„ tifices concesserint, auxilii inde petendi gratia „ Joannicius quoque, sive Calo-Joannes, qui Bulgarorum Rex erat ante ann. 1198. in literis (*b*) ad Innocentium III. Papam datis anno 1202. testatur, *Petrum & Samuelem* unacum aliis aliquot antecessoribus Regibus a Romano Pontifice coronam Regni accepisse, & cum ditionibus suis Romanæ Sedi obnoxios fuisse: „ Hoc „ autem petit imperium nostrum ab Apostolica Sede, ut nos si„ mus in Ecclesia Romana sicut Matris filialitate firmati: in pri„ mis petimus ab Ecclesia Romana Matre nostra coronam & ho„ norem tamquam dilectus filius, secundum quod Imperatores „ nostri veteres habuerunt, unus fuit Petrus, alius Samuel, & „ alii, qui eos in imperio præcesserunt, sicut in libris nostris „ invenimus esse scriptum „. Idem in diplomate (*c*) de obsequio Romanæ Ecclesiæ ac Summo Pontifici exhibendo dato anno mundi 6712. Indict. 7. hoc est, anno Chr. 1204., præter Petrum & Samuelem nominat etiam Simeonem, sic inquiens „ In „ nomine Patris &c. Quum placuit Domino nostro Jesu Chri„ sto me Dominum & Imperatorem totius Bulgariæ & Blaciæ „ facere, inquisivi antiquorum nostrorum scripturas & libros, „ & beatæ memoriæ Imperatorum nostrorum prædecessorum „ leges, unde ipsi sumpserunt Regnum Bulgarorum & firmamen„ tum Imperiale coronam super caput eorum, & Patriarcha„ lem benedictionem: & diligenter perscrutantes, in eorum „ invenimus scripturis, quod beatæ memoriæ illi Imperatores „ Bulgarorum & Blacorum, Simeon, Petrus & Samuel, & „ no-

a Leo sapiens Basilio patri die 1. Martii 886. defuncto successit: imperavitque usque ad 11. Maji 911. quo obiit.
b Exstant in Regesto Epistolar. Innoc. III. PP. lib. 5. Epist. 115.
c In Gestis Innocen. III. cap. 70.

„ (*a*) nostri prædecessores, coronam imperii eorum, & Patriarchalem benedictionem acceperunt a Sanctissima Dei Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede, principe (*b*) Apostolorum Petro „. Qui hic memorantur *Simeon*, *Petrus*, & *Samuel*, subsequuti sunt *Michaëlem Borisem*, eum scilicet Bulgarorum Regem, qui post (*c*) *Presiamum* proximus eo tempore regnabat in Bulgaria, quo *Bogoris*, dictus *Michaël*, primus Rex Christianus, abdicato regno, monasticum amplexus institutum, in cœnobio Angelicam vitam ducebat. Etsi autem, *Michael Borises*, teste Græco Indicis Antistitum Bulgariæ auctore, *Clementi* Schismatico Bulgariæ Episcopo sic favit, ut ei concesserit *tertiam partem Regni sui curare, a Thessalonica scilicet, usque ad Hierico & Bannina sive Sepiati regionem*: *Simeon* tamen, qui, Borise defuncto, Regnum Bulgariæ accepit, rejecta Græcorum amicitia, ejectoque, ut videtur, Clemente Græcanicis Dogmatibus addicto Antistite, (post Basilii Imperatoris obitum, quum Leo Imperium iniisset,) & sibi coronam Regni, & Archiepiscopo, cujus nomen ignoratur, Pontificalem dignitatem, ab Apostolica Sede petiit & obtinuit: idque ipsum postea factum a Simeonis proximis successoribus *Petro* & *Samuele*, uti Calo-Joannes Bulgarorum Rex testatur. Nam *Petrus* quidem initis cum Romano Lacapeno anno 927. fœderibus, ut supra dixi, quam antea sibi & Damiano Archiepiscopo a Græcis con-

---

a Delendum, &.

b *Principis Apostolorum Petri*, seu, *et à Principe Apostolorum Petro*.

c Sub Basilio Impetatore regnarunt in Bulgaria, I. *Bogoris*, dictus *Michael*, qui post annum 879. abdicato Regno, Monachum induit: exstat enim ad ipsum Epistola Joannis VIII. Papæ ordine 192. data 18. Julii Ind. XII. hoc est anno 879. qua eum Regem appellat doletque ab Ecclesia Romana ad Græcos defecisse. II. Filius natu major, quem quum Bogoris pater ad idola rediisse comperisset, Sacro habitu deposito, & resumto militiæ cingulo, adsociatis sibi Deum timentibus, bello captum, oculisque privatum, in carcerem detrusit, filio juniore Presiamo constituto. III. *Presiamus*, quocum, & Blastimiro Serviæ principe bellum intercessit: in quo cladem passus est Presiamus, teste Porphyrogenito Admin. Imperio cap. 32. IV. *Michael Borises*, *Vorises* & *Burichius* dictus, Presiami filius: qui quum acceptam a patre cladem ulturus, filios Blastimiri aggressus esset, ab iis profligatus est, capto insuper Blastimiro filio, ac XII. Voëvodis, quos ut redimeret, pacem cum Serviis componere coactus est. Atque hi quidem quatuor Reges sub Basilio regnavere usque ad ann. 886. uti ex Porphyrog. Adm. Imper. cap. 32. colligere licet. V. *Simeon*, Vladimiri ante Bogorim regis filius, qui firmato cum Serviæ Principibus fœdere, cum Leone Imp. ann. 888. grave bellum suscepit. Cetera ejus gesta vide apud Cangium in Famil. Dalmat. cap. 6. num. 10.

firmari curaverat dignitatem, rupta postea (*a*) sub Nicephoro Phoca Imp. anno 967. pace, ad Romanæ una cum suo Archiepiscopo sinum rediit Ecclesiæ: hinc idem Damianus, tamquam a castris Græcorum deficiens, in Indice Bulgariæ Antistitum dicitur a *Joanne* (*b*) *Zimisce*, qui mense Decembri exeuntis anni 969. Nicephoro cæso Imperium inierat, *destitutus*. *Samuel* (*c*) vero, qui & *Mocrus*, deficiente Petri Regis stirpe, Bulgarico Regno suscepto, post Joannis Zimiscæ obitum, quum Basilius & Constantinus Romani junioris filii anno 976. Imperatores inaugurati essent, Romanis exercitibus adversus Sclerum occupatis, Græcorum provincias ab anno 980. infestare non destitit usque ad annum 1015. quo extinctus est. Quienus in animadversione ad Damianum, qui Clementi successisse dicitur „ Temporum ratio (inquit) minime patitur, „ ut Clementi, qui sub Basilio Macedone Bulgarorum Ecclesiæ „ præfuit, proxime successerit Damianus, qui sub Joanne „ Tzemisce sedebat, hoc est, post annos fere nonaginta ab obi- „ tu Basilii. Alios proinde intermedios omisit Auctor, qui illi „ satis comperti non erant propter frequentia bella, quibus „ Bulgari a Byzantinis dissidebant „. Ego quoque Quieno subscribo: nam inter *Clementem* & *Damianum*, idest inter annum 886. quo post Basilii obitum, Simeon Bulgariæ princeps dejecto Clemente, arma in Græcos movere cœpit, & inter

a Nicephorus sub annum Imperii IV. Chr. 967. Ind. X. quum Petrum Bulgarorum Regem, per literas esset adhortatus, ut Turcis Istrum trajicere & in Græcorum agros irrumpere molientibus obsisteret, id Petrus variis adhibitis prætextibus denegavit. Qua repulsa offensus Nicephorus, per Calocyrum Chersonesi Principis filium, Sphedoslavum Russiæ Principem, munerum officiorumque pollicitationibus, ad bellum Bulgaris inferendum sollicitavit. Russi obsecuti, sub Augustum mensem Ind. XI. in Bulgariam impressione facta, complura oppida ac castella solo adæquant, prædaque ingenti potiti, eodem modo atque etiam aliquanto durius anno proxime insecuto Bulgaros tractant: quibus in bellis capti a Russis Borises & Romanus, Petri filii. Cetera vide apud Cangium Famil. Dalmat. cap. 6. num. XXI.

b Quin potius, *sub Joanne Zimisce a Græcis destitutus*: nam Zimisces Latinis favebat, Nicephorus iis adversatus fuerat.

c De *Samuele* Rege, ejusque filio *Gabriele*, qui & *Radomirus* & *Romanus* dictus est, necnon de *Joanne Vladislao*, Aaronis Samuelis fratris filio, qui post Samuelem ab anno 1015. ad 1019. regnarunt, vide eund. Cangium num. XXIII. XXIV. & XXV. Continuum ii bellum cum Græcis gessere, donec Basilius Imperator, universa Bulgaria subacta, Costantinopolim reversus, Urbem per Auream portam, triumphantis specie, ingressus, præeuntibus Maria Joannis Uladislai Regis uxore, & filiabus, & reliquis Bulgaris, in æde Sophiana ob concessam victoriam gratias egit. id peractum anno mundi 6527. Chr. 1019. Exinde Bulgari trans Danubium in Russiam inferiorem translati, & Bulgaroctoni cognomen Basilio inditum.

inter annum circiter 970. quo Damianus a Joanne Zimiſca deſtitutus dicitur, duo ſaltem aut tres alii Archiepiſcopi in Bulgaria ſederint, neceſſe eſt, Patriarchalem (ut inquit Rex Calo-Joannes,) ſeu potius Archiepiſcopalem benedictionem a S.R.E. accipientes: quorum proinde nomina Græcus Schiſmaticus Indicis illius auctor ſilentio obruit. Nec mirum: nam idem Auctor omittit *Davidem*, qui ſub Joanne Vladiſlao Bulgariæ Rege & Baſilio Bulgaroctono Imp. Archiepiſcopus Bulgaris præerat inter annum 1015. & 1019. uti Jo: Scylitzes Curopalata pag. 91. & 92. & Cedrenus pag. 710. & 712. tradunt. Verba Cedreni accipe. „ Etenim quandiu Trymalia (*a*) & viciniores „ Serviæ partes in poteſtate Bladimiri (gener is fuit Samue- „ lis) manſerunt, hominis juſti ac pacis & virtutis ſtudioſi, „ pacatum fuerat Dyrrhachium. At poſtquam Joannes (*b*) „ Gabrielem (*c*) interfecit, deceptumque falſis juramentis „ Bladimirum, & opera Davidis Bulgarorum (*d*) Atchie- „ piſcopi ſe dedentem, paulo poſt perfide necavit, magnope- „ re Dyrrachiana res concuſſa atque perturbata eſt, quod Jo- „ annes urbem eam identidem per ductores ſuos, aliquando „ etiam præſens oppugnaret. *Et pag.* 712. Simul atque Strum- „ pitzæ Imperator appropinquavit, ad eum venit Davidus „ Bulgariæ Archiepiſcopus, cum literis Mariæ, morte (*e*) „ Joannis Viduæ, promittentis ſe, modo certa quædam po- „ ſtulata obtineret, Bulgaria ceſſuram „. Hunc *Davidem* Quienus *Germano* & *Philippo* poſtponit; *Joanni* autem atque *Leoni* præmittit. Verum quum ex Archiepiſcoporum Indice non appareat, quo anno *Germanus* & *Philippus* ſederint; quumque *Leonis*, qui Joannem excepit, ætas tum ex tribus ejus Epiſtolis de *Azymis & jejunio ſabbatorum adverſus Latinos*, ſub Mi-

a Leg. *Triballia*, uti apud Curopal. pag. 91.

b Jo: Bladiſthlabus ſeu Vladiſlaus Aaronis filius, Gabrielem Samuelis filium interfecit die 24. Octob. 1015. poſtquam is regnaſſet ann. 1. menſ. 1. dies 10. Cangius Fam. Dalm. cap. 6. num. 24.

c Græc. text. Γαβριὴλ παρὰ τοῦ Ἰωάννου ἀπώλετο, *Gabriel a Joanne caſus eſt*. Latinus Cedreni interpres pro *Gabriele*, perperam habet *Samuel*: & interpres Curopalatæ, *poſtquam Gabriel a Jo: impeditus fuit*, non recte.

d Latinus Curopalatæ interpres pag 91. „ Sed poſtquam Gabriel a Joanne impedi- „ tus fuit, & ipſe Bladimirus violato fœdere deceptus, fide habita, jurejurando a Jo: dato per Davidem principem Bulgariæ Epiſcopum ſe ipſum traduxit, & paulo poſt interfectus eſt, multum res illæ perturbatæ ſunt, &c.

e Græc. tex. Μαρίας τῆς Ἰωάννου γυναικός, *Maria Joannis uxoris*.

Michaële Cerulario editis colligatur; tum manifeste constet ex Curopalata pag. 123. & ex Cedreno (*a*) pag. 792. qui eum post obitum Constantini Monomachi sub Theodora Augusta anno 1054. interiisse scribunt: videtur post Davidem potius, quam ante illum, Bulgarorum Archiepiscopos fuisse *Germanum*, & *Philippum*: & consequenter his successisse *Joannem* Debrensis Deiparæ cœnobii Præpositum, & *Leonem*, *Ecclesiæ Cpnæ Chartophylacem*. Nam extinctis Samuele, Gabriele, & Joanne Bulgarorum Regibus, quum Basilius & Constantinus fratres Bulgaria potiti essent, vero propius est, post Davidis mortem, ceteros Bulgariæ Antistites a Byzantinis Imperatoribus fuisse institutos, Germanum, inquam, Philippum, Joannem, Leonem, Theodulum, & reliquos in Græco Indice enumeratos.

XIV. Methodius in Moraviam reversus, quemdam sibi adversantem offendit Episcopum an. 881.

Ad Methodium revertor. Hic a Joanne Pontifice unacum Vvichino consecrato Nitrensi Episcopo in Moraviam Archiepiscopus missus, literas Pontificias mense Junio anno 880. ad Sphentoplucum Principem detulit, quarum supra facta est mentio. Ibi quum Pastorale munus sedulo exequeretur, quædam sibi contigisse, per literas ad eundem Pontificem significavit, quæ ipsum valde contristarunt. Id patet ex Joannis Papæ Epistola 268. ad eundem *Methodium Archiepiscopum*, data x. *Kal. Apr. Ind.* xiv. hoc est, anno 881. qua gratulatur ei de Orthodoxæ fidei cultu, eumque consolatur, inquiens: „ Pastoralis „ sollicitudinis tuæ curam, quam in lucrandis animabus fide- „ lium, Domino Deo nostro exhibes, approbantes, & Ortho- „ doxæ fidei te cultorem strenuum existere contemplantes, ni- „ mis in eodem Domino jucundamur, & ei immensas laudes & „ gratias agere non cessamus; quia (*b*) te magis ac magis in „ suis mandatis accendat, & ad Sanctæ suæ Ecclesiæ profectum „ ab omnibus adversitatibus clementer eripiat. Verum auditis „ per tuas literas variis casibus vel eventibus tuis, quanta com- „ passione tibi condoluerimus, ex hoc advertere poteris, in „ quo te coram nobis positum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ do- „ ctrinam, juxta Sanctorum Patrum probabilem traditionem, „ sequi debere monuimus, & tam Symbolum, quam rectam „ fidem

a Cedren. pag. 792. „ Quio etiam Leone Bulgarorom Episcopo vita functo, in „ ejus locum (*Theodora*) creavit Theodulum Monachum ex Iconio, &c.

b Qui te.

„ fidem a te docendam & prædicandam subdidimus;nostrisque „ Apostolicis literis glorioso Principi Sfentopulcro, quas ei asseris fuisse delatas, hoc ipsum significavimus: & neque aliæ „ literæ nostræ ad eum directæ sunt, neque Episcopo illi palam, vel secreto aliud faciendum injunximus, & aliud a te „ peragendum decrevimus. Quanto minus credendum est, „ ut sacramentum ab eodem Episcopo exegerimus, quem saltem levi sermone super hoc negotio allocuti non fuimus. „ Ideoque cesset ista dubietas, & Deo cooperante, sicut Evangelica & Apostolica se habet doctrina, Orthodoxæ fidei cultum fidelibus cunctis inculca,ut de labore tui certaminis,Domino Jesu Christo fructum afferas abundantem; & gratia ejus „ remuneratus, mercedem recipias competentem. Ceterum „ de aliis tentationibus, quas diverso modo perpessus es, noli „ tristari: quin potius hoc, secundum Apostolum, omne „ gaudium prorsus existima. Quia si Deus pro te, nemo esse „ poterit contra te. Tamen, quum, Deo duce, reversus „ fueris, quidquid enormiter adversum te est commissum, „ quidquid jam dictus Episcopus contra suum ministerium in te „ exercuit; utramque audientiam coram nobis discussam,adjuvante Domino, legitimo fini trademus, & illius pertinaciam, judicii nostri sententia, corripere non omittemus.

XV. Quisnam ille Episcopus, Methodii adversarius? & quam ob causam?

Quisnam is Episcopus fuerit, & quid adversus S. Methodium & contra suum ipsius ministerium exercuerit, Joannes Papa non edisserit. Ex contextu tamen videtur *Wichinum* designare, aut certe *Engelmarum* Patavienfem, sive *Theotmarum* Salisburgensem Episcopos. Wichinus enim ab eodem Pontifice consecratus Episcopus, & in Moraviam anno superiore missus, aut Methodio tamquam Archiepiscopo subesse detrectarit; aut permissam Moravis a Pontifice in sacris celebrandis (juxta Methodii institutum) Slavicam linguam, quum ipse Alemannus esset, non modo non probarit, sed etiam conjuncto cum Bajoariis Episcopis studio, damnare ausus sit. Recole quæ supra cap. 3. num. XI. ex Epistolis Moguntini & Salisburgensis Archiepiscoporum ad Joannem IX. Papam datis observavi; Wichinum scilicet exNitriensi Episcopatu in Patavienfem translatum fuisse: item quæ ex Fragmento de *Conversione Bojorum* & *Carentanorum* recitavi de Ecclesiæ Juvavensis Clericis Metho-

thodium (*a*) accusantibus, quod „ noviter inventis Slavi-
„ nis literis, Linguam Latinam doctrinamque Romanam,
„ atque literas auctorabiles *Latinas Philosophice* superducens,
„ vilescere fecisset cuncto populo ex parte Missas & Evange-
„ lia, Ecclesiasticumque officium illorum, qui hoc Latine ce-
„ lebrabant „. Non a vero proinde abhorret, tam Wichinum quam Bajoarios Episcopos molestiam Methodio Archiepiscopo creasse; hos quidem, quia Archiepiscopatum apud Moravos institutum ægre ferebant; Wichinum autem, quia quum is Alemannus, non Slavus aut Græcus esset, Slavicæ linguæ præ Latina usum a Methodio Græco homine diuque inter Slavos versato, in Ecclesiasticis officiis inductum, minime probabat.

Atque hic juverit quæ Hansizius in hanc sententiam scribit, ea recitare. Sic igitur Tom.1. Germaniæ sacræ pag. 164. de Methodio habet, postquam is Romam citatus, absolutus, & in Archiepiscopatu Moravensi confirmatus esset, adjuncto suffraganeo Nitrensi Wichingo. „ Atque hisce molitionibus, quæ
„ in sese consutæ erant, discussis, Methodius velut triumpha-
„ bun-

a His addi potest, quod a Thoma Archid. Spalatensi cap. 16. in vita Laurentii Archiepiscopi narratur de Synodo in Dalmatia habita, in qua Sanctus Methodius tamquam hæreticus traducitur ob linguæ Slavicæ usum in divinis officiis invectum. Verba ejus recito ex cod. Vaticano 7019. fol. 15. pag. 2. „ Temporibus Domini Lauren-
„ tii Archiepiscopi quædam execrandi Schismatis fuit suborta contentio in Dalmatiæ
„ & Chorvatiæ Regno. Fuerat siquidem tempore Domini Alexandri Papæ & Joannis
„ decessoris Laurentii supradicti a Domino Maynardo quondam Pomposiano Abbate
„ & postea Episcopo Cardinali, quædam Synodus omnium Prælatorum Dalmatiæ &
„ Chroatiæ multum solemniter celebrata: in qua multa fuerunt conscripta Capitula.
„ Inter quæ siquidem hoc firmatum est & statutum, ut nullus de cetero in lingua
„ Sclavonica præsumeret divina mysteria celebrare, nisi tantum in Latina & Græca:
„ nec aliquis ejusdem linguæ promoveretur ad sacros: dicebant enim, Goricas lite-
„ ras a quodam Methodio hæretico fuisse repertas, qui multa contra Catholicæ fidei
„ normam in eadem Sclavonica lingua manendo conscripsit. Quam ob rem divino
„ judicio repentina dicitur morte fuisse damnatus. Denique quum hoc statutum Sy-
„ nodali fuisset sententia promulgatum, & Apostolica auctoritate firmatum, omnes Sa-
„ cerdotes Sclavorum magno sunt mœrore confecti, omnes quippe eorum Ecclesiæ
„ clausæ fuerunt: ipsi a consuetis officiis silverunt „. Joannes Archiepiscopus præfuit ab anno 1050. usque ad ann. 1059. sedentibus Victore II. Stephano IX. Nicolao II. Laurentius Archiepiscopus præfuit ab anno 1059. usque ad ann. 1099. sedentibus Nicolao II. Alexandro II. Gregorio VII. Victore III. Urbano II. Paschali II. quemadmodum scribit Farlatus Tom. 1. Illyrici sacri pag. 334. Mendum itaque aut in Catalogo Archiepiscoporum, aut in epocha ejus Synodi, quæ dicitur sub Jo: Archiep. & Papa Alexandro II. celebrata, quum in Catalogo Joannes tempora Alexandri Papæ non attigisse dicatur. Alexander quippe anno 1061. Pontificatum iniit. Gravissimus quoque error illius Synodi, in qua Sanctus Methodius pro hæretico habitus est, quum Joannes VIII. Papa Slavicæ linguæ usum ei concesserit. Sed de his postea sermo redibit.

„ bundus ad Ecclesiam suam Vvellegradensem revertit, secum adducens Episcopum Nitrensem Vvichingum; simul adversum Patavienses & quicumque eorum respectu obedientiam Methodio detrectarent, gravissimo Papæ decreto communitus. Sed nondum erant in portum res Methodii subductæ, quin statim extitere adversarii, qui molestiam viro sancto quantam exhibuerint, ipse queribundis ad laudatum Joannem (*Papam*) literis anno sequenti 881. eidem significavit. In his questus de quodam Episcopo, qui contra ministerium suum varia in se perpetraverit, authoritate Pontificis prætexta: quem Episcopum apparet alium haud esse a Vvichingo Nitrensi; id quod literæ Joannis ad Methodium consolatoriæ non obscure designant, quæ non aliud, quam negotium Romæ cum Methodio tractatum respicere videntur: ubi inficiatur Pontifex se novum quid præter ea quæ ibi mandata fuerant, constituisse: nullas ad Sventibaldum novas dedisse literas, neque aliud quid Episcopo illi secreto mandasse. Vvichingus enim cum Methodio redux forte diversam inierat Ministerii viam, seu pro lingua, ut videtur, Slavica usurpando Latinam, seu quid aliud suberat; idque authoritate Pontificis se factitare ferebat; quo Methodius in suspicionem adductus est, aliud fortasse fuisse per literas Vvichingo, clam se, mandatum „. Mox recitatis Pontificiis, quas supra exhibui, literis, subjungit pag. 165. „ Hæc ad Vvichingum spectare, illud persuadet, quod alius Episcopus præter eum in Moravia tunc non fuerit Methodii suffraganeus; præcipue quum dissidium isthoc mox ab reditu Methodii & Vvichingi contigerit. Sed eam litem seu sponte ad officium redeunte Vvichingo, seu judicio Pontificis brevi consopitam fuisse par est credere „. Demum de Vvichingo hæc addit ibidem: „ Hic est Vvichingus, qui deserta postmodum Cathedra Nitrensi, ad Arnulphum Imperatorem se contulit, factus inde Cancellarius ejusdem, & postremo Episcopus Bataviensis post Engelmarum.

Profert idem Hansizius pag. 167. & sequenti varia Arnulphi diplomata, quibus Vvichingus, tamquam Cancellarius subscribit. „ Nimirum, Primum, dat. XIV. Kal. Augusti Anno Incarn. Dom. 895. Ind. XIII. Anno VIII. Regni Domini „ Ar- XVI. Wichinus Nitrensis Episcopus, Arnulphi Imperatoris & Regis Germaniæ Cancella-

rius, & mox Pataviensis Episcopus ineunte anno 897.

„ Arnolphi piissimi Regis, Vvichinch Cancellarius ad vicem „ Deotmari Archicapellani recognovit „. Ecclesiæ Frisingensi Monasterium Mosabunch in Bajoaria Rex concedit. Alterum, *dat. Ind.* XIV. *die* IV. *Kal. Mart.* pro Monasterio S. Salvatoris in Monte Amiato, *Romæ dat.* anno 896. *Regni in Francia* IX. *in Italia* III. *Quirichengris* (leg. *Vvichingus*) *ad vicem Themari* (Theotmari) *recognovit*. „ Tertium dat. Idus Decem„ bris Anno Domini 897. Indict. I. Anno Regni Domini Re„ gis Arnolphi XI. Imperii autem III. Actum in civitate Re„ gina (*hoc est*, *Ratisbona*) quo Arnulphus Engelmaro Pata„ viensi Episcopo aream quamdam in urbe Patavia largitur „ Vvichingus Cancellarius ad vicem Theodmari recognovi „. Obiit Engelmarus die postremo anni 897. postquam Hungari ab Arnulfo contra SventibaldumMoraviæRegem conducti, provincias Diœceseos afflictare cœpissent. Itaque quum Vvichingus Arnulpho Germaniæ Regi, & postea Imperatori adhæsisset, id argumento est, & ipsum Latino sermone Missas divinumque officium semper celebrasse, & Sancto Methodio, Metropolitano suo, hanc saltem ob causam, infensum fuisse. Hinc post mortem Engelmari, viduata Pataviensi Ecclesia, locus eidem Vvichino datus est, favore Imperatoris Arnulphi, quidquid Theodmarus Juvavensis Archiepiscopus obstaret. Initium præfecturæ ejus, ab Hansizio ad annum ineuntem 898. confertur: qui pag. 166. ex catalogo Cremisanensi hæc de Vvichingo adnotata exscribit: „ Hic Laureacensem Ecclesiam pressit, vo„ lens provinciam dividere, & auxilio Sventenbaldi Regis „ Moravorum in Seclavia Metropolim suscitare „. Sventibaldus, Rasticis nepos, Moravorum Rex fuit ab anno 870. ad annum 894. quo obiit: ita enim de ejus obitu refertur in supplemento lacunæ Annalium Fuldensium ad ann. 894. „ Zuen„ tibaldus Dux Maravorum & vagina totius perfidiæ, quum „ omnes regiones sibi affines dolo & astutia perturbando, hu„ manum sanguinem sitiens, circumiret, ultimum hortando „ suos, ne pacis amatores, sed potius inimici domesticis per„ sisterent, diem ultimum clausit infeliciter „ nimirum, postquam, Carolo Crasso ob mentis inopiam Proceribus displicente, Arnulphus Regnum Germaniæ anno 887. adeptus, anno 891. bellum cum Sventibaldo resumens, per annos quatuor

signis

signis in Moravos illatis, eos demum, ope inprimis Hungarorum, anno 894. fregit, Sventibaldo cæso, aut, ut alii comminiscuntur, in solitudinem digresso. Filii Moymirus, & Sventibaldus, post patrem Regnum adiere. Non igitur sub Sventibaldo patre, sed auxilio Sventibaldi filii, post annum 894. Vvichingus, favore etiam fultus Arnulphi Regis, cujus Cancellarius ab anno 895. esse cœperat, *Laureacensem Ecclesiam pressit, volens provinciam dividere, & in Seclavia*, idest, in Sclavonia, aut in Moravia, ubi Sventibaldi Regnum erat, ut puta, in Nitria, seu in Pannonia Arnulpho subjecta, in *Patavia* scilicet, *Metropolim suscitare*. Hansizius videtur eorum sententiam sequi, qui Seclaviam interpretantur esse *Iglaviam*, Moraviæ urbem hodie non ignobilem, ad quam forte Vvichingus Metropolim sacram a Vvelehrado transferre constituerat „. Sed eos conatus (inquit) interrupit eversio *Sventibaldi*, anno ut dixi 894. defuncti aut dejecti. Sed hanc interpretationem a vero Catalogi sensu alienam existimo: nam & Methodius Vvelehradiensis Archiepiscopus usque ad annum circiter 899. in vivis erat, quemadmodum mox patebit: & Vvichingus Episcopus Nitrensis fuit usque ad mortem Engilmari Pataviensis, idest usque ad finem anni 897. Igitur ineunte anno 898. quo Vvichingus post Engilmari decessum, a Nitriensi ad Pataviensem Ecclesiam, favore Imperatoris Arnulphi, translatus fuit, statim cœpit cogitare de *Archiepiscopatu adipiscendo*, utpote Laureacensi Sede dudum cum Pataviensi conjuncta: id quod idem ipse Hansizius indicat, quum pag. 169. dicat: „ Sacerdotio Pataviensi, per mortem Engilmari, fine „ anni 897., viduato, locus Vvichingo datus est, favore Im- „ peratoris Arnulphi, quidquid Theodmarus Juvavensis obsta- „ ret „. Cur enim Theotmarus Juvavensis, qui Engilmaro, Hermanico, aliisque eorum decessoribus, necnon Richario Vvichingi successori, in Pataviensi Sede ut collocarentur, non obstiterat, cur (inquam) ægre ferret, Vvichingum ad eam Ecclesiam transferri, nisi quia Vvichingus Metropolitica, Laureacensi ac Pataviensi Sedibus unitis, jura restituere satagebat, & aliam a Juvavensi Metropolim constituere? certe Laureacensis Ecclesia jam ante Juvavensem Metropolis fuerat: quumque eadem postmodum juribus Metropoliticis vacaret, Vvivilone

anno 737. Laureaco Pataviam fugiente; Juvavensis autem in Metropolim anno 798. erecta esset, Laureacensis Metropolis iterum sub Eugenio II. Papa & Urolpho Antistite, circa ann. 825. restituta fuit: Urolpho demum anno 838. defuncto, Metropolitica proinde dignitate a Laureaco sublata, Patavienses Antistites quamquam sæpe Juvavensibus tum de juribus Metropoliticis, tum de finibus diœcesis litem movissent, non aliud tamen obtinuere, quam „ ut Aquilonarem Occidentalemque „ oram, qua Spiraza amnis exoritur, & cum altera Spiraza & „ Arabone confluit, Pataviensis Antistes haberet, reliqua „ Orientem Austrumque spectantia procurarentur ab Salisburgensi „. Vide Hansizium Tom. I. Germ. sacr. a pag. 141. usque ad pag. 155. Quamobrem Theotmarus Salisburgensis Metropolita, idemque Arnulphi Imperatoris (ut supra vidimus) Archicapellanus, tuendis Ecclesiæ suæ privilegiis semper intentus, non modo non tulit, Vvichingum, prætextu Laureacensis quondam Metropolitanæ, tunc vero temporis cum Pataviensi unitæ, Metropolitica (quemadmodum contendebat) jura restituere; sed neque passus est, eundem Pataviensi Ecclesia potiri: Proinde anno, postquam ad Pataviensem Sedem translatus fuerat, vix elapso, Canonicali judicio, Arnulpho Imperatore nequidquam reluctante, illum dejecit, teste Freheriano Continuatore Annalium Fuldensium ad ann. 899. in hæc verba: „ Engilmarus Pataviensis Episcopus obiit, in cu- „ jus locum Vvichingus quidam Alamannus contra instituta „ Patrum, prius Marahunensis ab Apostolico destinatus Epi- „ scopus, Rege concedente, successit. Sed non multo post a „ Deotmaro Archiepiscopo, ceterisque suffraganeis suis, con- „ tra voluntatem Regis, Canonicali judicio abjectus, ac Ri- „ chardus (leg. *Richarius*) ad eandem Sedem Episcopus in „ idipsum tempus ordinatus est.

XVII. Wichingus anno 900. Pataviensem Ecclesiam deserere compulsus, ad Nitriensem rediit, aut alibi in Moravia sedit.

Dejectum Vvichingum Arnulphus Imperator pro viribus suffulsit, atque ut ferunt nonnulli Annalium Boicorum scriptores, contra vim Theodmari tueri locum jussit; sed Arnulpho III. Kal. Decembris exeuntis anni 899. demortuo, exauctorationis decreto vis sua continuo constitit, & Richarius per Synodum Salisburgensem Ecclesiæ Pataviensi præfectus, potestatem sub anni finem capessivit; nam & in literis Episcoporum Ba-

Bavariæ ad Joannem IX. Papam anno 900. datis, *Richarius* appellatur *Patavienſis Eccleſiæ Epiſcopus*, & apud Annalium Fuldenſium Continuatorem ad annum ſimiliter 900. *Patavienſis Sedis Epiſcopus*, & denique in diplomate Ludovici Germaniæ Regis, filii Arnulphi, anno 901. vocatur *Vir Venerabilis nomine Richarius Patavienſis Præſul*. Atque his documentis ſuffultus, recte videtur Hanſizius pag. 173. Bruſchium refellere narrantem, „ agitatam interim cauſam Romæ : Richarium enim „ Epiſcoporum, qui litem ſuam fecerant, ſuffragio adjutum, „ adiiſſe Summum Pontificem, qui tunc erat Joannes Nonus, „ & ejus opem adverſus Vvichingum imploraſſe : ſed ejus conatus Arnulpho ſuperſtite parum efficaces; demum ſub Ludovico Arnulphi filio id aſſecutos, ut quoniam Vvichingum „ Palatina negotia non ſinerent ab Regis latere diſcedere; Richarius in partem aliquam Epiſcopatus veniret, atque in oppido, quod apud Anaſum flumen erat recens exſtructum, „ Sedem & Pallium, & nomen Archiepiſcopi Laureacenſis teneret. Nam & hoc Bruſchius comminiſcitur (*inquit Hanſizius*) Pallio fuiſſe Richarium, quum eſſet Romæ, ab laudato Joanne condecoratum anno 899. eaque dignitate potitum „ annis tribus, ad annum nempe 902. quo vitæ poſtremo, Archiepiſcopatum Laureacenſem opera ſua quaſi renovatum, „ Vvichingo reddiderit, qui tamen menſibus quindecim non „ amplius eo gaviſus ſit, non ultra annum 903. ſuperſtes „. Hæc Bruſchii (ſubdit Hanſizius) neſcio unde ſumta narratio, quam multis ſcateat aberrationibus, eaque mox refert, docente. Nam & Richarii Romanum iter, in incerto eſt, nemine ullo ejus teſte. In partem Epiſcopatus admiſſum, id enimvero ab geſtis ejus temporis alienum: nam in literis Epiſcoporum Bavariæ ad eundem Joannem IX. Papam, & apud Continuatorem Annalium Fuldenſium, & in diplomate Ludovici, Richarius ut ſupradixi non *Laureacenſis*, non *Archiepiſcopus*, ſed ſimpliciter *Epiſcopus Patavienſis* nominatur. In eo diplomate, quod Ludovicus anno 901. Richario conceſſit, ob damna, per Hungaros illata contribuitur quidem ejuſdem Richarii proviſioni civitas Anaſina, ſed nullum eſt indicium ejus, quod ait Bruſchius, collatam eſſe in locum Sedis Metropolitanæ. Denique Vvichingus utrum in Palatio regio deinceps hæſerit, ſuo

loco

loco sit ; de quo tamen in Historia Boica vestigium nullum . Illud profecto absque teste dictum, plane somnium est, Richario vita functo, Episcopatum in solidum ad Wichingum postliminio rediisse. An hoc toleraret Theodmarus cum cæteris Episcopis, qui Ludovicum puerum in potestate habebant? Id scilicet puero dederint, quod Arnulpho patri detrectaverant? Hactenus Hansizius: qui judicat Vvichingum, e Pataviensi Sede anno 899. dejectum, rediisse in Moraviam: ibi novam obtinuisse Sedem. Hoc enim colligit ex laudata Theodmari & suffraganeorum ad Jo: IX. Papam Epistola, in qua sic Theodmarus cum Papa conqueritur: „ Venerunt de latere vestro „ tres Episcopi, Joannes Archiepiscopus, Benedictus & Daniel „ Episcopi, in terram Sclavorum, qui Maraci (*Moravi*) „ dicuntur: & in nomine vestro, ut ipsi dixerunt, ordinave„ runt in uno eodemque Episcopatu unum Archiepiscopum & „ tres Suffraganeos ejus Episcopos, absque scientia Archiepi„ scopi (*Juvavensis*) & consensu Episcopi (*Pataviensis*) in „ cujus fuerunt Diœcesi „. Id factum (inquit Hansizius) paulo post, quam Vvichingus de Sede Pataviensi depulsus est: ubi pronum est conjicere, ipsum fuisse præcipuum Moravis auctorem novos Episcopos a Pontifice petendi.

XVIII. Joannes Moravorum Archiepiscopus post Methodium: ejusqueSuffraganei *Benedictus Daniel*, & *Vichingus*.

Ceterum quum dicat Theodmarus, *unum Archiepiscopum, & tres suffraganeos in Diœcesi Pataviensi ordinatos fuisse*, hinc & illud indubitatum fit, primo, *S. Methodium* ultra annum 899. vitam nequaquam produxisse, quum palam sit, eo superstite, novum Archiepiscopum *Joannem*, neque Moravis quærendi, neque Papæ Joanni nono, constituendi causam fuisse. Secundo, Archiepiscopum illum post Methodii obitum exeunte anno 899. vel ineunte 900. Moraviæ a Jo: IX. Papa datum, non alium fuisse ab *Joanne*, de quo Præsules Juvavensis Diœcesis: „ Venerunt de latere vestro tres Episcopi, Joannes „ Archiepiscopus, Benedictus & Daniel Episcopus in terram „ Sclavorum, qui Moravi dicuntur „. Quidquid in contrarium scribat Hansizius Tom. 2. pag. 141. ubi Wichingum asserit Methodii loco ordinatum Archiepiscopum, his verbis: „ Sed mox novum ei (*Theodmaro Juvavensi*) negotium præ„ buerunt *Joannes Archiep. cum Benedicto & Daniele Episco„ pis, in terram Sclavorum qui Maraci dicuntur*, ab Jo: IX. „ Pa-

„ Papa principio anni 900. ſubmiſſi: qui ibidem novum Archiepiſcopum cum tribus ſuffraganeis ordinarunt: Archiepiſcopum reor Wichingum, qui de ſede nuper Patavienſi dejectus, in Maraviam ſe retulit, & per occaſionem demortui Methodii, Metropolim Maravicam reficere ſtuduit „. Iidem ipſi Joannes, Benedictus & Daniel, fuere Archiepiſcopus & duo Epiſcopi, ab Jo: Papa in Moraviam, ad eam ſcil. Diœceſim regendam, miſſi; non autem, ut, tamquam Pontificis Legati, ordinatis Archiepiſcopo & Epiſcopis, Romam redirent. Verba Juvavenſium clariora ſunt, quam ut expoſitione indigeant. Tertio, ex dictis colligitur, tres illos ſuffraganeos *Joanni Archiepiſcopo* adjunctos, eoſdem ipſos eſſe *Benedictum*, & *Danielem* (quorum Theodmarus diſertim meminit) necnon *Vvichingum*: qui proinde aut *Nitravam* in antiquum ſuum Epiſcopatum reverſus, uti Stredowskius in Hiſt. Sacr. Morav. ſcribit: aut ab Jo: Archiepiſcopo in loco aliquo Moraviæ ceterioris Epiſcopus collocatus, quemadmodum idem Hanſizius conjectatur: qui tamen a veriſimilitudine aberrare mihi videtur, dum ibidem ſubjungit, *eo plane tempore contigiſſe id, quod Chronographi prodiderunt, cum voluiſſe Metropolim in Seclavia facere*: & in Catalogo brevi Epiſcoporum Patavenſium in Corollariis Tom. 1. „ Vvichingum anno 899. per ſynodum depoſitum, retuliſſe „ ſe in Maraviam, ubi Metropolim Maravicam inſtaurare ſtu„ duit, creatus, ut videtur, Archiepiſcopus „. Non enim ipſe *Vvichingus*, ſed *Joannes* poſt *Methodium*, creatus fuit Moravorum *Archiepiſcopus*, uti ex laudata epiſtola Theodmari patet: neque Vvichingus tunc temporis *Metropolim in Seclavia facere voluit*, *quam ipſe teneret*; ſed ab eodem id antea tentatum fuerat, dum Patavienſem Eccleſiam invadens, Metropoliticos ejuſdem Eccleſiæ honores obtendebat: uti ſupra dixi.

XIX. Expenditur Catalogus Olomucenſium Antiſtitum: ubi enumerantur 1. Cyrillus. 2. Methodius. 3. Joannes. 4. Silveſter. 5. Joannes alter ſub Severo Pragæ Epiſcopo ordinatus.

Ex his refellitur Joannis Dubravii, atque Auguſtini circa ſeriem Archiepiſcoporum Moraviæ allucinatio: hi enim contendunt, *primum Moraviæ Archiepiſcopum* fuiſſe *S. Cyrillum*, quem ajunt ab anno 887. per quinque ferme annos Sedem *Vvelegradenſem* rexiſſe, uſque ad annum circiter 892. Alterum deinde *S. Methodium*, Cyrilli fratrem, qui, eodem Cyrillo abdicante ac Romam ſecedente, eam ſedem uſque ad annum

Chr.

Chr. 907. obtinuerit: quo anno „ quum Svatoplukus Rex in „ Clerum sæviret, omnibusque sceleribus & vitiis homo sanguinarius flagraret, beatus Methodius gregis sui perditionem ferre non valens, Romam iterum redierit, atque illic ex hac luce migraverit, in Ecclesia S. Clementis sepultus „: Tertium Archiepiscopum, *Joannem* eundemque Moraviæ Episcopum Primum, qui, mortuo, ut supra, Romæ anno 907. „ Sancto Methodio, post quinquennii interpontificium, in Pontificatu successerit, Episcopalemqne sedem in oppido (*a*) *Poleſſowicz*, *in Ecclesia SS. Petri & Pauli Apostolorum*, annis sexdecim fere rexerit, religioseque administraverit, quo tempore Vvenceslaus, quum Ducatum Bohemiæ moderaretur, ab impio Boleslao fratre (qui virtutibus ipsius vitæque sanctimoniæ, regnandi cupiditate æmulabatur) occisus gloriosam martyrii lauream suscepit „. Quartum denique Archiepiscopum „ Silvestrum, eundemque „ Moraviæ Episcopum secundum, Joanni vita defuncto, Episcopales infulas anno Christi quadragesimo secundo supra nongentesimum suscepisse, Episcopatuique decem & novem annos præsedisse „: Nimirum usque ad ann. 961. „ Post cujus mortem (inquit Augustinus in serie Olomucensium Episcoporum) Episcopatus Ratisponensi Ecclesiæ (quæ tum Bajoariorum erat Metropolis) usque ad annos triginta quinque fuit unitus: (*hoc est*, *usque ad annum 996.*) Inde vero per Benedictum septimum, tempore B. Adalberti Pragensis Archiepiscopi, opera Boleslai pii, Ecclesiæ Pragensi annexus. quæ unio nonaginta duobus annis duravit, usque ad Severum Episcopum Pragensem, ac Uratislaum Regem Bojemiæ primum, cujus opera, annuente Alexandro Pontifice maximo, Episcopatus rediit ad Moravos: Quum nempe, consentiente Severo Pragensi, ordinatus est a Segefrido Moguntino, *Joannes* Moravorum Episcopus tertius anno sexagesimo tertio supra millesimum „. Hæc Augustinus Dubravio consentiens.

Verùm multa hic a vero prorsus aliena. Ac primo quidem, supra demonstravi, Cyrillum in Monachico habitu & gra-

a Al. in *Kunowicz*.

gradu Presbyterali decessisse circa annum 868. tametsi ejus vitam nonnulli usque ad annum 880. producant, nullo teste, imo auctore vitæ ipsius contradicente. Secundo, ostensum est, Methodium anno 868. ab Hadriano II. Papa ordinatum fuisse *Episcopum*, deinde anno 880. *Archiepiscopum* ab Joanne VIII. unacum *Vvichino* consecrato Nitriensi Episcopo, in Moraviam missum. Tertio, probatum quoque est ex Theotmari Juvavensis & suffraganeorum Epistola, *Joannem*, post Methodii utique obitum, a Joanne IX. Papa creatum *Archiepiscopum* anno 899. vel 900. unacum Episcopis *Benedicto & Daniele*, quum adhuc in vivis esset *Vvichinus* Nitriensis primum, mox *Pataviensis Antistes*, demum sive ad priorem, sive ad aliam Moraviæ Ecclesiam regressus. Ex quibus conficitur, non soli *Moraviæ*, sed etiam Pannoniæ Regibus Moravorum subjectæ, necnon & Bohemiæ, præpositos fuisse Archiepiscopos & Episcopos a nobis supra memoratos. Nam *Nitria & Patavia*, quibus Vvichinus præfuit, ad Pannoniam spectant; Methodius quoque in Epistolis Joannis VIII. Papæ modo vocatur *Moravensis*, modo *Pannoniensis* Archiepiscopus: Idem denique Methodius tamquam Slavorum omnium in Bohemia, Moravia, & Pannonia inferiori degentium Archipræsul „ Presbyteros, & Diaconos, seu „ cujuscumque ordinis Clericos, sive Sclavos, sive cujuslibet „ gentis, qui in provinciæ Regibus Moravorum Svatopluco „ ejusque filiis subiectæ finibus consistebant, (ut scribit Joan„ nes VIII. Papa,) ordinandi potestatem habuit „: ordinavitque etiam in Bohemia sub Ducibus Boriwojo & Vratislao, quemadmodum tradit Dubravius, inquiens: „ Diu satis Bojemi „ a privatis Sacerdotibus, sacrorum religionisque disciplinam „ percipiebant „. Nimirum, tandiu, donec Bohemis Episcopus a Sede Apostolica concessus fuit: hoc est, usque ad annum 967. quo Joannes XIII. Papa *Ditmarum primum Pragæ Episcopum*, Boleslao Pio & Mlada ejus sorore, Sacra Virgine, petentibus, & Ottone Imperatore annuente, a Moguntino Archiepiscopo consecrandum jussit; ea tamen conditione „ ut „ non Ritus aut sectam Bulgariæ gentis, vel Russiæ, aut Scla„ vonicæ linguæ, sed magis instituta & decreta Apostolica, & „ Ritum Romanum cum Latina lingua sequeretur „: quemadmodum Cosmas Pragensis ex depravato ejusdem Joannis Papæ

diplomate tradit. Nam antea tam in Moravia, quam in Bohemia, Romano quidem Ritu, sed sermone Slavonico sacra peragebantur, inducente hunc morem Methodio, & permittente Joanne VIII. Pontifice, quemadmodum ex epistola 247. ejusdem Papæ ad Svatoplucum Moravorum Regem anno 880. data supra retuli. Ac proinde irrefragabili hujusmodi testimonio convincitur, fabulosum prorsus esse, quod Dubravius ait, „ Bojemos a Methodio exegisse, ne sermone Latino, quem „ non intelligerent, sed Bojemo sibi usitato, sacra & sacra„ menta perageret. Hanc rem illum Romam ad Cyrillum Col„ legam, atque Cyrillum ad Nicolaum Papam retulisse: Am„ bos collegas ob eam relationem non modo Pontifici, sed „ frequenti etiam Patrum Concilio deridendos se propinasse, „ quum ex improviso vox hæc sua sponte in tali frequentia in„ sonuit: Omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lin„ gua confiteatur ei: qua voce perculsum Nicolaum Papam, „ secundum petitionem Bojemorum respondendum Cyrillo „ duxisse „. Somnia sunt hæc neotericorum, quorum dictis, gravissimi cæteroqui Scriptores, plus justo fidem adjungentes, fabulis fabulas superduxere, quum de Slavica lingua in sacris adhibenda sermonem faciunt. Sed nos Joannis VIII. Papæ testis vivi ac præsentis, qui primum Methodio prohibuerat, postea eidem audito & probe examinato, permisit, ut rem sacram Slavonice celebraret, auctoritate contenti, duo hæc negamus; & id scilicet factum sub Nicolao Papa contigisse; & Cyrillum Methodii fratrem utpote longe antea defunctum, ullam in defensione Slavici Sermonis operam apud Pontificem impendisse; hoc denique pro certo affirmamus, nullo miraculo motum Joannem Papam ad concedendum Slavonicæ linguæ in sacris usum, sed prævio tum Orthodoxæ Methodii doctrinæ, tum accuratæ sacrarum Scripturarum divinorumque officiorum in Slavicam linguam Translationis examine: iteratis denique precibus Regis Populique Moraviæ: quibus si postulata negasset, ii hauddubie ad Græcam Ecclesiam confugissent, a qua, Bulgarorum instar, id facile obtinuissent. Quare relegatis tantisper junioris ævi narratiunculis, monimenta sincera & antiquissima, quantulacumque sint, tum ad rem hanc, de qua agimus, tum ad reliquam Slavorum historiam spectantia, congerere se-

sequentem in Tomum, & statuere velut in fronte operis ac limine, certum nobis est deliberatumque.

XX. Demonstratur Moraviæ Archiepiscopos fuisse, 1. Cyrillum. 2. Joannem. 3. Silvestrum: idque ab ann. 880. usque ad ann. 935.

Interim illud etiam ex dictis elucescit, falsa esse quæcumque ab Augustino in catalogo Olomucensium Episcoporum asseruntur: Primum scil. Moraviæ Episcopum fuisse *Joannem*, secundum *Silvestrum*: Nam ante Methodium quidem, primus Slavorum Antistes ab Arnone Salisburgensi Metropolitano ordinatus fuerat *Theodoricus*; secundus ab Adalrammo item Salisburgensi *Otto*: tertius a Luitprammo *Osvaldus*: quemadmodum coævus fere Auctor historiæ de conversione Bojorum & Carantanorum testatur: proinde quum tres isti Præsules Latino Sermone sacra celebraverint, primus qui Slavica lingua Moravis Antistes præfuerit dicendus est *Methodius*, idemque eorundem Moravorum Archiepiscopus; secundus *Joannes*: qui non anno 912. uti auctor illius Catalogi perperam habet, sed 899. vel 900. a Joanne PP. IX. inauguratus est, testibus Salisburgensis diœceseos Præsulibus in epistola ad eundem Joannem Papam. De *Silvestro* quidem nihil apud idoneos scriptores reperio; Sed quum Auctor illius Catalogi annos 16. Joanni tribuat, consequens est, *Silvestrum* non anno 942. sed 916. Joanni suffectum fuisse: quumque Episcopatui præfedisse annis 19. dicatur, obierit oportet anno 935. non 961. Denique spatium Interpontificii illius, quod a Silvestri obitu usque ad ordinationem Joannis Moravorum Episcopi per Moguntinum Metropolitanum peractam, stare omnino nequit: nam, Cosma Pragensi teste, *Joannes*, consentiente *Severo* Pragensi, consecratus fuit anno Chr. 963. non 1063. uti auctor Catalogi perperam affirmat: ac proinde Sedes Moraviæ vacaverit, necesse est, annis 28., quidquid auctor ille dicat sedem illam post mortem Silvestri unitam fuisse Ecclesiæ Ratisponensi per annos 35. deinde Pragensi per annos 92. qui calculus enormiter a vero abhorret.





PARS II.

De Slavis Borealibus, Moravis, Bohemis: deque Nortmannis, Hungaris, Patzinacitis, Chazaris, Bulgaris, et Russis.

CAPUT I.

Moravorum, Slavorum Borealium, & Northmannorum res gestæ ab anno Christi 876. usque ad annum 888. sub filiis Ludovici Germaniæ Regis.



HACTENUS Slavicæ Ecclesiæ in Pannonia, Moravia, & Borealibus regionibus primordia & incrementa, ex veteribus monimentis eruta, literis mandavimus. Posthac tristiora Slavici iisdem in partibus Regni tempora subeunt, quibus quantum dignitati potestatique decesserit, tantum Hungarorum, Dalmatarum, Illyriorum, Russorumque amplitudini accrevit. Quem statum rerum, mira Scriptorum dissensione depravatum nos hoc Tomo dirigere, in suos quæque annos distribuentes, conabimur.

I. Dejecto Rastislao Moraviæ Rege, Zventibaldus ejus nepos a Ludovico Germaniæ Rege substituitur. Lu-

Memini me superiore Tomo ex Annalibus Francorum ostendisse, Rastizi seu Ratislao Moraviæ Rege dejecto, excæcato atque in Monasterium detruso, Sventibaldum sive Svatopelecum, ejus nepotem, anno 870. a Ludovico Ludovici Pii filio, Bajoariæ & Germaniæ Rege, fuisse suffectum: qui quum per

per quatuor fere annos varia fortuna nunc bellum gessisset, nunc pacem cum eodem Ludovico ejusque filio Carolomanno coluisset, tandem anno 874. per legatos suos, quorum princeps erat Joannes Presbyter de Venetiis, promisit, cunctis diebus vitæ suæ fidelem se Ludovico Regi permansurum, & censum a Rege constitutum per annos singulos soluturum, si sibi tantummodo quiete & pacifice a Rege vivere concederetur. Ita Moravis & Bohemis, qui anno 871. rebellaverant, reconciliatis, Rex Ludovicus anno 876. v. Kal. Septembris diem clausit extremum. Tres fratres, ipsius filii, in loco qui dicitur Svalifelt, convenientes, ibi paternum Regnum eodem anno 876. diviserunt: *Carolomannus* sortitus est Bajoariam, Pannoniam, Carinthiam: necnon Regna Sclavorum, Behemensium, & Marahensium: *Ludovicus* Orientalem Franciam, Thuringiam, Saxoniam, Frisiam, & partem Regni Lotharii: *Carolo* Alamannia in parte cessit, & aliquot civitates Regni Lotharii. Et Carolomannus quidem XI. Kal. Aprilis (*a*) anno 880. obiit, Arnulpho filio relicto. Ludovicus autem, quum Arnulpho Carolomanni fratris filio solam Carinthiam reliquisset, XIII. Kal. Febr. (*b*) anno 882. decessit. Carolus vero, cognomento Crassus, anno 880. Romæ coronatus Imperator, postquam cuncta quæ fratribus Carolomanno & Ludovico obtigerant, præter solam (ut modo dicebam) Carinthiam, occupasset, opprobriosa pace cum Northmannis anno 887. facta, in conventu optimatum apud Triburias, mense Novembri, tamquam animo & corpore deficiens, eodem anno Imperio dejectus, Arnulpho nepote in Regem Germaniæ proclamato, anno sequenti, mense Januario mortuus est. Itaque Arnulphus Bajoaria, Thuringia, Saxonia, Frisia, Pannonia, Carinthia, & Regnis Slavorum potitus, quum Bohemiæ ducatum Sventibaldo Moraviæ Regi anno 890. concessisset, motis postea in eundem a se deficientem anno 892. armis, Ungarorum opera usus, anno 893. devictum, sibi tributarium fecit.

[Margin: Ludovico defuncto, filii ejus Carolomannus, Ludovicus, & Carolus paternum Regnum inter se partiuntur]

II.

[Margin: Methodius Moravensis seu Panno-]

Hæc de Regum Francorum in Francia Orientali successione. Interim (ad Moravos quod spectat) „ Diœcesi Patavien-
„ si,

a Ita Fuldensis. At Metensis: VII *Non. Apr. anno* 880.

b At Metensis: *Anno* 882. XIII. *Kal. Septembris*. Fuldensis: XIII. *Kal. Decembris*. Uterque fallitur.

niensis Antistes, apud Jo:VIII. Papam delatus quod errores doceret, & quod Slavica lingua in re divina uteretur, ita se Pontifici purgavit, ut is, approbata ejus innocentia, usu quoque linguæ Slavicæ indulto, Archiepiscopum illum constituerit, Moravia & Pannonia a Sede Patavienſi exemtis

„ si, (cui Engelmarus Episcopus præerat,) illud funestum ac-
„ cesserat (ut scribit Hansizius Tom. I. Germ. sacr. pag.163.)
„ hostes Moravi, qui fines Boicos interdum armis, Pannoniæ
„ partem nonnullam dominatu premebant. Wilhelmus &
„ Engilschalcus erant, qui anno 871. (verba sunt Annalistæ
„ Fuldensis) sub seniore Ludovico terminum regni Bajoario-
„ rum in Oriente contra Maravanos tenuere, multaque pro
„ patria sudasse feruntur. Sventibaldus fiduciarium nomen,
„ in quod a Ludovico Rege optatus fuerat, abjecit; Regem
„ se, nullaque Bojis obnoxium ferens. Hinc bella sævissima,
„ quæ non alteri tristiora, quam Antistiti Pataviensi, quem
„ necesse erat, ut ejus temporis ferebat mos, assiduis expedi-
„ tionibus distringi. Eum non bellicæ modo, sed Ecclesiasti-
„ cæ quoque exercebant clades, ob diœceseos partem longe
„ amplissimam suo juri dereptam. Methodius, quem alias di-
„ ximus Archiepiscopum Moraviæ Pannoniæque declaratum,
„ sub alis Sventibaldi Principis, & favore Papæ regnabat.
„ Moraviam & Pannoniam (etiam post Ludovici obitum sub
„ Carolomanno filio) Engelmarus dolebat occupatam ab Me-
„ thodio. Sventibaldus tegebat, qui, ut ne quid commune
„ haberet cum Bojis, instituta Methodii non segniter tuitus est;
„ quippe non regni modo, sed Ecclesiæ quoque rationes ha-
„ bere gestiebat separatas a Bojis. Eum nec Ludovicus Ger-
„ maniæ Rex, nec qui ei in dominatu Bojariæ successerat Ca-
„ rolomannus filius edomare, quum maxime cuperent, vale-
„ bant. Quod igitur hac parte fefellerat, alia perficere via
„ Patavienses aggressi. Delatum Methodii nomen apud Joan-
„ nem VIII. anno 879. ejus accusationis capita erant duo:
„ primum, quod errores doceat: deinde quod lingua Slavi-
„ ca in re divina utatur. Hoc postremum Joannes vel veniæ
„ per Hadrianum nuper datæ immemor, vel novis querelis ex-
„ citatus, Methodio jam per Paulum Episcopum Anconitanum
„ vetuerat: rursus autem ea delatione pulsatus, per literas
„ Methodium evocat, rationem fidei, institutique sui reddi-
„ turum. Extant eæ literæ, quæ inscriptæ sunt, *Reverentissi-*
„ *mo Archiepiscopo Pannoniensis Ecclesiæ*, datæ XVIII. Kal.
„ Jul. Ind. 2. idest, anno 879. Paruit continuo Methodius, &
„ se Pontifici ita purgavit, ut is approbata penitus innocentia;
„ præ-

„ præterea Archiepiſcopatu Maravenſi in perpetuum confir-
„ mato; adhæc uſu linguæ Sclavicæ indulto, ad Sfentopulcrum
„ Comitem, cui literas inſcribit, remitteret; adjuncto ei Suf-
„ fraganeo, quem Nitrenſis Eccleſiæ Epiſcopum ordinavit,
„ Wichingo; quem Archiepiſcopo ſuo obedientem in omnibus
„ eſſe jubet. Inſuper quo Moravienſem Metropolim ad ſum-
„ mum Pontifex perduceret, iiſdem literis poſtulat, ut cum
„ ejuſdem Archiepiſcopi conſenſu & providentia tranſmittere-
„ tur alius aliquis idoneus Presbyter vel Diaconus, qui ab ſe
„ Epiſcopus ordinatus, ad manum eſſe poſſit Methodio ad hoc,
„ ut cum his duobus Epiſcopis alios per alia loca, in quibus
„ Epiſcopi honorifice debent & poſſunt exiſtere, poſtmodum
„ valeat ordinare. Sollicite autem præcipit, ut omnes Pre-
„ sbyteri, Diaconi, ſeu cujuſcumque ordinis Clerici, ſive
„ Sclavi, ſive cujuslibet gentis, qui intra provinciam Sventi-
„ baldi conſiſtant, ſubjecti & obedientes ſint in omnibus Ar-
„ chiepiſcopo Methodio: quod ſi contumaces & inobedientes
„ extiterint, quaſi zizaniorum ſeminatores ab Eccleſiis & fini-
„ bus illis procul abjiciendos præcipit. Data menſe Junio,
„ Indictione XIII. quæ reſpondet anno 880.

Ex hac Joannis Papæ Epiſtola, & ex duabus aliis, ordine 194. & 195. datis XVIII. Kal. Jul. Ind. XII. hoc eſt, anno 879. apparet, eos falli, qui, a Nicolao Papa, tradunt, propter Slavicæ linguæ uſum in re divina a SS. Cyrillo ac Methodio inductum, fuiſſe iſtos Romam evocatos, eodemque Nicolao defuncto, ab Hadriano Papa examinatos, moremque ab ipſis invectum ſervare permiſſos. Conſtat enim ex genuinis hiſce Joannis Papæ literis, quæſtionem illam de Slavicæ linguæ uſu ſub Joanne ipſo, non ſub Nicolao neque ſub Hadriano, primum fuiſſe agitatam atque definitam. Nimirum, quum ad aures Joannis Papæ perveniſſet, ordinatum a ſe Moraviæ Epiſcopum Methodium, Slavici ſermonis in rebus divinis uſum induxiſſe, anno quidem 879. id ei per Paulum Anconitanum vetuiſſe, ſimulque præcepiſſe, ut Romam, redditurus tum hac de re, tum de doctrina ſua rationem, accederet. „ Prædicationis tuæ
„ (inquit Pontifex) doctrinis populum Domini tibi quaſi ſpi-
„ ritali Paſtori commiſſum ſalvare inſtruereque quum debeas,
„ audivimus, quod non ea, quæ Sancta Romana Eccleſia ab
„ ipſo

III. Jo: VIII. Papæ epiſtolæ de Archiepiſcopatu Methodii, deque indulto Slavicæ linguæ in re divina uſu.

„ ipſo Apoſtolorum Principe didicit, & quotidie prædicat, tu „ docendo doceas, & ipſum populum in errorem mittas. Un„ de his Apoſtolatus noſtri literis tibi jubemus, ut omni occa„ ſione poſtpoſita, ad nos de præſenti venire procures, ut ex „ ore tuo audiamus, & cognoſcamus, utrum ſic teneas & ſic „ prædices, ſicut verbis & literis te Sanctæ Romanæ Eccleſiæ „ credere promiſiſti „ (coram Hadriano ſcil. Papa, quando Romam evocatus cum fratre Cyrillo venit circa annum 867.) „ aut non; ut veraciter cognoſcamus doctrinam tuam. Audi„ mus etiam, quod Miſſas cantes in barbara, hoc eſt, in Scla„ vina lingua; unde jam literis noſtris per Paulum Epiſcopum „ Anconitanum tibi directis, prohibuimus, ne in ea lingua „ Miſſarum ſolemnia celebrares, ſed vel in Latina, vel in Græ„ ca lingua, ſicut Eccleſia Dei toto terrarum orbe diffuſa & in „ omnibus gentibus dilatata cantat. Prædicare vero, aut ſer„ monem in populo facere, tibi licet, quoniam Pſalmiſta „ omnes admonet Dominum gentes laudare: & Apoſtolus: „ omnis, inquit, lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus in „ gloria eſt Dei Patris.

IV. Refellitur eorum error, qui Slavicæ linguæ in Rebus divinis uſum ab Hadriano PP. conceſſum, deinde a Jo: VIII. primum vetitum, mox permiſſum ſcribunt.

Non igitur hæc quæſtio de Slavicæ linguæ in divinis uſu ſub Nicolao Papa exorta fuerat, neque is uſus ab Hadriano Nicolai ſucceſſore, qui Methodium Epiſcopum ordinavit, permiſſus fuit: alioquin ejús rei mentionem Joannes Papa feciſſet, uſumque ab anteceſſore ſuo conceſſum non vetuiſſet. Proinde in *Priori* quidem *SS. Cyrilli ac Methodii vita*, ex MSS. Ducheſniano ab Henſchenio & Papebrochio ad IX. Martii pag. 19. edita, num. 7. miſſus dicitur cum Methodio Cyrillus ad Slavos in Moraviam, ibique Evangelium in Slavonicam linguam a Philoſopho redditum; num. 8. uterque (*a*) frater Romam a Nicolao evocatus, honoris cauſa, non ob ullum accuſationis caput, ſed ut ipſi, aut eorum diſcipuli ad Epiſcopatum promoti, in Moraviam remitterentur: num. 9. mortuo Nicolao recepti

a His omnibus auditis, Papa glorioſiſſimus Nicolaus, valde lætus ſuper his quæ ſibi ex hoc relata fuerant redditus, mandavit, & ad ſe venire illos literis Apoſtolicis invitavit. Quo nuncio illi percepto valde gaviſi ſunt, gratias agentes Deo, quod tanti erant habiti, quod mererentur ab Apoſtolica Sede vocari. Mox igitur iter aggreſſi, duxerunt etiam ſecum aliquos de diſcipulis ſuis, quos dignos eſſe ad Epiſcopatus honorem recipiendum cenſebant: ſicque poſt aliquos dies Romam applicuerunt.

pti dicuntur ab Hadriano II. honorifice, & Episcopi consecrati; Cyrillus denique post quadraginta dies Romæ mortuus. Quæ omnia aperte significant, neque eos apud Nicolaum circa doctrinam aut Slavicæ linguæ usum in divinis inductum accusatos fuisse, neque ab Hadriano Papa eundem usum approbatum iisve concessum. At vero in Posteriori eorundem Sanctorum vita, ex MSS. Blauburano pag. 22. evulgata, num. 5. narratur, quod „ plura de Græco & Latino transferentes, in Sclavonica „ lingua Canonicas Horas & Missas in Ecclesia Dei publice sta„ tuerunt decantare„: & num.6. subjungitur:„ quod his omni„ bus auditis Papa Nicolaus lætus factus super his, quæ sibi re„ lata fuerunt, scilicet de conversione gentis Bulgarorum & „ Moraviæ, & de reliquiis inventis S. Clementis; mirabatur „ tamen ex alia parte, quod ausi fuissent Sacerdotes Domini „ Horas Canonicas in Sclavonico decantare: quapropter man„ davit per literas Apostolicas illos ad se venire Romam „. Demum num. 7. post relatum ipsorum in Urbem sub Hadriano Nicolai successore adventum, rationem reddidisse perhibentur, cur Horas & Missas Sclavonice vertere & cantare ausi fuissent: „ At ille (inquit de Cyrillo) humiliter respondens, „ dixit. Attendite vos, Fratres & Domini, sermonem Apo„ stoli dicentis: Loqui variis linguis nolite prohibere. Secu„ tus ego Apostolicam doctrinam, quam impugnatis, institui. „ At illi dixerunt: Quamvis Apostolus loqui linguis variis „ persuaserit, non tamen per hoc in ipsam, quam statuisti, „ linguam Divina solemnia voluit decantari. Quum autem „ propter hujusmodi institutionem plus & plus inter eos cre„ sceret altercatio, B. Cyrillus dictum Davidicum protulit in „ medium dicens: Scriptum est enim: Omnis spiritus laudet „ Dominum. Et, si omnis spiritus laudando magnificat Do„ minum, cur me ergo prohibetis sacrarum Missarum solemnia „ & Horarum Sclavonice modulari? Siquidem si quivissemus „ illi populo aliter aliquando cum cæteris nationibus subveni„ re in lingua Græca vel Latina, omnino quæ reprehenditis, „ non sanxissem: sed quia idiotas viarum Dei totaliter eos „ reperiens & ignaros, solum hoc ingenium almiflua Sancti „ Spiritus gratia cordi meo inspirante, per quod etiam innu„ merosum populum Deo acquisivi. Quapropter, Patres & „ Do-

„ Domini, cogitate consultius, si institutionis meæ normam „ hanc expediat immutare. At illi audientes, & admirantes „ tanti viri industriam & fidem, studiosa deliberatione præha- „ bita, statuerunt supradicto ordine & sermone in illis parti- „ bus, quas Deo B. Cyrillus acquisierat, sicut statuerat, Ca- „ nonicas Horas cum Missarum solemniis ita debere deinceps „ celebrari „. Eadem habentur in Lectionibus veteris Breviarii MSS. Olomucensis, pag. 24. num. 2. & 3. phrasi nonnihil subinde mutata. Verum nullus dubito, quin recentior quispiam tam vitæ hujus, quam Lectionum Olomucensium consarcinator, res Methodii sub Jo: VIII. Papa gestas cum iis miscuerit, quæ temporibus Nicolai & Hadriani contigerant, idque Cyrillo Slavonicarum literarum inventori, sacrarumque Scripturarum in Slavicum sermonem interpreti tribuerit, quod postea Joannes Papa, testis vivus ac præsens, a Methodio jam Episcopo primum factum in Moravia conquestus est, & postea audito eodem Methodio probavit. Hujus Pontificis auctoritas, apud quem altum est de Cyrillo Slavici sermonis usum in rebus divinis introducente, deque Hadriano Papa eum usum probante silentium, certissime evincit, nonnisi anno 879. accusatum fuisse invectæ novæ illius consuetudinis Methodium, & anno sequenti absolutum.

V.

An septem Episcopi sub Archiepiscopo Moraviensi?

Neotericos non moramur, qui nullo producto antiquo documento, narrationes tradunt a genuinis Romanorum Pontificum epistolis abhorrentes: cujusmodi, præter jam confutatum de Slavicæ linguæ usu ab Hadriano Papa dudum probato commentum, est illud, quod in memoratis Breviarii Olomucensis Lectionibus num. 4. subjicitur de Methodio: „ Qui „ etiam postquam multos Christo manipulos congregaverat, „ ab ipso Principe, qui partibus in illis tunc dominabatur, & „ imperabat universæ terræ ceu magnificus Imperator, sta- „ tuitur, ut summus Pontifex fieret, habens sub se septem „ Pontifices ejusdem sanctitatis „. Bollandiani Patres Not. B, in hunc locum: „ Dudum inquirimus (inquiunt) qui illi, „ quarumve sedium fuerint Pontifices? Unicum hactenus re- „ perimus Wichinum Nitrensem, quæ nunc Sedes subjecta est „ Archiepiscopo Strigoniensi Metropolitæ Hungariæ „. Certum est, datam fuisse a Joanne Papa facultatem Methodio, ut, post-

postquam consentiente Sventibaldo Principe transmissus ab ipso Romam fuisset alius aliquis idoneus Presbyter vel Diaconus, ab se Episcopus ordinatus, ad manum esse posset eidem Methodio ad hoc, ut cum isto novo Episcopo, & cum Wichino jam ordinato, alios postmodum per alia loca valeret ordinare. An vero quispiam alius præter Vvichinum ab Joanne Papa sit ordinatus, & an Methodius plures habuerit suffraganeos Episcopos, incompertum est. Id tantummodo exploratum, post Methodii obitum, a Jo: IX. Papa missos in Moraviam Archiepiscopum Joannem, & Episcopos Benedictum & Danielem: quibus si Vvichinum adjungamus; quatuor, non septem Pontifices habebimus. Cur ergo Auctor ille Lectionum, Archiepiscopo Moraviæ tribuit *septem Episcopos?* nimirum, respicit ad antiqua Laureacensis Ecclesiæ jura, de quibus Eugenius II. Papa in literis ad Rathfredum Favianensem, Methodium Speculojulensem, Alevinum Nitraviensem, & Annonem Vetuariensem Episcopos: necnon ad Tutundum, & Moymarum Duces, & optimates atque populum Avariæ & Moraviæ: de Urolpho Archiepiscopo loquens: „ Is (inquit) ad Apostolorum limina, „ orationis causa, veniens, novam Ecclesiam nostris Apostolicis benedictionibus informandam subnixe commendavit, „ quam, Domino auxiliante, catholice gubernandam in vestris „ partibus suscepit. In quibus etiam quondam Romanorum „ quoque Gepidarumque ætate, ut e lectione certum est, in „ septem Episcoporum Parochias, Antecessores sui, jure Metropolitano, obtinuerant Diœcesim „. Laureaco Patavium Metropolitani migraverant: jura autem Pataviensium Vvichinus sibi vendicaverat tum, quum Metropolim in Sclavia erigere contendit. Recole quæ sunt notata supra hoc Tom.3. Part.1. cap. 3. §. 16. Olomucensis denique Ecclesia ab Augustino Præposito in Catalogo ejus Antistitum, aut eadem esse dicitur quæ olim Methodii Archiepiscopi Sedes fuerat, aut certe in locum illius Metropolitanæ successisse. Hinc in Lectionibus Olomucensibus Methodius perhibetur *Summus Pontifex factus, habens sub se septem Pontifices.*

VI. Slavi Linones & Siusli a Ludovico Germaniæ Rege

De dissidiis, quæ deinde inter Methodium & Vvichingum suborta sunt, alibi memoratum est. Nunc de rebus politicis Slavorum tam Borealium, quam Moravorum, quantum ex

fubacti. Caroli Calvi Imperatoris mors. Conventio inter Ludovicum Balbum Caroli Calvi filium, & inter Ludovicum Ludovici Senioris Germaniæ Regis filium.

Annalibus Francorum colligere fas est. Fuldensis Annalista: ,, Anno 877. Sclavi, qui vocantur Linones & Siusli, eorumque ,, vicini, defectionem molientes, solitum dare censum re- ,, nuunt. Quos Ludovicus Rex (*Ludovici Germaniæ Regis an- ,, no* 870. *defuncti filius*) missis quibusdam fidelibus suis, cir- ,, ca mediam Quadragesimam sine bello compressit; acceptisque ,, obsidibus nonnullis, & muneribus non paucis, eos sub pri- ,, stinum redegit servitium. Carolus (*Calvus nimirum* (*a*) *Im- ,, perator*) Galliæ tyrannus, æstivo tempore cum exercitu ,, Italiam petiit, & Ticini residens, magnopere nisus est, qua- ,, liter Karlomanno (*alteri Ludovici Germaniæ Regis filio*) ,, illuc adventanti aditum denegaret in illam provinciam. Karlo- ,, mannus vero cum manu valida Noricorum, diversorumque ,, Sclavorum, Italiam ingreditur, contra Carolum dimicare ,, volens. Quod quum Carolus comperisset, illico juxta con- ,, suetudinem suam, fugam iniit... Et in eodem itinere, ,, dysenteriæ morbo correptus, cum magna periit tristitia ,, . Metensis. ,, Est autem fama, quod a quodam Judæo, qui vo- ,, cabatur Sedechias, poculum mortis ei propinatum sit... ,, obiit vero Nonis Octobris... Cui successit in Regnum filius ,, ejus Ludovicus ,, . Fuldensis pergit: ,, Karlomannus opti- ,, mates Italiæ ad se venientes suscepit, & disposita, prout vo- ,, luit, regione, reversus est in Bajoariam.

Anno 878. Conventio inter Reges Ludovicum Balbum filium Caroli Calvi Imperatoris, & inter Ludovicum filium Ludovici Regis Germaniæ, in loco, qui vocatur Furonis, facta Kalendis Novembris Ind. XI. de Regno, quod Ludovicus Imperator Italiæ habuit, quia nec dum ex illo aliqua divisio facta est, quicumque modo illud tenet, ita teneat: donec Domino volente iterum simul venientes cum communibus fidelibus nostris inveniamus & diffiniamus, quid ex hoc melius & justius nobis visum fuerit. De Regno autem Italiæ, quia modo nulla ratio esse

a Post mortem Ludovici II. Augusti, Carolus Calvus die 25. Dec. exeunte anno 875. coronatus est Romæ Imperator a Jo: VIII. Papa. Hunc Carolum Annalista Fuldensis, qui Ludovico Germaniæ Regi ejusque filiis in omnibus studuit, passim *Tyrannum appellat*. Mortuus est autem Nonis, aut juxta Bertinianum, 2. Nonas Octobris anno 877. Ludovicus Balbus ei succedit in Regno Galliæ, coronatus VI. Idus Decemb. ejusdem anni exeuntis, obiit IV. Idus Apr. anno 879. relictis filiis Ludovico, Carolomanno, & Carolo.

se potest, omnes sciant, quia partem nostram de illo Regno & requisivimus, & requirimus, & Domino auxiliante requiremus. Hæc Bertinianus, qui addit capita IX. inter utrumque Regem conventa.

VII. Northmanni apud Carbonariam a Ludovico Rege cæduntur. In Saxonia vero superiores existentes, occidunt duos Episcopos, XII. Comites, & XVIII. Satellites regios, exceptis plurimis in captivitatem abductis.

Anno 879. Metensis. Ludovicus, qui Austrasiis imperabat, cognita morte æquivoci sui (Ludovici Balbi, qui IV. Id. Apr. decessit) Regnum illius invadere disposuit, & transito Mosa, Imperii fines occupavit: Cui occurrerunt duo memorati fratres (*Ludovicus scil. & Carlomannus, filii Ludovici Balbi*) cum valida manu. Sed intercurrentibus vicissim legationibus, nequaquam pugna committitur, sed pax roboratur. Adolescentes quippe, ut fœderatus ab eis recederet Ludovicus, portionem Regni Lotharii, quam avus paterque tenuerat, ex integro illi concesserunt, addita insuper Atrabatis Abbatia Sancti Vedasti. Facta itaque pactione, datisque sacramentis, quum in Regnum idem Rex reverteretur, repente obviam habuit Northmannorum innumeram multitudinem juxta (*a*) Carbonariam, in loco qui vocatur Thimum, cum ingenti præda ad classem repedantem. Cum quibus absque mora conflixit, & Deo propitiante maximam ex eis partem gladio prostravit. Reliqui fuga dilapsi, in supradictum fiscum regium se communiunt, ubi Hugo filius Regis ex pellice natus, quum incautius dimicaret, graviter vulneratus, ab hostibus rapitur, & inter adversariorum manus animam reddidit. Rex vero existimans quod adhuc filius vivus ab inimicis servaretur, exercitum ab impugnationis infestatione jubet cessare, ut quocumque pacto illum incolumem recipere posset. Interea nox superveniens, Regem cum suis ad castra redire compulit. Normanni vero cadavera suorum flammis exurentes, noctu diffugiunt, & ad classem dirigunt gressum. Rex diluculo consurgens, quum filium extinctum reperisset, nimio dolore afficitur. Corpus ejus in loculo compositum, ad Loresham Monasterium imperat deferri, ibique tumulari. *Bertinianus:* Carolus Ludovici quondam Germaniæ Regis filius in Longobardia perrexit, & ipsum Regnum obtinuit. Cum quo apud Urbam, antequam montem Jovis transiret, Ludovicus & Carlomannus loqui perrexerunt. Et illo

a Sigebertus. Anno 879. Nortmannorum plusquam V. millia a Francis in Gallia cæsa sunt. Anno 880. In Silva Francica Carbonaria plusquam IX. millia Nortmannorum a Francis cæduntur.

illo eunte in Longobardiam, ipsisque reversis ab eodem itinere, nunciatum est eis, quod Nortmanni qui erant in Ligeri, terreno itinere terras illas deprædabant. Et statim moti in illas partes, in die Missæ Sancti Andreæ eos invenientes, multos ex eis occiderunt, & plures in Vigenna fluvio immerserunt; & exercitus Francorum Deo volente cum victoria incolumis remeavit. *Fuldensis* id factum ad annum 880. differt, sic scribens: Rex Ludovicus Natale Domini (anni exeuntis 879.) celebravit in Franconofurt: postea in Galliam profectus, filios Ludovici ad se venientes suscepit: totumque Regnum Lotharii suæ ditioni subjugavit. Inde ad expugnandos Nordmannos, qui in Scalta fluvio longo tempore resederunt, convertit exercitum: initoque certamine plusquam v. millia ex eis prostravit. In quo prælio Hugo filius Regis occubuit. Addit *Fuldensis* ad eundem annum 880.. „ In Saxonia cum Nordmannis infeliciter dimicatum est. Nam Nordmanni superiores existentes, „ duos Episcopos, quorum ista sunt nomina, Thiotrith (*a*) „ & Marcuuart,& duodecim Comites his nominibus appellatos, „ Brun Ducem & fratrem Reginæ, Wigmannum, Bardonem, „ alterum Bardonem, & tertium Bardonem, Thiotherium, „ Gerricum, Liutolfum, Folcuuartum, Avan, Thiotricum, „ Liutharium, cum omnibus qui eos sequebantur, occiderunt. „ Præterea xviii. Satellites Regios cum suis hominibus prostraverunt, quorum ista sunt nomina: Aderam, Alfuvini, „ Addasta, Aida, Alcer, Aida, Dudo, Bodo, Wal, Adalwini, Weirnhart, Thiotrich, Ailwart, exceptis innumerabilibus, quos in captivitatem duxerunt „. Bertinianus idipsum habet de Bello Northmannico ad ann. 880. „ Ludovicus „ Rex Germaniæ, unacum (*b*) uxore sua Aquis in istas partes „ iter arripuit, & usque ad Duciacum venit: (*c*) ubi Gozlenus „ & Chuon-

a Henschenius ad diem 2. Febr. ostendit, eos omnes qui in bello Nortmannico occubuere, publica veneratione coli, eosque appellat *Martyres Ebbekesdorpienses*, seu *Ebbekesdorpienses*, ab insigni Monialium S. Benedicti cœnobio, sito in ea Saxoniæ inferioris parte, quam Luneburgici Duces possident, in quo celeberrima fuit horum Sanctorum Martyrum memoria, ex quibus *Theodoricus* fuit Episcopus Mindensis, *Marquardus* Episcopus Hildensheimensis, & *Bruno* Dux Saxoniæ.

b Liutgarda nomine. Metensis ad ann. 882.

c Gozlenus Abbas & Chonradus Parisiaci Comes ann. 879. miserant nuncios ad Ludovicum, ut usque Metis venire acceleraret, & illuc omnes Episcopos & Abbates ac Primores Regni Galliæ ad illum perducerent.

„ & Chuonradus obviam illi venerunt: quamplurimis jam de illorum complicibus ab illorum societate retractis: Indeque Ludovicus & uxor sua ad Attiniacum, indeque ad Ercuriacum, & sic usque ad Ribodimontem pervenerunt. Et videntes, quia Gozlenus & Chuonradus quod ei polliciti fuerant, attendere nequiverunt, & ipse & uxor sua quæ speraverunt, obtinere non possent: peractis amicitiis cum filiis Ludovici (*Balbi*) & condicto Placito futuro mense Junio ad Gundulphi villam, reversi sunt in patriam suam; & inveniens Ludovicus Nortmannos in itinere, Domino opem ferente magnam ex illis partem occidit exercitus suus. Sed in Saxonia magnum damnum de fidelibus suis per Nortmannos sustinuit.

VIII. Sclavi Dalmatii, Behemi, & Sorabi in Thuringiam invadentes, a Poppone Comite prosternuntur. Carlomannus moritur. Ludovicus ejus frater, Arnulfo Carlomanni filio Carinthiam concedit.

Pergit Fuldensis ad ann. 880. „ Rex vero (Ludovicus) de Gallia rediens in Franciam, Pascha celebravit in Franconofourt. Sclavi qui vocantur Dalmatii, & Behemi, atque Sorabi, ceterique circumcirca vicini, audientes stragem Saxonum a Nordmannis factam, pariter conglobati, Thuringos invadere nituntur, & in Sclavis circa Salam fluvium Thuringis fidelibus prædas & incendia exercent. Quibus Poppo Comes occurrit, & de divino auxilio fretus, eos prostravit „. Metensis „ Anno 880. Carlomannus Rex paralysi dissolutus diem clausit extremum VII. Non. Apr. sepultusque est cum debito honore in Bajoaria, in loco qui dicitur Hodingas „. *Fuldensis* „ Ann. 880. Karlmannus, frater Ludovici & Caroli, XI. Kal. Apr. obiit „. Metensis ad eundem ann. „ Ludovicus comperto, quod frater obiisset, Bajoariam ingressus, Reganasburch venit, ubi omnes optimates Regni ad eum confluentes, ejus ditioni se subdiderunt. Concessit autem idem Rex Arnulfo Carantanum, quod ei pater (*Carlomannus*) jam pridem concesserat, in quo situm est castrum munitissimum, quod Mosaburch nuncupatur, eo quod palude impenetrabili locus vallatus difficillimum adeuntibus præbeat accessum „. Conradus Abbas Urspergensis & Hermannus Contractus: „ Anno Domini 880. Ludovicus frater Caroli, vivente fratre suo Carlomanno, Bajoariam ingreditur. Carlomannus obiit „. Uterque minus recte, circa invasam a Ludovico Bajoariam, vivente Carolomanno. At Marianus Scotus in alium errorem impegit, dum ad ann. 881. scri-

ſcribit : „ Carlomannus major, Rex Bajoariæ, pater Arnoldi, „ obiit paralyſi, VII. Non. Apr.

IX.

Carolus Ludovici frater, Imperator coronatur. Nortmanni incenſo Niumago Palatio recedunt. Altera Nortmannorum graſſatio ſub Regibus Godefrido & Sigifredo, qua Leodium, Trajectum, Colonia, Brunna aliæque urbes incendio ſunt vaſtatæ. Vala Metenſis Epiſcopus occiſus. Ludovicus Germaniæ Rex moritur, Carolus Imp. probroſam pacem cum Nortmannis facit, ea conditione, ut Godefridus Rex Chriſtianum ſe fieri polliceretur, eique Friſia provincia concederetur & Gisla Lotharii filia in uxorem daretur.

Anno 881. Metenſis. Carolus de Alemannia egreſſus, Langobardorum fines occupavit, ac in paucis diebus totam Italiam in deditionem accepit, & Romam perveniens, a Præſule Apoſtolicæ Sedis Joanne & Senatu Romanorum favorabiliter exceptus, cum magna gloria Imperator creatus eſt. Nimirum die Natali Chiſti Domini anno exeunte 880. uti oſtendit Pagius ad ann. 881. num. 1. & ſeqq. Pergit Metenſis. Per idem tempus Normannorum claſſis Wal fluvium ingreſſa, Niumago Palatio Regio applicuit, ibique caſtra poſuit. Quod factum quum ad notitiam Ludovici perlatum eſſet, abſque dilatione cum exercitu venit, & munitionem obſidione clauſit. Conſerto nonnullis diebus certamine, non adeo prævaluit, quia Palatium ingentis magnitudinis, mirique operis, hoſtibus tutiſſimum præbebat receptaculum. In qua congreſſione captus eſt ab adverſariis Eberhardus Saxo filius Meginardi Comitis, & captivus ductus. Quem poſtea mater Eveſa magno pretio dato incolumem recepit. Poſtremo Rex accepta pollicitatione, quod ſi ab obſidione ceſſaret, Normanni continuo e Regno ejus decederent, cum omnibus copiis receſſit. Illo recedente pagani Palatium unacum munitione flammis exurentes, navibus aſcenſis oſtia Rheni repetunt. Item eodem anno menſe Novembrio duo Reges Normannorum, Godefridus & Sigefridus, cum inæſtimabili multitudine peditum & equitum conſederunt in loco, qui dicitur Haslon juxta Moſam. Et primo quidem impetu finitima loca depopulantes, Leodium civitatem, Trajectum caſtrum, Tungrenſem urbem incendio cremant. Secunda incurſione, Ribuariorum finibus effuſi, cædibus, rapinis, ac incendiis omnia devaſtant. Coloniam Agrippinam, Brunnam civitates, cum adjacentibus caſtellis, ſcilicet Tulpiacum, Juliacum, & Nuiſam, igne comburunt. Poſthæc Aquis Palatium, Indam, Malmundarias, Stabulaus Monaſteria in favillam redigunt. *Fuldenſis*. *Anno* 881. Rex Ludovicus poſt Paſcha in Galliam profectus, Hugonem Lotharii ex Vualdrada filium ad ſe venientem in ſuum ſuſcepit dominium... Rex cum ſuo nepote Ludovico apud villam Gundolphi congruum habuit colloquium. Inde tranſiens omne tempus æſtivum, in Bajoaria

ria moratus est. Nepos vero illius cum Nordmannis dimicans, nobiliter triumphavit: nam IX. millia equitum ex eis occidisse perhibetur. At illi instaurato exercitu & amplificato numero equitum, plurima loca in regione Regis nostri vastaverunt, hoc est, Cameracum, Trajectum, & pagum Hasbanicum, totamque Ripuariam; præcipua etiam in eis Monasteria, idest, Prumiam, Indam, Stabulaus, Malmundarium, & Aquense Palatium, ubi in Capella Regis equis suis stabulum fecerunt. Præterea Agrippinam Coloniam, & Brunnam civitates cum Ecclesiis & ædificiis incenderunt. Qui autem inde evadere potuerunt, sive Canonici, sive Sanctimoniales, Moguntiacum fugerunt, Thesauros Ecclesiarum & Sanctorum corpora secum portantes „ Bertinianus hanc Nortmannorum grassationem anno 881. factam indicat, dum ad annum 882. sic scribit. „ Ubi „ (apud Compendium) nunciatum est ei (Ludovico Galliæ „ Regi) quia sobrinus suus Ludovicus Ludovici Germaniæ „ Regis filius inutiliter sibi & Ecclesiæ & Regno vivens, morti „ succubuit... Ipse ultra Sequanam... usque Turones perrexit: ubi infirmatus est corpore, & lectica deportatus usque „ ad Monasterium S. Dionysii, mense Augusto ibi mortuus est „ & sepultus: Primores autem Regni expeditum nuncium miserunt ad Carolomannum mandantes, ut relictis qui Viennam obsiderent & seditioni Bosonis resisterent, ipse quantocius ad eos venire festinaret: quoniam hostiliter ipsi præparati erant in occursum Nortmannorum, qui civitates Coloniam & Treviris cum Monasteriis sibi contiguis jam incensas „ haberent, & Monasterium S. Landberti in Leudico, & Prumiæ, & inde Aquis etiam Palatium, omniaque monasteria parochiarum, Tungrensis videlicet, Atrebatensis, Cameracensis, & partem Remensis, Parochiæ suæ ditioni addicta, „ & partim cum castello Mosomagensi incensa, & Walam Metensem Episcopum contra sacram auctoritatem & Episcopale „ ministerium armatum & bellantem occisum, & socios ejus „ fugatos habebant. Ipsi autem parati erant illum recipere, & se „ illi commendare, sicut & fecerunt „. Quod igitur de Northmannis narratur, ad annum 881. referendum est: quod vero de morte Ludovici Regis, deque Carolomanno ejus fratre a Galliæ Primoribus invitato subjungitur, anno 882. contigit.

Quare Sigebertus fallitur, qui Normannorum grassationes ad ann. 882. ponit, Walæ autem Metensis Episcopi cædem ad annum 883.

Anno 882. *Fuldensis.* Ludovicus invalescente morbo, XIII. Kalend. Decembris (*a*) diem ultimum clausit, cujus corpus translatum, & in monasterio Sancti Nazarii, quod dicitur Lauresham, juxta patris sui tumulum sepultum est. Quod audiens exercitus, qui contra Nordmannos missus fuerat, ab expugnatione hostium desistens, infecto negotio rediit. Quorum Nordmanni inde transeuntium vestigia secuti, cætera quæ prius dimiserant, incendio cremaverunt usque ad Confluentem castellum, ubi Mosella Rhenum ingreditur. Murus Mogontiæ urbis restaurari cœptus, & fossa murum ambiens extra urbem facta. Nordmanni de sua munitione egressi, Treverensem urbem invaserunt, & habitatoribus urbis partim expulsis, partim occisis, totam in Non. Apr. incenderunt. Quibus Walah Metensis Episcopus incaute cum paucis occurrens, occisus est. Nordmanni ereptis quos poterant rebus cum omnibus, ac quam pessime & visui horribilior erat, quibusdam locis & Ecclesiis dimissis, quibusdam concrematis, reversi sunt in suam munitionem, quæ circumsepta constabat secus litus Mosæ fluminis, loco qui dicitur Ascloha, de Rheno milliar. XIV. Carolus quippe quum audisset obitum fratris sui majoris, de Italia, jam Imperator factus, per Bajoariam iter suum in Franciam direxit: Placitum generale ad Vvormatiam tenuit, receptis Primoribus ex Regno fratris sui mense Majo. Post hæc præparatis copiis ex omni Regno suo, Langobardis, Alemannis, Francisque secum assumptis, ille ex Occidentali parte contra Nordmannos, Bajoarii ex Orientali Rheni fluminis usque ad Antrinacha, tandem se transmiserunt. Ibi diviso exercitu, Bajoarii cum Principe eorum Arnulfo (*Carolomanni defuncti filio*) Franci cum Heinrico (*Popponis Comitis fratre*) missi manu cum valida ante Regem & exercitum, ut quasi incautos & inæstimantes quandam partem inimicorum extra munitionem invenirent, & insidiis cape-

a Leg. *Febr.* Sic enim continuator Lambecianus ad ann. 882. „ Stella Cometes XV. „ Kal. Febr. prima hora noctis apparuit.. Nam Ludovicus invalescente morbo, XIII. „ Kal. ejusdem mensis, diem ultimum clausit „. Vide Pagium ad ann. 882. num. XI. Hinc enormiter errat Lambertus, qui ad ann. 879. „ Ludovicus Rex (ait) filius Ludovici Regis obiit, cui frater ejus Carolus successit.

perent... Et ita factum foret, ni nostri muneribus corrupti, ut fama refert, de parte Francorum proditores essent, & impedirent. Sed tamen paucis occisis, reversi sunt ad Regem. Redeuntibus illis, alio Rex arrepto itinere, cum omni exercitu fines & munitionem Nordmannorum ipsis cum eorum Regibus, idest, Sigifrido & Godefrido, Principibus Wrm, Hals, intus inclusis, occupavit: castra exercitus in circuitu prope civitatem fieri præcepit; sicque per dies XII. obsessam constrinxit. Nam XII. Kal. Augusti post medium diem tenebrosa subito caligo tota castra operuit, fulgure & tonitru concrepante, & talis grando, ut nullus antea mortalium se tale quid vidisse profitetur... Igitur per tot dies obsidens tam magnus exercitus æstivo in tempore propter putredinem cadentium hominum ægritudine correptus ac pertæsus est. Nec minus inclusi simili molestia premebantur. Consultum est ex utraque parte, ut datis ex nostra parte obsidibus, Rex Sigifridus, qui manu validior erat, veniret extra munitionem supra VI. milliaria ad Regem. Primum juramento contestatus est, quod ex illa hora & ultra, usque dum Karolus Imperator viveret, nunquam in suum Regnum hostili prædatione esset iturus: dehinc Christianitatem professus, ipsum Imperatorem patrem in Baptismate acquisivit. Duos ibi dies læti versabantur, quum remissis nostris obsidibus de munitione, ipse e contrario cum maximis muneribus remissus est ad sua. Munera autem talia erant; In auro & argento bis mille libræ & LXXX. vel paulo plus, quam libram per XX. solidos computamus expletam. Ita compositis rebus regrediens, etiam Rex in Confluente castello cuncto exercitu amabilem licentiam redeundi concessit. Civile bellum inter Saxones & Thuringos exoritur, machinantibus Poppone fratre Henrici, & Eginone Comitibus. Magna post clade Poppo cum Thuringis inferior extitit. In illis diebus redeuntibus Bajoariis domum, magna & immanis pestilentia in tota Norica excrevit, ut sæpe duo cadavera in unum tumulum sepelirentur. Rex autem morabatur in Germania, & ante Natalem Domini Placitum habuit ad Vvormatiam, ubi multiformis nunciis Maravorum aliarumque gentium receptis, & auditis, compositisque rebus, remeavit in Alemanniam. Heinricus quoque missus contra Nordmannos, ibi prospere prout potuit dispositis rebus reversus est.

Bertinianus. „ Anno 882. Dum autem (Carolomannus „ Galliæ Rex) in eodem procinctu degeret mense Septembrio, nunciatum est illi certo nuncio, quia capta Vienna, „ uxorem Bosonis & filiam ejus Richardus frater ipsius Bosonis „ ad Comitatum suum Augustodunensem adductam habebat. „ Sed & Astingas, & complices illius Nortmanni ex Ligeri „ egressi, maritimas partes petierunt. Carolus autem Imperator contra Nortmannos venit cum multo exercitu usque ad „ illorum firmitatem. Quo veniens, concidit cor ejus, & „ placida mente Gotafridum cum suis, ut Baptisma susciperet, „ & Frisiam aliosque honores, quos Roricus habuerat, reciperet, interventione quorundam, obtinuit. Sigefrido etiam, „ & Vvormoni, illorumque complicibus, plura millia argenti „ & auri, quæ de thesauro S. Stephani Metensis, aliorumque „ Sanctorum locis arripuit, eis dedit: & ad devastandam Regni sui atque Consobrini sui partem, sicut antea fecerant, residere permisit. Hugoni autem junioris Lotharii filio facultates Ecclesiasticas Metensis Episcopii, quas Sacri Canones futuro Episcopo reservari præcipiunt, ad consumendum remisit. Engilbergam vero Ludovici Italiæ Regis uxorem, quam Imperator in Alemanniam transduxerat, per „ Leudoardum Vercellensem Episcopum Joanni Papæ, sicut petierat, Romam remisit: & sic versus Vvormatiam, Placitum suum Kalendis Novembris habiturus, a Nortmannis „ recessit.

Metensis. Anno 882. Normanni audita morte Regis (Ludovici) nimio exultant tripudio, &, jam non de conflictu, sed de præda cogitant. Igitur cum omnibus viribus a munitione exiliunt, & Trevirorum nobilissimam civitatem Galliarum Nonis Aprilis, die sacratissimæ Cœnæ Domini, occupant. In qua usque ad sanctum diem Paschæ (8. *Apr.*) fessa ab itinere corpora recreantes, omne territorium urbis circumquaque usque ad solum demoliti sunt. Deinde civitatem flammis exurentes, Mediomatrico dirigunt aciem. Quod quum comperisset ejusdem urbis Antistes (*a*) Vvala, adjuncto sibi Bertulfo Epi-

a Vala Metensis, Bertulfus Trevirorum, Antistites. Quorum primus anno 882. in prælio Nortmannico cæsus fuit: alter Idibus Febr. anno 883. obiit, Metensi teste, Ratbodo die VI. Id. Apr. ei succedente: a quo Ratbodo Rotbertus in Metensi Ecclesia X. Kal. Maji ejusdem anni 883. consecratus fuit.

Episcopo, & Adhelardo Comite, ultro illis obviam ad pugnam procedit. Inito certamine, Normanni victores extiterunt. Isdem Vvala Episcopus in prælio cecidit: ceteri vero fugerunt. Pagani iter quod ceperant deserentes, cum ingenti præda, summa celeritate, ad classes revertuntur. Ea tempestate Carolus Imperator in Italia morabatur. Ubi diversis legationibus Germaniæ ac Galliæ pulsatur, ut ad suscipienda Regna sibi hæreditario jure competentia festinaret, & periclitanti Imperio succurreret, quod capite amisso, ludibrio hostibus erat. Qui nihil tardatus, cum omnibus copiis in Franciam venit, & cum Langobardis, Bajoariis, Alamannis, Thuringis, Saxonibus, Fresonibus, & cum omnibus Regnis suæ ditioni subditis, Normannos in supradicto loco obsidere exorsus est. Sed conatus ejus parum effectum obtinuit, quamquam, ut diximus, ex diversis Regnis & gentibus inæstimabilis multitudo in unum confluxisset; indignatione cælesti super populum Christianam Religionem profanantem desæviente. Novissime Godefridus Rex Normannorum ea conditione Christianum se fieri pollicetur, si ei munere Regis, Fresia provincia concederetur, & Gisla filia Lotharii in uxorem daretur. Quæ ut optavit adeptus, baptizatus est, & ex sacro fonte ab Imperatore susceptus. Sigifredo autem, & reliquis Normannis immensum pondus auri atque argenti expositum est: & tali tenore fines Regni excedunt.

Quæ laudati Annalistæ referunt de Normannorum grassationibus, deque probrosa pace inter eos & Francos facta, illustrantur ex illis quæ Continuator Lambecianus Fuldensium Annalium habet. „ Carolus Imperator audito fratris sui (*Ludovici Germaniæ Regis*) obitu, de Italia perrexit in Bajoa-
„ riam, & optimates qui fuerunt fratris sui, ad se venientes,
„ in suum suscepit dominium. Deinde Vvormatiam veniens,
„ cum suis undique venientibus consiliatus est, quomodo Nord-
„ mannos de suo Regno expelleret. Statuto itaque & condi-
„ cto inter eos tempore, convenerunt de diversis provinciis
„ viri innumerabiles, & omnibus hostibus formidandi, si Du-
„ cem habuissent idoneum sibique consentientem: hoc est,
„ Franci, Norici, Alamanni, Thuringi, atque Saxones; pa-
„ rique intentione profecti sunt contra Nordmannos pugnare
„ cu-

„ cupientes, quo quum perveniſſent, munitionem illorum, „ quæ vocatur (*a*) Aſcloha, obſederunt. Quumque jam expugnanda eſſet munitio, & hi qui intus erant, timore perculſi, mortem ſe evadere poſſe deſperaſſent, quidam ex conſiliariis Auguſti, Liutwardus Pſeudo-Epiſcopus (*Vercellenſis*,) ceteris conſiliariis qui patri Imperatoris aſſiſtere ſolebant ignorantibus, juncto ſibi Vvicberto Comite fraudulentiſſimo, Imperatorem adiit, & ab expugnatione hoſtium, pecunia corruptus, deduxit, atque Gotafridum Ducem illorum Imperatori præſentavit, quem Imperator more Achabico quaſi amicum ſuſcepit, & cum eo pacem fecit, datis ex utraque parte obſidibus: quod Nortmanni acceperunt pro omine. Et ut pax ex illorum parte rata non dubitaretur, clypeum juxta morem ſuum in ſublime ſuſpenderunt, & portas munitionis aperuerunt. Noſtrates autem calliditatis illorum expertes, eandem munitionem ingreſſi ſunt, alii quidem cauſa negotiandi, alii vero pro loci firmitate conſideranda. At Nordmanni ad conſuetam calliditatem converſi, clypeum pacis deponunt, portas claudunt, & omnes ex noſtris intus inventos aut occiderunt, aut catenis ferreis ligatos ad redimendum ſervaverunt. Sed Imperator tantam contumeliam exercitui ſuo illatam flocci pendens, prædictum Gotafridum de fonte Baptiſmatis levavit, & quem maximum inimicum & deſertorem Regni ſui habuerat, conſortem Regni conſtituit. Nam Comitatus, & Beneficia, quæ Rorich Nordmannus, Francorum Regibus fidelis in Kinnim tenuerat, eidem hoſti ſuiſque hominibus ad inhabitandum delegavit. Et, quod majoris eſt criminis, a quo obſides accipere, & tributa exigere debuit, huic, pravorum uſus conſilio, contra conſuetudinem parentum ſuorum, Regum videlicet Francorum, tributa ſolvere non erubuit. Nam theſauros Eccleſiarum, qui propter metum hoſtium abſconditi fuerant, abſtulit, ex auri puriſſimi atque argenti, ad confuſionem ſui totiuſque exercitus qui illum ſequebatur, libras 2412. eiſdem dedit inimicis. Præterea quiſque de ſuo exercitu in defenſione Sanctæ Eccleſiæ, zelo Dei commotus, aliquem de Nordmannis qui caſtra invadere tentabant, occidit,

a Locus a Rheno XIV. mill. diſtans, juxta Pontanum lib. 4. Rer. Danicar.

„ dit, aut eum jugulare aut ei oculos eruere præcepit. Inde „ exercitus valde contristatus, dolebat super se talem venisse „ Principem, qui hostibus favit, & eis victoriam de hostibus „ subtraxit; nimiumque confusi redierunt in sua. Nordmanni „ vero de thesauris & numero captivorum, ducentas naves „ onustas miserunt in patriam, ipsi in loco tuto se continentes. „ Imperator inde transiens, Moguntiacum venit, & inde ad „ villam Tribure, ibique per plures moratus est dies. Qui „ etiam Vvangioni Placitum habuit, & parum utilitatis de- „ crevit. Nordmanni portum, qui Frisiaca lingua (a) Ta- „ venteri nominatur, ubi Sanctus Liobomus requiescit, plu- „ rimis interfectis succenderunt.

Emendandus ergo Fuldensis, qui pro *Godefrido*, baptizatum ait *Sigifridum*. Vide Pagium ad ann. 882. num. xv. qui addit num. xvi. ex Bertiniano, eodem *anno* 882. III.*Non. Augusti obiisse Ludovicum Galliarum Regem*: cujus tamen obitum perperam ad annum 883. differt Annalista Metensis, in hæc verba: „ Anno Dom. Incarn. 883. Ludovicus Rex filius „ Ludovici Balbi moritur apud S.Dionysium,ibique honorabi- „ liter tumulatur ... Carolomannus frater Regnum illius obti- „ net „. Marianus autem Scotus ad ann. 884. „ Ludovicus „ filius Balbi obiit apud S. Dionysium, ubi & sepultus est, cu- „ jus Regnum frater ejus Carolomannus accepit „. Folquinus demum Monachus Sithiensis, *Ludovici mortem* collocat *anno* 881. Emendandus etiam Sigebertus, qui res anno 882. supra de Nortdmannis narratas, differt ad ann.884. sic scribens: „ Carolus Imper. ex Gallis & Germannis ad auxiliandum Re- „ gno evocatis, Normannos obsidet. Cum quo Godefridus „ Rex facto fœdere, ut sibi Frisia provincia, & Gisla filia Lo- „ tharii Regis uxor daretur, baptizatus est, & ab Imper. de „ sacro fonte susceptus: Sigefrido quoque Rege nimis mune- „ rato, eos a Regno suo recedere fecit. Qui mox Franciam re- „ petentes, post multas incursiones, a Carlomanno Rege Fran- „ corum, duodecim millia argenti probati pro tributo exigunt, „ & sic in duodecim auras pacem promittentes mare repe- „ tunt „. Hoc postremum anno 884. contigit: sed pax a Carolo Imp. cum Nortmannis facta est anno 882.

Ha-

a Nunc Deventria in Belgio fœderato ad Isaram fluvium. Pagius an. 882. n. xv.

X.
Normannorum incursiones in Regnum Lotharii. Eleemosynæ ab Aëlredo Rege in Indiam missæ.

Hactenus Fuldensis & Bertinianus apud Duchesnium T. 2. Scriptor. Francor. pag. 575. & Tom. 3. pag. 261. Quæ sequuntur, ex eorumdem Continuatoribus, Metensi, Hildensheimensi, aliisque descripta sunt.

Anno 883. Freherianus Fuldensium Annalium Continuator. Iterum inter Popponem & Eginonem discordia cum crudeli bello concrepat: quorum Poppo, prout antea solebat, inferior extitit. Henricus, frater Popponis scilicet, quum Nordmannorum manum validam Prumiam venire cognoscit, usque eos, ut dicunt, nullo evadente, cum suis ad internecionem delevit. Et ille vero vulneratus evasit. Chronicon Saxonicum a Christo nato usque ad ann. 1154. deductum, apud Pagium ad ann. 883. num. XII. „ Hoc anno perrexerunt Pagani (*Dani „ scil. vel Normanni*) per Scaldim ad Candoth (*al. Cendath*) „ & ibi commorati sunt anno uno. Marinus item, insignis ille „ Papa, misit Lignum Domini, Aëlredo Regi. Eodem item „ anno detulerunt Sighelmus & Aëthelstanus eleemosynas Ro- „ mam, quas Aëlredus Rex eo voverat; in Indiam item ad „ Sanctum Thomam & Sanctum Bartholomæum „. Pagius addit: „ Qui Indorum Apostoli censentur. Indiæ nomine tam „ hic Scriptor, quam passim alii Ecclesiastici, Æthiopiam in- „ telligit „. At nemo Orientalium Scriptorum, Thomam in Æthiopia prædicasse scribit, sed in India inter Indum & Gangem; quemadmodum & Bartholomæum in Armenia majore.

Anno 884. Metensis. Normanni, qui ab Haslon recesserant, Somnam fluvium intrant, ibique consederunt. Quorum creberrimas incursiones quum Carolomannus (Rex Galliæ post obitum Ludovici fratris) sustinere non posset, pecuniam pollicetur, si a Regno ejus excederent. Mox avidæ gentis animi ad obtinendam pecuniam exardescunt, & XII. millia pondera argenti puri atque probati exigunt, totidemque annis pacem promittunt. Accepta tam ingenti pecunia, funes a litore solvunt, naves conscendunt, & marina litora repetunt. Interim Carolomannus venatum perrexit, ubi & ab apro graviter vulneratus, post modicum vitam cum Regno amisit, sepultusque est apud Sanctum Dionysium. *Et mox*. Normanni cognita morte Regis, protinus in Regnum revertuntur. Itaque Hugo Ab-

ba

ba & ceteri Proceres, Legatos ad eos dirigunt, promiſſionem & fidem datam violatam eſſe proclamant. Ad hæc illi reſpondent, ſe cum Carlomanno Rege, non cum alio aliquo fœdus pepigiſſe. Quiſquis ille eſſet, qui in Regnum ejus ſuccederet, ejuſdem numeri & quantitatis pecuniam daret, ſi quiete ac pacifice Imperium tenere vellet. Territi hujuſmodi mandatis optimates Regni, ad Carolum Imperatorem Miſſos dirigunt, eumque ultro in Regnum invitant. Eique advenienti ad Gundulphi villam obviam procedunt, & manibus ſacramentiſque juxta morem datis, ejus ditioni ſe ſubjiciunt. Eodem anno Normanni, qui in Chinheim ex Denimarca venerant, adſentiente Godefrido, Yhen navigio aſcendunt, & Diusburch oppido occupato, munitionem in eodem loco more ſolito conſtituunt, & in eo tota hieme reſident. Contra quos Heinricus Dux caſtra poſuit, & nullatenus prædas agere permiſit. Redeunte vero vernali temperie, caſtris exuſtis, maritimis locis ſe recipiunt. His etiam diebus Normanni a Somna exeunt, & rurſus in Regnum Lotharii revertentes, in loco qui dicitur Lovon, caſtrametati ſunt in confinio ejuſdem Regni, & continuis incurſionum infeſtationibus utraque Regna fatigant. Ad quorum malitiam compeſcendam, Imperator ſemel & iterum exercitum miſit. Sed nihil dignum memoriæ adverſus tantam violentorum rapacitatem actum eſt.

XI. Exorti in Pannonia tumultus ob præfecturam Limitis Arboni conceſſam. Zventibaldus Moraviæ Rex Pannoniam triennio diripit. Caroli Regis interventu, pax inter Arnulfum Regem & Zventibaldum fit, Pannonia Tranſdanubiana Zventibaldo conceſſa. Braslavus inter Dravum & Savum Rex.

Freherianus Fuldenſium Annalium Continuator. „ Anno 884. Pannonia magnum detrimentum patitur: cujus rei „ unde exordium narratur aſſumpſiſſe, ſtylo enucleamus. Igi„ tur quum duo fratres, Willihelmus, & Engilſcalchus termi„ num Regni Bajowariorum in Oriente a Rege (ideſt, ſenio„ re Ludovico) conceſſum contra Maravonos tenuerunt, mul„ taque pro patria tuenda confligendo ſudaſſe feruntur: tan„ dem diem ultimum hujus aëris in eadem voluntate finivere „ permanentes. Quum vero non eſſet honor illorum filiis „ redditus, Arbo in Comitatum (a) Domno Rege conce-

a Hanſizius Tom. I. Germ. ſacr. pag. 165. initium horum in Pannonia tumultuum conferre videtur ad ann. 882. & finem ad ann. 884. Sic enim ſcribit. „ Carolo„ mannus anno 879. XI. Kal. Apr. humanis exceſſerat. Ludovicus ejus frater obiit „ anno 882. XIII. Kal. Febr. cui ſuffectus in Germaniæ Regno Carolus fratrum ter„ tius, quem dixere Craſſum. Sub eo novi tumultus in Pannonia coorti: pro Li„ mitis

„ dente successit. Quod prædictorum virorum pueruli, illorumque propinqui in contrarium accipientes, dixerunt alterutrum fieri, & Arbonem Comitem, si non recederet de Comitatu parentum suorum, & seipsos ante faciem gladii morituros. Hoc experimento Arbo concussus, amicitiam iniit cum Zventibaldo Duce Maravorum gentis, firmatoque inter illos fœdere, filium suum obsidem fieri non tardavit. Nec minus ipsi prædicti pueri consulunt quosdam Primores Bajowaricæ gentis, collatisque propinquis ac undique copiis, fortior manus in id tempus illis adstabitur. Comitem a Rege constitutum inhonorifice expellebant, Comitatumque illis in usum usurpaverunt. Hoc ergo factum est post obitum Ludovici Regis, natorumque ejus Carlmanni & Ludovici: quorum successor frater illorum minimus in Regno exstitit. Qui mox, prout antea tenuit, Arboni prædictum Comitatum reddidit: sed tamen ex hac re contexta, ut prædiximus, detrimentum Pannonia (*a*) sensit. Igitur eodem anno, quo illi pueri prædictum Comitem Arbonem, a Rege commendatorum exortem fieri honorum impetraverunt, Zventibaldus Dux Maravorum, plenum doli & astutiæ cerebrum, non immemor utriusque, quanta ab antecessoribus istorum puerorum cum gente sua, usque dum ad illos terminum Bajowariorum prætenderunt, passus sit mala; insuper etiam amicitiæ ac juramenti, quæ cum Arbone iniit pe-

„ pi-

„ mitis Orientalis Præfectura certabarut. Eam gerebat Arbo, exclusis Wilhelmi & Engilschalci nupernorum Præfectorum filiis, quorum tres erant, Megingot, Pabo, Wetinharins. Hi propinquorum opibus Arbonem expellunt; Zventibaldus, plenum doli & astutiæ cerebrum, ut scribit Annalista Fuldensis, discordiam vicinorum rem suam ratus, Arbonem sustinebat, direpta primum boreali parte Danubii. Pueri ad Arnulfum Pannoniæ tunc Dominum defecerant: Zventibaldus Arnulfum pueros tradere nolentem aggressus, transcenso Danubio, provinciam fœdissime diripit, in triennium continuata clade; *tota Pannonia*, quod ait Annalista laudatus, *a Hrapa ad Orientem deleta*. Demum anno 884. Caroli Regis interventu, qui ad Orientem ipse profectus *prope flumen Tullinam monte Comiano colloquium cum Zventibaldo habuit*: conventa pax, Arbone in præfecturam reposito, & Panoonia Zventibaldo permissa, quæ inde dicta *Moravia magna*. quam in potestate Zventibaldi fuisse, vel inde colligitur, quod annis ab hinc aliquot Arnulfus legatos suos ad Bulgaros mittere terrestri itinere ob insidias Zventibaldi haud potuerit: coactus eos mittere per Regnum Brazlavonis, quod inter Dravum & Savum erat: qui profecti per fluvium Odogra usque ad Gulpam, dein per Savum: quæ omnia nos docet Annalista Fuldensis „. Nimirum Freherianus Fuldensium Annalium Continuator: nam Fuldensis in anno 882. (sicuti & Bertinianus) desinit.

a Quatuor versiculos intermiscet continuator.

„ pigitque, ad hoc vindicare proficiſcitur, & perfecit. Nam
„ de ſeptentrionali parte Iſtri fluminis apprehenſo Werinhario
„ de pueris Engilſchalchi, qui tres habuit mediocri ... Vezzil-
„ loni quoque Comiti, qui illorum propinquus erat, dextram
„ manum cum lingua, & (monſtri ſimile) verenda & genita-
„ lia, ut nec ſignaculo deſiſtente, abſciderunt. Homines vero
„ illorum quoſdam ſine dextra lævaque reverſi ſunt. Exercitus
„ ſcilicet juſſu Ducis igne devaſtat omnia: inſuper ultra Da-
„ nubium miſſis ſpeculatoribus, ubicumque proprietas & ſub-
„ ſtantia prædictorum ſit puerorum, igni tradita ſine mora eſt.
„ Hoc ſcandalum antefatum puerulis ſpatio unius anni ſentitur.
„ Hinc equidem non confidentibus a Rege (*Carolo nempe Craſſo*) pueris aliquid boni propter delictum, quod in Ar-
„ bone commiſere, receſſerunt: ſtatueruntque fieri homines
„ Arnolfi Carlomanni Regis filii, qui tunc Pannoniam tenuit.
„ Quo audito, Zventibaldus Dux miſit nuncios ad eum, &
„ ait illi: Inimicos meos ſuſtentas; ſi eos non dimiſeris, nec
„ me tecum pacificatum habebis. Alteram etiam occaſionem
„ adverſus eum protulit: Tui homines in vitam meam, nec
„ minus in Regnum meum doloſe cum BULGARIS conſilia-
„ verunt, qui priore anno ſuum Regnum vaſtavere. Hoc volo
„ mihi cum juramento verum non eſſe, conteſtari. Quorum
„ neutrum unquam ſe facturum Arnolfus renunciavit. Itaque
„ Dux non diu collectis ex omni parte Sclavanorum copiis,
„ magno cum exercitu invadit Pannoniam immaniter, ac cruen-
„ ti more lupi mactat, igne & ferro maximam partem deva-
„ ſtat, deterit, & conſcindit, ita ut non immerito iſtam ad
„ miſeriam hic verſus componi poſſit,

Hic patriæ planctus, ſimul & miſerabile funus.

„ quo acto dolore per antefatum puerile conſilium, ſpatio
„ unius anni (*nimirum* 883.) Dux cum exercitu ſuo non lætus
„ remeavit in ſua. Ceterum vero inſtanti anno, quo iſta com-
„ putamus (*anno ſcil.* 884.) iterum Dux coagulata multitudi-
„ ne, hoſtiliter Pannoniam hoſtilem exercitum infert: ut ſi-
„ quid antea remaneret, nunc quaſi ore lupi per totum devo-
„ raſſet. Tanta enim multitudine in itinere pollebat, ut in
„ uno loco ab ortu ad veſperum lucis exercitus ejus præterire
„ videretur. Cum tanta enim multitudine in Regno Arnolfi

„ per XII. dies exspoliando versabatur; demum prout voluit „ prospere reversus est: Postea quoque missa quadam exercitus sui parte supra Danubium. Quod audientes filii Willihelmi, & Engilscalchi, qui majores natu erant, Megingor, „ & Papo, quibusdam Pannoniorum secum assumptis, contra „ illos incaute venerunt: sed tamen pugnam certaminis inire „ non utile: nam ad illos victoria concessit. Isti fugæ præsidium quærentes, Megingor & Papo in flumine, qui dicitur „ Hrapa, vitam finivere. Frater vero Bertholdi Comitis cum „ aliis quamplurimis a Sclavanis tentus est. Attendant, judicent, atque contendant detractores veri, & quibus hujus „ successoribus rei vel consilii primordia placuerint, placeant „ etiam subsequentia mala. Vituperavere autem pacem, qua „ conservata, Pannonia conservata est: qua vero vitiata, per „ spatium tantum isto continuato tertio anno dimidio instanti „ Pannonia de Hraba flumine ad Orientem tota deleta est. „ Servi & ancillæ cum parvulis suis consumpti sunt, primoribus quibusdam tentis, quibusdam occisis; & (quod turpius „ erat) truncatis manu, lingua, genitalibus, remissi sunt. „ Hæc enim omnia proculdubio geruntur sive per misericordiam, sive per iram Dei. Sed iram Dei justam vindictam „ fieri appellamus, quæ indubitanter non nisi justa sit, unquam „ evenire creditur. Imperator (*Carolus Crassus*) per Bajowariam ad Orientem proficiscitur, veniensque prope flumen Tullinam, monte Comiano colloquium habuit. Ibi inter alia „ veniens Zventibaldus Dux cum principalibus suis, homo „ (sicut mos est) per manus Imperatoris efficitur, contestatus illi fidelitatem juramento, & usque dum Carolus „ vixisset, nunquam in Regnum suum hostili exercitu esset „ venturus. Postea veniente Brazlanvorum (*a*) Duce, qui „ in id tempus Regnum inter Dravo & Savo flumina tenuit, suique militiæ, subditus adjungitur. Rex per Carentam in Italiam perrexit: prospere Papia natalem Christi celebravit.

XII. Henricus Comes & Arno Episcopus

Lambecianus Continuator apud Pagium ad ann. 884. n. 5. „ Nortmanni Saxones invadere tentaverunt, quibus Heinrich „ Co-

a Braslavone, sive Braslavo; de quo supra.

„ Comes, & Arn Episcopus cum manu valida Orientalium „ Francorum occurrerunt; consertoque prælio, plurimi ex „ utraque parte ceciderunt; sed tamen adjuvante Domino, „ Christiani obtinuere victoriam. *Et mox*. Nordmanni non „ semel, neque bis cum Heinrico dimicantes, superantur, & „ ubicumque prædatum ire volebant, fugabantur, interficie- „ bantur, Domino illis reddente quod meruerunt. Tandem „ Christianis in unum congregatis, & munitionem illorum ex- „ pugnare cupientibus, illi timore perculsi, noctu fuga lapsi „ sunt, quos Heinrich Rheno transito secutus, & in quodam „ repertos loco, centum duos ex eis absque detrimento suo- „ rum occidit. *Et post pauca*. Imperator (Carolus Crassus) „ mense Majo mediante Placitum habuit Wormatiæ, & inde „ tutores partium suarum contra Nordmannos destinavit. Ve- „ nit etiam illuc filia Hlutharii a Gotafrido, cui tradita fuerat „ in matrimonium, ad Imperatorem transmissa, quam Impe- „ rator secum aliquanto retinuit tempore, & ad maritum re- „ dire non permisit. Imperator in terminis Noricorum & Scla- „ vorum cum Zventibaldo (*Moraviæ Rege*) colloquium ha- „ buit: inde in Italiam profectus, cum Witone (*Guidone Spo- „ leti Duce*) & ceteris, quorum animos anno priore offende- „ rat, pacificatur. Nordmanni cum Frisionibus in loco, qui „ vocatur Norditi, dimicantes superantur, & plurimi ex eis „ occiduntur: super quo prælio exstat epistola Rimberti Epi- „ scopi ejusdem loci ad Liutbertum Moguntiensem Archiepi- „ scopum destinata, hunc modum continens „. De hac victo- ria Adamum Bremensem in sua historia cap. 33. scribentem laudat Pagius ad ann. 884. num. VI. Pergit porro Lambecianus Continuator: „ Karolus juvenis (Carlomannus scil.) Rex „ Galliæ, in quadam venatione ictibus cujusdam apri, fertur „ occisus; re autem vera a suo satellite in eadem venatione non „ sponte vulneratus occubuit. Unde Nordmanni, qui Re- „ gnum illius prædis, & incendiis longo tempore fatigaverant, „ audaciores effecti, XII. millia librarum & auri & argenti „ ab illa regione, tributi nomine, exegerunt; & tamen fidem „ pollicitam nequaquam servaverunt. Nam & obsides occide- „ runt, & a prædationibus minime cessaverunt.

Nortmannos fugant. Gotifridus Nortmannorum Rex, infidelitatis correptus, occiditur. Gilla ejus uxor ad Imp. transmittitur. HugoGislæ frater, tamquam conspirationisGotifridi fautor, excæcatur.

Anno 885. Continuator Lambecianus Annalium Fuldensium.

fium. Nortmanni pagum (*a*) Hafpannicum invadentes, ceteros in circuitu vicinos occupaverunt, atque fruges diverfi generis congregantes, fibi ad hiemandum & inhabitandum, quafi nullo refiftente, difpofuerunt, viris ac mulieribus quos invenire potuerunt, ad fuum fervitium refervatis. Quibus Liutbertus Archiepifcopus (*Moguntiæ*) & Heinrich Comes, aliique nonnulli infperate fupervenerunt, & plurimis proftratis, ceteros in quandam munitiunculam fugere compulerunt, frugibus quas congregaverant fublatis. Quumque diu obfeffi & fame fatigati, manum conferere non auderent, nocte quadam fuga lapfi funt. Gotafrid Nortmannus, qui Chriftianus effectus, fidem Imperatori & Chriftiano populo fe fervaturum effe facramento firmavit, fidem mentitus, exercitum non modicum de fua gente congregavit, & per alveum Rheni fluminis afcendere, & plurima loca fuæ ditioni fubjugare difpofuit; quod dum mediante menfe Majo facere inftituiffet, Deo renuente, perficere non potuit. Nam ab Heinrico aliifque fidelibus Imperatoris ad colloquium invitatus, & infidelitatis correptus, quum eos conviciis vanifque ludibriis exacerbaret, occifus eft, & omnes qui cum illo erant, Domino illi condignam infidelitatis fuæ mercedem retribuente. Nordmanni autem ab eo invitati, nefcientes quid factum erat, in Saxoniam prædatum ire pergebant; quibus quum pauci Saxones occurriffent, & tantæ multitudini rebellare timuiffent, terga Saxones verterunt. At illi longo fpatio a fuis navibus remoti, fugientes perfecuti funt, quafi eos effent comprehenfuri. Interea Frifiones qui vocantur Deftarbenzoi, quafi a Domino deftinati, parviffimis, ut eis eft confuetudo, naviculis vecti fupervenerunt, & eos a tergo impugnare cœperunt. Quod quum vidiffent Saxones, qui prius fugerant, reverfi funt, & graviter eis repugnando infiftebant, integratumque eft prælium ex utraque parte contra Nordmannos. Tanta denique in eos Chriftiani cæde bacchati funt, ut pauci de tanta multitudine relinquerentur. Quibus geftis iidem Frifiones eorum naves invaferunt, tantumque thefaurum in auro & argento, variaque fupellectile repererunt, ut omnes a minimo ufque ad maximum divites efficerentur. Hugo Lotharii

a Pagius ann. 885. num. VII., Hasbannicum, qui comitatus eft Hasbaniæ in Epifcopatu Leodienfi fitus.

rii Regis filius, cujus sororem prædictus Gotafrid duxit uxorem, insimulatus est apud Imperatorem, quod ejusdem conspirationis Gotafridi cotra Regnum Imperatoris fautor existeret. Quamobrem ad Imperatorem vocatus, & noxæ convictus, lumine oculorum una cum avunculo suo privatus est, & in Monasterium S. Bonifacii apud Fuldam retrusus, finem suæ habuit tyrannidis. *Metensis*. Anno 885. Hugo rebellare disponens contra Imperatorem, Legatos ad Godefridum in Fresiam occulte dirigit, eo quod illi esset affinitate conjunctus propter sororem quam in conjugium acceperat. His suasionum promissionibus Godefridus veluti veneno infectus, occasionem fomitis inquirit, qualiter ac si justa ratione a fidelitate Imperatoris se subducere prævaleret; statimque Gerulfum, & Gardulfum Comites Fresonum, Legatos ad Cæsarem dirigit, mandatque, si vellet, ut in ea quam pollicitus fuerat fidelitate perseveraret, finesque Regni sibi commissos ab incursione propriæ gentis defensaret, Confluentem, Andrenacum, Sincicha, & nonnullos alios fiscos obsequiis Imperialibus deditos sibi largiretur, propter vini affluentiam, quæ in his locis exuberabat: eo quod terra, quam ex munificentia Principis possidendam perceperat, minime vini ferax esset ... Quorum callida machinamenta & factionum conspirationes quum persensisset Imperator, cum Heinrico viro prudentissimo altiori consilio pertractat, quo ingenio hostem, quem in Regni extremitatibus introduxerat, extinguere posset. Et sciens esse loca inaccessibilia exercitui, propter diversarum aquarum innumeros decursus, & impenetrabiles paludes, magis id arte, quam ex virtute experiri statuit. Legatos igitur responsis absolvit, & ad Godefridum redire permisit: asserens per suos Missos de omnibus Legationum suarum causis ea responsa redditurum, quæ sibi & eidem Godefrido essent convenientia; tantum, ut in cœpta fidelitate perseveraret. Post hæc Heinricum ad eundem virum mittit: &, ut fraus quæ struebatur, occultaretur, cum eo Vvillibertum Venerabilem Episcopum Coloniæ Agrippinæ. Qui suis satellitibus secreto imperat, ut per Saxoniam properantes, non agmine facto, sed sparsim sibi occurrerent loco & die, quo eis condixit. Ipse cum perpaucis Coloniam venit. Et assumpto secum præfato Episcopo, mox in Batuam proficiscitur. Godefridus audito eorum adven-

adventu, illis obviam procedit ad locum qui dicitur Herispich, in quo Rheni fluenta & Vval, uno se alveo resolvunt, & ab invicem longius recedentes, Batuam provinciam suo gurgite cingunt. Hanc insulam ingredientes Episcopus & Comes, multa a Godefrido audiunt, multa ex parte Imperatoris respondent. Dies ad occasum vergitur. Soluto colloquio, insula excedunt, hospitia repetunt, in crastinum reversuri. Heinricus Episcopum hortatur, ut die subsequenti Gislam uxorem Godefridi extra insulam evocaret, eamque ad pacis studium provocare satageret. Interim ipse cum Godefrido causam Everhardi Comitis agitaret, cujus rerum possessio ab eo violenter diripiebatur. Deinde persuadet eidem Everhardo, ut de injustitia, quam patiebatur, in medio adsurgens se proclamaret. Et quum a ferocis & barbaræ gentis homine durius & contumeliosius verbum sibi esset prolatum, absque mora evaginato gladio eum summo annisu in capite percutit, antequam a terra elevari posset. Quid plura? Ab Everhardo primo percussus, & a satellitibus Heinrici confossus Godefridus moritur. Omnesque Normanni, qui in Batua reperti sunt, trucidantur. Non multis post interpositis diebus, Hugo ejusdem Heinrici consilio ad Gundulfi villam promissionibus attractus, dolo capitur, & jussu Imperatoris ab eodem Heinrico ei oculi eruuntur, omnesque faventes dehonestantur. Post hæc in Alamannia in Monasterio Sancti Galli mittitur, inde postea in patriam revocatur: novissime temporibus Zventibolchi Regis in Prumia Monasterio, manu mea adtonsus est: eram enim tunc temporis in eodem loco Dominici ovilis, quamvis non idoneus, tamen custos: ubi non post multos annos moritur & sepelitur.„ Quæ verba sunt Rheginonis. Unde patet, Annalium Metensium collectorem plurima ex Rheginone ad verbum transcripsisse; non autem Rheginonem ex istis Annalibus sua desumsisse. *Freberianus Fuldensium Annalium continuator*. Gotafridus Rex accusatus, in Regnum Francorum cum Nordmannis consuleret, ab ipsis etiam accusatoribus occisus est. Hugo filius Lotharii incaute in Regno Imperatoris agens, oculorum luce orbatus est. Pax in Oriente inter Arnolfum & Zventibaldum, præsentibus scilicet Bajowariorum Principibus, jusjurando constare firmatur. *Chronicon Hildensheimense*. Anno 885. Hoc an-

no

no Vvlferi Episcopus cum aliis multis occisus est a Sclavis.

XIII. Nortmanni Parisios obsident. Henricus Comes in bello cadit. Carolus Imp. concessa Sigifrido Nortmannorum Regi pecunia, eum recedere facit. Reversus Sigifridus, in Frisia interficitur. Carolo è Regno dejecto, Arnulfus in Regni solio ponitur.

Anno 886. Continuator Lambecianus Annalium Fuldensium. „ Mense Februario, exercitus Orientalium Francorum missus est contra Nordmannos in Galliam juxta Parisios consistentes, qui in itinere propter imbrium inundationem & frigus imminens, non modicum equorum suorum perpessi sunt damnum. Quum autem illuc pervenissent, Nordmanni rerum omnium abundantiam in munitionibus suis habentes, manum cum eis conferere nec voluerunt, nec ausi sunt. Igitur diebus Quadragesimæ, & usque ad tempus Rogationis inani labore consumptis, excepto quod Heinrich (*præfectus exercituum imperatoris*) quosdam extra munitionem inveniens occidit, equis & bobus plurimis inde sublatis, redierunt in sua. Interea Hugo & Gozilin (*a*) Abbates & Duces præcipui Galliæ regionis, in quibus omnis spes Gallorum contra Nordmannos posita erat, defuncti sunt. Unde Nordmanni audaciores effecti, & de sua munitione egressi, omnique regione potiti, venationes & varios ludos, nullo prohibente, exercebant. *Et paucis interpositis*. Mense Julio Imperator cum suis colloquium habuit in urbe Metensi, & inde contra Nordmannos profectus est, ubi dum aliquanto tempore moraretur, Heinrich Comes a suis desertus, & ab hostibus circumdatus occiditur. Interea Sigfrid cum magna multitudine Nordmannorum, ceteris qui ibi residebant, auxilium laturus venit, ac Christianis magnum intulit metum: unde Imperator perterritus, quibusdam per Burgundiam vagandi licentiam dedit, quibusdam plurimam promisit pecuniam, si a Regno ejus, statuto inter eos tempore, discederent. Ipse vero inde concito gradu in Alsatiam se recepit, ibique per plures dies jacuit ægrotus. „ Freherianus eorundem Annalium Fuldensium Continuator „. Anno 886. Post pascha, habito generali Papiæ conventu, Imperator per Burgundiam obviam Nordmannis in Galliam, qui tunc Parisiis erant, usque pervenit. Occisos ibi Henrico Marchensi Francorum, qui id tempus Neustriam tenuit, Rex parum prospere actis rebus,

a Pagius ad ann. 886. num. x. Gozlinus Episcopus Parisiensis erat, non vero Abbas, ut perperam habet continuator Lambecianus, & obsidionis tempore sublatus fuit, ut docet Abbo Monachus Monasterii S. Germani Pratensis in descriptione Parisiacæ obsidionis.

revertitur in sua. Discordia inter Berengarium cognatum Regis, qui Foro Juliense fruitur, & Liutwardum Episcopum oritur. Propterea Berengarius mittens Vercellinam urbem exspoliare, ibique veniens, multis rebus Episcopi abreptis, prout voluit, reversus est.

Metensis. ,, Ann. 886. Nortmanni a Somna fluvio exeunt, & rursus in Regno Lotharii revertentes, in loco qui dicitur Lovon, castra sedesque statuunt, scilicet in confinio utriusque Regni: & continuis incursionum infestationibus, utraque Regna fatigant. Ad quorum ingenitam malitiam compescendam, Imperator semel & iterum exercitum misit ,,. Sed nihil dignum adversus tantam violentorum rapacitatem actum est. Hoc ipsum idem Metensis supra dixerat ad ann. 884. Idem Metensis ad annum. 887. narrat Parisiacam obsidionem, interitum Heinrici Comitis, mortem Abbatis Hugonis & Gozelini Episcopi Parisiensis: additque de Imp. Carolo: ,, Ad extremum concessis ,, terris & regionibus, quæ ultra Sequanam erant, Nortmannis ad deprædandum, eo quod incolæ illarum sibi obtemperare nollent, recessit, & recto itinere in Alamanniam perrexit ,,. Quæ tamen omnia ad annum 886. sunt conferenda.

Anno 887. Auctor Chronici Nortmannici. ,, Sigefridus ,, Rex Northmannorum, verno finiente, in Sequanam rediit ,, agens solita: & circa autumni tempora Frisiam petiit, ibique ,, interfectus est. Northmanni vero Parisius regressi propter ,, tributum ab Imperatore promissum, receperunt illud. Post, ,, Maternum fluvium ingressi, Gonziaco sibi castra statuunt. ,, Franci vero Australes videntes Imperatoris vires ad regen- ,, dum Imperium invalidas; ejecto eo de Regno, Arnulfum ,, filium Carlomanni, qui ejus erat nepos, in Regni solio po- ,, nunt. Tunc Nortmanni omnia loca versus Mosam more so- ,, lito, partemque Burgundiæ vastaverunt, & igne concremarunt ,,. Metensis Anno 887. postquam narrasset, Carolum Imperatorem objecto adulterii crimine a suo latere cum dedecore Liudvardum Episcopum Vercellensem removisse, Ricgardem quoque Augustam in crimen adulterii vocasse (quæ tamen propter illud diffidium, in monasterium sese recepit, protestata, nunquam se coitu carnali, neque cum viro suo Carolo, miscuisse:) subjungit de Caroli exauctoratione. ,, His ita ge- ,, stis,

„ ſtis, Imperator (*a*) corpore & animo cœpit ægrotare. Menſe itaque Novembri circa tranſitum S. Martini, Triburias venit, ibique Conventum generalem convocat. Cernentes vero optimates Regni, non modo vires corporis, verum etiam animi ſenſus ab eo diffugere, Arnulfum filium Carlomanni ultro in Regnum attrahunt, & ſubito facta conſpiratione ab Imp. deficientes, ad prædictum virum certatim tranſeunt: ita ut in triduo vix aliquis remaneret qui ei ſaltem officia humanitatis impenderet. Cibus tantum & potus ex Liutberti Epiſcopi ſumptibus adminiſtrabatur. *Et poſt pauca*. Mittit ergo ad Arnulfum, ex Imperatore effectus egenus, & deſperatis rebus non de Imperii dignitate, ſed de victu quotidiano cogitans, tantum alimentorum copiam ad ſubſidium vitæ præſentis ſupplex expoſcit. Dirigit etiam Bernardum filium, quem ex pellice ſuſceperat, cum xeniis, eumque ejus fidei commendat.. Conceſſit autem Arnulphus Rex nonnullos fiſcos in Alamannia, unde ei alimonia præberetur. Ipſe vero compoſitis in Francia feliciter rebus, in Bajoariam revertitur. *Hildensheimenſis*, Ann. 887. Carolus veniens in Triburias, quum Placitum haberet poſt feſtivitatem S. Martini, conſpiratione facta adverſus eum, Orientales Franci reliquerunt eum, & elegerunt Arnulfum: & Carolus ſubjicitur Arnulfo. *Freberianus Fuldenſium Annalium Continuator* „ . Anno 887. Imp. Eliſacia magna infirmitate adgravatur. Poſtea parum convaleſcens, ad Alamanniam proficiſcitur, vergens Curtem Podonam, pro dolore capitis inciſionem accepit. Tranſacto die ſancto Paſchæ, habitum eſt Placitum Weibilinga. Ibi inter alia Berengarius ad fidelitatem Cæſaris pervenit, magniſque muneribus contumeliam, quam in Liutwardo priori anno commiſerat, componendo abſolvit. Mortuo itaque Boſone, parvulus erat ei filius de filia Ludovici Italici Regis: quem Imperator ad Rhenum villa Kircheim veniens obviam, honorifice ſuſcepit ad hominem, ſibique adoptivum filium eum injunxit. Alamanni contra Liut-

a *Hermannus Cornerus*, cujus chronicon in corpore Hiſtorico medii ævi Georgius Eccardus Tom. 2. Lipſiæ anno 1723. edidit, non modo res geſtas ut plurimum confundit, ſed in epocha fere ſemper peccat. Sic, exempli gratia, Caroli abdicationem, & Arnulfi regnum ad ann. 890. Sic etiam ad ann. 891. Swendebaldum Moraviæ Regem vocat, Nordmannorum Ducem; & alia hujuſmodi. Quod ſemel obſervaſſe ſufficiat.

wardum Episcopum dolose conspiravere, qui tunc maximus consiliator Regis in Palatio fuit, & eum a præsentia Imperatoris omni honore privatum abire compellunt. Mox vero Cæsar gravissima infirmitate detentus est. Ab illo ergo die male inito consilio Franci, & more solito Saxones & Duringi, quibusdam Bajovariorum Primoribus & Alamannorum admixtis, cogitaverunt deficere a fidelitate Imperatoris, nec minus perficere. Igitur veniente Carolo Imperatore Franconosurt, isti invitaverunt Arnolfum filium Karlmanni Regis, ipsumque ad seniorem elegerunt: & sine mora statuerunt ad Regem extolli. Carolus nitens bellum contra Arnolfum Regem instaurare, sed non proficit. Concussit timore Alamannos, quibus maxime negotium sui Regni habebat commissum: omnes penitus ab eo defecerunt, & etiam ministri ab eo defecti, sub celeri festinatione ad Arnolfum Regem se junxerunt. Carolus dum se undique a suis desertum sentit, & nesciens, quid sui causæ consilium possit fieri; tandem munera ad Regem direxit, exposcens sua gratia vel pauca in Alamannia sibi ad usum usque ad finem vitæ suæ largiri. Quod Rex ita fieri concessit. Sed tamen nec hoc diu apud se retinuit. Nam paucos dies in locis a Rege sibi concessis religiose morabatur, post Christi nativitatem die Id. Januar. ultimum diem feliciter clausit:& mirum in modum usquedum honorifice Augensi Ecclesia sepelitur. Cælum apertum multis cernentibus visum est, ut aperte monstraretur, qui spretus terrenæ dignitatis ab hominibus exuitur, Deo dignus cœlestis patriæ vernula mereretur feliciter haberi. *Annalista Metensis*. Anno 888. Carolus Imper. tertius hujus nominis & dignitatis, obiit pridie Idus Januar. sepultusque est in Augia Monasterio. Fuit vero Christianissimus Princeps, Deum timens. Cetera de ejus virtutibus ibi legenda.

Luxati hic anni apud Sigebertum Gemblacensem: nam ad ann.887. obsidionem Parisiacam & Henrici Comitis mortem collocat: ad ann. 888. narrat, quod quum Carolus Imp. Normannos nequiret expellere, tandem facto fœdere concessit eis regiones, quæ erant ultra Sequanam, quæ pars Franciæ a Normannis Normannia appellata est: ad ann. 889. quod Carolus Imp. zelatus uxorem suam pro eo, quod plus justo familiariter ageret cum Luitwaldo Vercellensi Episcopo, repudiaverit:

ad

ad annum denique 890. refert, quod Carolus Imp. corpore & animo deficiens, ab optimatibus Regni repudiatus sit, & Arnulphus filius Carlmanni Regis fratruelis ejus in Regnum sublimatus, ex Imperatore etiam necessariis egenti Carolo, fiscos in Alemannia delegavit, qui sequenti anno, hoc est 891., obierit. Quæ omnia anno non suo consignata. Hansizius Tom. 2. Germ. sacr. pag. 140. Caroli exauctorationem ad ann. 886. conferre, & Liutvardum Vercellensem cum Liutberto Moguntino videtur confundere. Sic enim narrat: „ Sed anno 886. quum „ Germaniæ proceres a Carolo Crasso abhorrerent, odio Liut- „ berti Moguntini, tum ob indicia debilitatæ mentis non ob- „ scura, legatus ad eum est communi voto Theodmarus, qui „ magisterium sacrorum nuper in Palatio Carolomanni Regis „ cum approbatione gesserat. Demum eo ventum, ut palam „ ab Carolo deficerent, invitato ad solium Arnulfo, qui mox „ Theodmarum in gradum Archicapellani optavit: qua pro- „ vincia Præsul exinde constanter functus est, expertus eun- „ dem Arnulphum in se Ecclesiamque suam multimodis beni- „ gnum „. Legantur Francici Annales: nihil in eis de odio Francorum in Luitbertum Moguntinum, sed in Liutvardum Vercellensem: quin imo de Moguntino hæc apud Freherianum ad ann.889. habentur: „ Luitbertus Mogontinæ urbis nobilis „ Archiepiscopus ab hac vita migravit. Cujus vivendi ordo „ quali probitate maneret, per omnia longum explicare „. Cetera. Theodmarus nullibi reperitur a Germaniæ proceribus ad Carolum Crassum missus, quum de illius exauctoratione agebatur.

XIV. Expenditur asserta ab Helmoldo annorum septuaginta Nortmannicæ Persecutionis epocha.

Helmoldus in Chron. Slavor. lib. 1. cap. 7. de Carolo III. vulgo Crasso, Imperatore, filio Ludovici Regis Germaniæ, & Nortmannis: „ Carolus adolescens, filius Ludovici, ipso „ tempore Roma rediens cum grandi exercitu, Nortmannos „ juxta Mosam fluvium apprehendit. Quos obsidione coar- „ tans, quintodecimo demum die ad deditionem compulit. „ Captos ergo Tyrannos Danorum, non ea qua decuit hostes „ Dei severitate ultus est; sed ad diuturnam dejectionem & „ gravem Ecclesiæ ruinam parcens impiis, accepto ab eis jure- „ jurando, & fœderis conjunctione, amplissime donatos ab se „ abire permisit. At illi Regis adolescentis inertiam irriden- „ tes,

„ tes, ubi noxia libertate potiti sunt, rursum in unum con-
„ globati, tantas strages dederunt, ut crudelitas modum ex-
„ cesserit. Quid multa? Urbes cum civibus, Episcopi cum
„ toto grege simul obruti sunt, Ecclesiæ illustres cum fidelium
„ caterva simul incensæ sunt. Quamobrem Carolus accusatus
„ in Curia, & ob stultitiam Regno depositus, Arnolfum ger-
„ mani sui filium accepit successorem. Qui congregato exer-
„ citu, fines adiit Danorum, eosque multis gravibusque præliis
„ ad internecionem usque delevit. Bellum cœlitus administra-
„ tum. Siquidem centum millibus paganorum prostratis in
„ bello, vix unus de Christianis cecidisse repertus est. Et ita
„ extincta est persecutio Nortmannorum, Domino vindicante
„ sanguinem servorum suorum, qui jam per annos septuaginta
„ effusus est. Hæc autem acta sunt tempore Adelgarii Archie-
„ piscopi, qui fuit successor B. Reimberti, & tertius a B. An-
„ schario „. Hæc ab Arnulfo reportata de Nortmannis victoria contigit anno 891. uti mox patebit. Adelgarius autem, mortuo anno 888. sancto Remberto, Archiepiscopus Hamburgensis creatus est. Si vero ab anno 891. retrogrediendo annos 70. numeremus, deveniemus ad annum 821. Quo tamen anno neque mota a Danis in Christianos persecutio legitur, neque annunciata primum Nordalbingis Christiana fides. Nam ad evangelicam prædicationem quod spectat, primus a Carolo Magno ad annunciandam Evangelicam Nordalbingis veritatem missus fuit Heridagus Presbyter, idque ante annum 808. quo anno Godefridus Danorum Rex bellum movere adversus Carolum Magnum minabatur, uti idem Helmoldus testatur lib. 1. Chron. Slavor. cap. 3. sic scribens. „ Perfectum est ergo in Saxonia
„ novellæ plantationis opus & pleno vigore constabilitum „
(ann. nimir. 804. quo finis impositus fuit bello Saxonico, quod per ann. 33. duraverat.) „ Sed & Fresonum agrestes illo tem-
„ pore receperunt Christianæ fidei gratiam. Ex tunc ergo præ-
„ paratum est iter prædicatoribus verbi Dei trans Albiam, exie-
„ runtque Angeli veloces annunciare Evangelium pacis in
„ universam latitudinem Aquilonis. Quo tempore, quum
„ Slavorum quoque gentes Francorum imperio subjicerentur,
„ fertur Carolus Hammenburg civitatem Nordalbingorum,
„ constructa ibidem Ecclesia, Heridago cuidam sancto viro,

„ quem

„ quem loci Episcopum designavit, regendam commisisse, „ proponens eandem Hammenburgensem Ecclesiam cunctis „ Slavorum Danorumque gentibus Metropolim statuere. In „ qua re ad perfectum ducenda, & mors Heridagi Presbyteri, „ & occupatio bellorum Carolum Imperatorem, ne desiderata „ compleret, præpedivit. Idem enim victoriosissimus Prin- „ ceps, qui omnia Europæ regna subegerat, novissimum cum „ Danis bellum suscepisse narratur. Nam Dani, & ceteri, „ qui trans Daniam sunt populi, ab historicis Francorum Nort- „ manni vocantur: quorum Rex Godefridus, jam antea Fre- „ sis, itemque Nordalbingis, Obotritis, & aliis Slavorum po- „ pulis tributo subactis, ipsi Carolo bellum minatus est. Hæc „ dissensio maxime voluntatem Imperatoris de Hammenburg „ retardavit. Tandem extincto cælitus Godefrido, Hemming „ ei successit, patruelis ejus, qui mox pacem cum Imperatore „ faciens, Egdoram fluvium accepit Regni terminum. Nec „ multo post Carolus præsenti vita decessit „. Atqui Carolus Magnus, v. Kal. Febr. anno 814. rebus humanis excessit; Gotifredus vero Danorum Rex anno 810. interiit. Metensis Annalista. „ Anno 810. Imperator Aquis morabatur, ubi „ nunciatum est ei classem ducentarum navium de Nortman- „ nia in Fresia applicuisse, ternaque prælia cum Fresonibus „ commisisse, Danosque victores, tributum victis imposuisse: „ etiam centum libras argenti a Fresonibus esse solutas, Re- „ gemque Godefridum hæc omnia agere dixit. Qui nuncius „ adeo Imperatorem concitavit, ut missis in omnibus circum- „ quaque regionibus ad exercitum congregandum nunciis, „ ipse sine mora Palatio exiens, illas in partes tendere cœpit. „ Transito itaque Rheno flumine in loco qui Lippia dicitur, „ copias quæ nondum convenerant statuit operiri. Ubi quum „ aliquot dies moraretur, Elephas ille, quem ei Aaron Rex „ Saracenorum miserat, subita morte periit. Congregatis tan- „ dem copiis, quanta potuit celeritate ad Alaram fluvium „ contendit, castrisque positis, minarum Godefridi Regis præ- „ stolabatur eventum. Nam ille tyrannus superbiæ spiritu in- „ flatus, se jactavit arroganter, quod cum Imperatore con- „ gredi vellet. Sed quum Imperator in loco memorato reside- „ ret, diversarum rerum legationes ad eum perferuntur. Nam

„ & clas-

„ & classem, quæ Fresiam vastabat, domum reversam; & Go-
„ defridum a quodam suo satellite interemptum; & castellum
„ vocabulo Hocbuoki, Albiæ flumini contiguum, in quo Od-
„ do Legatus Imperatoris erat, & erat Orientalium Saxonum
„ præsidium, a Wilzis captum; & Pippinum filium ejus Re-
„ gem Italiæ VIII. Idus de corpore migrasse. Aquis vero
„ veniens mense Octobri, memoratas (*de Constantinopoli*,
„ *deque Corduba*) Legationes suscepit, pacemque cum Nice-
„ phoro Imper. & cum Abulaz Rege Hispaniæ fecit. Godefri-
„ do vero, ut diximus, mortuo, Hemmingus filius fratris
„ ejus in Regnum succesit, pacemque cum Imperatore firma-
„ vit. *Et ad ann.*811.Condicta ab Imperat. & Hemmingo Rege
„ Danorum pax, propter asperitatem hiemis, quæ inter par-
„ tes commeandi viam claudebat, in armis tantum jurata ser-
„ vatur: donec redeunte veris temperie viis apertis, adve-
„ nientibus ex utraque parte, Francorum scilicet & Danorum,
„ XII. Primoribus super fluvium Egidoram, datis vicissim se-
„ cundum ritum ac morem suum sacramentis, pax confirma-
„ retur. Imperatore itaque pace cum Hemmingo firmata, &
„ Placito generali secundum consuetudinem Aquis habito, in
„ tres partes Regni sui totidem exercitus misit: unum trans
„ Albiam in Linones, qui & ipsos vastavit, & castrum Hoc-
„ buoki superiori anno a Wilsis destructum restauravit. Alte-
„ rum in Pannoniam, ad controversias Hunnorum & Sclavo-
„ rum finiendas direxit. Tertium super Brittones ad eorum
„ perfidiam puniendam. Ipse vero Imperator ad classem vi-
„ dendam, quam præcedenti anno fieri & fabricari jusserat,
„ Bononiam venit; inde ad Scalt fluvium, in loco qui dicitur
„ Gant, naves ad eandem classem ædificatas aspexit, & circa
„ medium Novembrium Aquas venit. Ubi obviaverunt ei
„ Legati Hemmingi Regis, Acvin, & Hebbi, munera Regi &
„ verba pacifica deferentes „. Itaque inter annum 804. &
810. prædicatio Heridagi suscepta est in Nordalbingia. At ve-
ro mota a Danis in Christianos persecutio, si Helmoldo cre-
dendum est, non ante obitum Ludovici Pii Imperatoris, hoc
est, ann. 840. contigit. Sub Ludovico enim pax summa viguit,
scribente eodem Helmoldo cap. 4. „ Postquam ergo Carolus
„ Francorum Rex & Romanorum Imperator Augustus cum
„ ma-

„ magno bonorum fructu ad cælos emigravit, Ludovicus filius „ ejus successit ei in Regnum. Qui paternis per omnia votis „ concordans, eadem liberalitate qua pater ejus, erga cultum „ Domus Dei, & omnem Clerum usus est, amplissimas Regni „ divitias ad decorem & gloriam Ecclesiæ intorquens, in tan„ tum, ut Episcopos, qui propter animarum regimen Princi„ pes sunt cæli, ipse eosdem nihilominus Principes efficeret „ Regni. Hic ubi super Hammenburg patris sui comperit vo„ tum, communicato statim sapientum consilio, sanctissimum „ virum Anscharium, quem etiam aliquando ad Danos & Sve„ dos (*post annum* 814. *&* *ante ann.* 826.) direxerat, Ham„ menburgensi Ecclesiæ (*anno* 827.) ordinari fecit Archiepi„ scopum, statuens eandem civitatem Metropolim universis „ borealibus populis, ut legatio verbi Dei exinde uberius pul„ lularet in omnes barbaras nationes. Quod & factum est. Nam „ Hammenburgensis Ecclesiæ Pontificum instantia, dissemina„ tum est verbum Dei in omnes Slavorum, Danorum, sive „ Nortmannorum populos, & dissolutum est gelidum illud „ frigus Aquilonis a calore verbi Dei. Multis itaque diebus „ sive annis, maximisque doctorum laboribus, in gentibus his „ desudatum est. Tanta enim fuit opacitas errorum, & diffi„ cultas silvescentis idololatriæ, ut nec subito, nec facile po„ tuisset evinci. Sed & bellorum variæ tempestates post obi„ tum piissimi Ludovici latius emergentes, vocationem gen„ tium non modice retardarunt „. Vides nullam ab Helmoldo indicari excitatam a Northmannis adversus Christianos persecutionem sub Carolo Magno aut sub Ludovico Pio, idest, ab anno 804. sive 810. usque ad ann. 840. At Ludovico mortuo, tunc Northmanni cœperunt in Christianos grassari, uti idem Helmoldus subjungit his verbis: „ Illo siquidem ex hac luce „ subtracto, orta sunt intestina bella, quatuor scilicet filiis ejus „ propter Principatum contendentibus. Multa itaque inter „ fratres orta est discordia, bellumque maximum, in quo, ut „ historici testantur, omnes Francorum gentes consumptæ „ sunt. Tandem mediante Papa Sergio, discordia sedata est, „ Regnumque divisum est in quatuor partes, ita ut Lotharius „ major natu cum Italia Romam, Lotharingiam cum Burgun„ dia possideret: Ludovicus Rhenum cum Germania: Caro-

„ lus Galliam; Pipinus Aquitaniam. Ea ergo tempestate, qua „ germana discordia maximos bellorum motus & diminutio- „ nem scisso imperio parturivit, multos ad rebellionem op- „ portunitas temporis adduxit. Inter quos primi vel præcipui „ Danorum populi, viribus & armis præpotentes, prius qui- „ dem Slavos, itemque Fresones tributis subjiciunt: dehinc „ classe piratica per Rhenum subvecti Coloniam obsederunt; „ per Albiam Hammenburg funditus exciderunt. Inclyta ci- „ vitas, & recens Ecclesiæ structura tota incendio disperiit. „ Quin & Nordalbingorum provincia, & quidquid flumini „ contiguum fuit, barbarorum direptionibus cessit. Saxonia „ magno terrore concussa est. Sanctus autem Anscharius Ham- „ menburgensis Archiepiscopus, & cæteri prædicatores in „ Slaviam sive Daniam destinati, magno persecutionis fervo- „ re sedibus suis pulsi sunt, & usquequaque dispersi „. Pergit S. Anscharii prædicationem sub Regno Ludovici Germaniæ Regis enarrans: mox cap. 7. subjicit Northmannorum grassationes post ejusdem Ludovici obitum: ac demum probrosam pacem cum illis a Carolo Crasso factam, & vindictam de iisdem ab Arnulpho anno 891. sumtam: quo anno, concludit, exstinctam Northmannorum persecutionem, quæ annos 70. duraverat. Quamobrem, quum subducta annorum 70. supputatio, cum persecutione Christianorum ad annum 821. stare nequeat, dicendum est, pro *septuaginta*, legendum esse *nonaginta*, motæque a Nortmannis in Christianos persecutionis nomine intelligi debere *primam Nortmannorum in Galliæ litora incursionem*, quæ anno 800. accidit, quam proinde Annalistæ Loiselianus, Metensis, Bertinianus, sic describunt: *Anno* 800. „ Carolus medio Martio mense Aquisgrani Palatio digrediens, „ litus Oceani Gallici perlustravit, in ipso mari, quod tunc „ Piratis infestum erat, classem instituit, præsidia disposuit, „ Pascha in Centulo apud Sanctum Richarium celebravit „. Eginhardus ad eundem ann. 800. laudatis Annalistis consentit, nisi quod habet: „ in ipso mari, quod tunc Piratis Nordmannicis infestum erat „. Quæ verba (inquit Pagius ad eund. ann. num. 2.) valde notanda. Monachus enim Fontanellensis Anonymus in Libello de miraculis S. Wandregesili Abbatis Fontanellensis primi, a Mabillonio pubblicato sæc. II. Benedict. cap. 5.

cap. 5. ſcribit: „ Temporibus, quo graviſsima Danorum Pi-
„ ratarum lues, Deo permittente, flagitiiſque exigentibus no-
„ ſtris, Oceani litus infeſtum haberet, Galliarumque quaqua-
„ verſum maxime adjacentes & contiguas fluvio Sequanæ mi-
„ ſera cæde vaſtaret provincias, quod retroactis temporibus,
„ quando miſericors Deus, illius præcepta ſervante, ſuo fuit
„ cum populo, nequaquam factum audivimus, ſed neque re-
„ legimus, anno videlicet irruptionis ſuæ in prædictum ma-
„ gnum fluvium Sequanæ decimo octavo; ex quo vero Ocea-
„ num ingreſsi, Piraticam exercere aggreſsi fuerant, quin-
„ quageſimo octavo, Regis autem præcellentiſſimi Caroli (*ſci-
„ licet Calvi*) decimo ſeptimo, ſanctiſſima oſſa, piique cine-
„ res præfati egregii Confeſſoris Chriſti Wandregiſili, ac San-
„ cti Præſulis Ansberti, ob metum & conculcationem horum
„ nefandorum Gentilium, de Fontanellæ Monaſterio propriis
„ effoſſa ſepulcris, ad ipſorum Sanctorum prædium, quod
„ dicitur Bladulfi villa, deportata ſunt „. Ita Anonymus il-
le, qui ſeculo nono vixit, quique per annum XVII. Caroli
Calvi, intelligit annum Chriſti 858. quod ex eodem aucto-
re cap. 7. certo argumento Mabillonius demonſtrat. Quare
annus Chr. 800. eſt primus annus infeſtationis a Nortmannis
factæ in litora Oceani Gallici, annuſque Chriſti 841., primus,
ex quo per Sequanam fluvium in Gallias ingreſſi ſunt. Annus
enim ille XVII. Caroli Calvi, a die XX. Menſis Julii anni 840.
quo Ludovico Auguſto patri defuncto ſucceſſit, proficiſcitur.

Atque hæc juxta mentem Pagii, initia Northmannicæ per-
ſecutionis ad annum 800. ſtatuentis, dicta ſunt. Verum me-
moratam Helmoldi *annorum ſeptuaginta Northmannicam per-
ſecutionem* aliter ſupputant Annaliſtæ Bertinianus, Metenſis,
& Fuldenſis. Quorum ad annum 854. hæc ſunt verba. Bertinia-
nus: „ Dani inteſtino inter ſe prælio dimicantes, adeo tridui
„ concertatione obſtinatiſſima bacchati ſunt, ut Orico Rege,
„ & ceteris cum eo interfectis Regibus, pene omnis nobilitas
„ interierit. *Metenſis*. Nortmanni, qui continuis viginti an-
„ nis Regni Francorum fines per loca navibus acceſſibilia, cæ-
„ dibus & incendiis, Regni Francorum fines vaſtabant, con-
„ gregati de nationibus, per quas diſperſi fuerant, in patriam
„ ſuam reverſi ſunt. Ibique inter Horuch Regem Danorum &
„ Gu-

„ Guthurm filium fratris ejus, qui pulsus a Regno, piratico „ more vivebat, orta contentione, ita se mutua cæde macta„ verunt, ut vulgus quidem innumerabile caderet: de stirpe „ vero Regia nonnisi unus puer remaneret; Domino Sancto„ rum suorum injurias ulciscente. *Fuldensis paucis verbis mu„ tatis*. Nordmanni, qui continuis xx. annis Regni Franco„ rum fines per loca navibus accessibilia cædibus & incendiis „ atque rapinis crudeliter vastabant, congregati de regionibus, „ per quas prædandi cupiditate dispersi fuerant, in patriam „ suam reversi sunt. Ibique inter Horuc Regem Danorum, & „ Gudurm filium fratris ejus, qui eatenus ab eo Regno pulsus „ piratico more vixit, orta contentione, ita se mutua cæde „ mactaverunt, ut vulgus quidem promiscuum innumerabile „ caderet; de stirpe vero Regia nisi unus puer, nullus remane„ ret, Domino sanctorum virorum suorum injurias ulciscente, & „ adversariis digna factis retribuente „. Hæc verba annum designant 834. quo juxta Annalistas Francos cœperunt Nortmanni Regnum Francicum vastare: nam ab an. 854. quo iidem Nortmanni mutua se clade, Deo vindice, mactarunt, si annos xx. quibus debacchati sunt, detrahantur, ad annum utique 834. deveniemus. Huc igitur videtur Helmoldus respexisse, quum dixit „ Normannis anno 891. internecione deletis, Dominum „ vindicasse sanguinem servorum suorum, qui jam per annos „ septuaginta effusus fuerat „. Sed tam ipse *in annis* 70. quam Franci Annalistæ *in annis* xx. egregie falluntur. Nam Normanni, ut certo argumento demonstratur, ab anno 800. Regni Francorum fines per loca navibus accessibilia infestare cœperunt: adeoque ab eo anno ad annum 854. quo mutua eorum clades contigit, sunt anni 55. non 20. & ad annum 891. quo mutuis cædibus interiere, sunt anni 92. non 70. Restat igitur, ut, si Helmoldi supputationem *annorum septuaginta* admittere velimus, dicamus, eam inchoatam *anno Chr.* 821. quo anno (uti Eginhardus narrat) „ Ludovicus Pius Imperator, in „ Conventu Noviomagensi, constitutam annis superioribus „ (*anno videlicet* 814. *&* *anno* 817.) atque conscriptam inter „ filios suos Regni partitionem, recensuit, ac juramentis opti„ matum, qui tunc adesse poterant, confirmavit „. Ea enim inter filios Ludovici partitio in causa fuisse dicitur, ut barbari

in

in Regna Christianorum invaderent, qui vivente Carolo Ludovici patre, aut domiti fuerant, aut e finibus suis erumpere non ausi.

CAPUT II.

Prima Hungarorum in Pannoniam irruptio. Hungari, Turci, Cabari, Chazari, Uzi, & Patzinacitæ, ex Constantino Porphyrogenito. Bellum Hungaricum cum Bulgaris. Thuroczii circa Hungaros allucinationes.

CAROLO Imperatore die 12. Januarii ineuntis anni 888. mortuo, Francicum Regnum in quinque Regna divisum 1.
fuit. „ Post ejus mortem (inquit Metensis ad ann. 888.) Re-
„ gna, quæ ejus ditioni paruerant, veluti legitimo destituta
„ hærede, in partes a sua compage resolvuntur. Et jam non
„ naturalem Dominum præstolantur, sed unumquodque de
„ suis visceribus Regem sibi creari disponit „. Arnulphus, cui post Caroli abrogationem, Franci, Saxones, Thuringi, deinde Boji, ad ultimum Alemanni accesserant, quum diu Ratisbonæ moratus esset, quatuor Reges in vacuum Caroli Regnum invasere. „ Freherianus Fuldensium Annalium Continuator.
„ Anno 888. Rex Arnolfus urbe Radispona, receptis Primori-
„ bus Bajowariorum, Orientalibus Francis, Saxonibus, Du-
„ ringis, Alamannis, magna parte Sclavanorum, Natalem Do-
„ mini & Pascha ibidem honorifice celebravit. Illo diu mo-
„ rante, multi Reguli (*a*) in Europa & Regno Karoli sui
„ patruelis excrevere. Nam Berengarius (*b*) filius Eberhar-
„ di in Italia se Regem facit. Rudolfus vero filius Chuonradi
„ superiorem Burgundiam apud se statuit regaliter retinere.
„ Inde itaque Ludovicus (*c*) filius Bosonis, & Wito (*d*) fi-
„ lius Lamberti, Galliam Belgicam, necnon Provinciam, prout
„ Reges, habere proposuerunt. Odo (*e*) filius Rodberti usque
„ ad

Francicum Regnum in plura divisum post obitum Caroli filii Ludovici senioris Germaniæ Regis. Arnulphus Germaniæ Rex.

a Freherianus, utpote partibus Arnulfi Germaniæ Regis addictus, *Regulos* vocat eos, qui revera Reges fuere.

b Berengarius Forojuliensium Dux erat, natus patre Eberardo, & matre Gisla filia Ludovici Pii Imper.

c Ludovicus Bosonis & Ermengardæ Reginæ filius.

d Wito, seu Guido, Dux Spoleti, de quo fusius disserui in Historia Italica.

e Odo filius Roberti Comitis Andegavensis, frater Roberti II, ex quo hodierni Galliarum Reges descendunt.

„ ad Ligerim fluvium & Aquitanicam Provinciam sibi in usum
„ usurpavit. Deinceps Arnolfus se Regem haberi statuit. His
„ auditis, Rex (*Arnolfus*) Franciam petiit, habitoque ad
„ Franconofurt generali Conventu, disposuit adventare Wor-
„ matiam. Quod vero Odo comperiens, salubri utens consi-
„ lio, contestans se malle suum Regnum, gratia cum Regis,
„ pacifice habere, quam ulla jactantia contra ejus fidelitatem
„ superbire: veniensque humiliter ad Regem, & gratanter
„ ibi recipitur. Rebus ab utraque parte, prout placuit, pro-
„ spere dispositis, unusquisque reversus est in sua. Rex contra
„ Rudolfum Elisatiam progreditur. Inde ad eum misso Ala-
„ mannico exercitu, ipse per Franciam Bajowariam reversus
„ est. Rudolfus enim inito consilio cum Primoribus Alaman-
„ norum, sponte sua ad Regem urbem Radasponam usque
„ pervenit, multaque inter illos convenienter adunata, ipse a
„ Rege cum pace permissus, sicuti venit, ad sua remeavit.
„ Italiam equidem cum exercitu aggredi complacuit. Sed Be-
„ rengarius, qui parumper antea cum Witone (*Guidone*) di-
„ micans cruento tyranno, hoc præcavens, ne Italicum Re-
„ gnum cum tam valida manu ingressuro perperam pateretur,
„ missis ante se Principibus suis, ipse vero oppido Tarentino
„ (leg. *Tridentino*) Regi se præsentavit. Ob id ergo & a Re-
„ ge est clementer susceptus, nihilque ei ante quæsiti Regni
„ abstrahitur. Excipiuntur curtes navium, & sagum. Exer-
„ citui itaque non mora licitum erat domum redeundi. Rex
„ autem paucis secum assumptis, Forum Juliense penetrans,
„ curtem Corontanam Natale Domini celebravit. Tanta nam-
„ que in isto itinere consternatio equinorum cadaverum fit, ut
„ vix unquam talis fieri memoria mortalibus traditum sit „.
Hocipsum Metensis de quatuor Regibus post Caroli mortem, præter Arnulfum, insurgentibus, Berengario scil. filio Everhardi, qui Ducatum Forojuliensem tenebat; Vvidone filio Lamberti, Duce Spoletanorum: Odone Duce filio Roiberti; & Rodulpho filio Chuonradi, nepote Hugonis Abbatis: quorum primi duo de Regno Italico contendebant: tertius, cum consensu Arnulfi, Regnum Galliarum accepit: quartus denique provinciam inter Jurum & Alpes Penninas occupavit, & apud S. Mauricium, accitis secum quibusdam Primoribus & nonnul-
lis

lis Sacerdotibus, coronam sibi imposuit, Regemque se appellari jussit: quem tamen postea omnibus diebus vitæ suæ Arnulfus & Zventibolchus filius ejus persecuti sunt, nec tamen eum lædere potuerunt, quia loca inaccessibilia, quæ in multis solis ibicibus pervia sunt, insequentium confertas acies procul ab ingressu repellebant.

II. Hungarorum primus in Pannoniam adventus. Scythiæ descriptio ex Annalista Metensi.

Annalista Metensis ad hunc annum 889. confert primam *Hungarorum in Pannoniam incursionem*, sic scribens. „ Anno Dom. Incarn. 889. Gens Hungarorum ferocissima, & omni „ bellua crudelior, retro ante seculis adeo inaudita, quia nec „ nominata, a Scythicis Regnis, & a Paludibus, quas Tanais „ sua refusione in immensum porrigit, egressa est. Sed priusquam ipsius Gentis acta crudelia persequamur stylo, non „ superfluum videatur, si de Scythiæ situ, Scytharumque moribus, Historiographorum dicta sequentes, aliquid commemoremus. Scythia (ut ajunt) in Oriente extensa, includitur ab uno latere Ponto, ab altero montibus Riphæis, a „ tergo Asia, & Ithasi flumine. Patet autem multum in longitudinem & latitudinem.

Describitur hic Scythia seu Sarmatia Europæa, quæ a meridie Ponto Euxino terminatur, ab aquilone Riphæis montibus, ab occasu Tyra & Borysthene fluminibus, ab ortu Tanai & Rha fluviis, qui Metensi & Reginoni, *Tanais & Ithasis*, hoc est, *Etel* sive Rha, & *Vvolga*, appellantur. Pergit de Scytharum populis ac moribus, ubi tamen Scythas Europæos cum Asiaticis conjungit: nam quæ de Amazonibus, Dario, Alexandro magno, & Cyro profert, ad Asiaticos pertinent. „ Omnibus (inquit) hanc Scythiam inhabitantibus inter se nulli fines. Perraro enim agrum exercent. Nec domus illis ulla, „ aut tectum, vel sedes est: armenta & pecora semper pascentibus, & per multas solitudines errare solitis. Uxores liberosque secum in plaustris vehunt: carris, imbrium hiemisque „ causa, tectis pro domibus utuntur. Nullum scelus apud eos „ furto gravius: quippe sine tecti munimento pecora & armenta alimentaque habentibus, quid præter silvas superesset, „ si furari liceret? Aurum & argentum non perinde ut reliqui mortales appetunt. Venationum & piscationum exercitiis inserviunt. Lacte & melle vescuntur. Lanæ his usus

„ ac

„ ac vestium ignotus. Et quamquam continuis frigoribus affi-
„ ciantur, pellibus tantum ferinis ac murinis induuntur. Impe-
„ rium Asiæ ter quæsivere; ipsi vero perpetuo ab alieno impe-
„ rio aut intacti, aut invicti mansere: nec virorum magis quam
„ feminarum virtutibus claruere. Quippe quum ipsi Parthos
„ Bactrianosque, feminæ autem eorum, Amazonum Regna
„ condiderint. Prorsus ut res gestas virorum mulierumque
„ considerantibus incertum sit, uter apud eos sexus inlustrior
„ fuerit. Darium Regem Persarum turpi a Scythia summove-
„ runt fuga. Cyrum cum omni exercitu trucidaverunt. Ale-
„ xandri magni Ducem Sopirionam pari ratione cum universis
„ copiis deleverunt. Romanorum audiere, non sensere arma.
„ Laboribus & bellis asperi: vires corporis immensæ. Abun-
„ dant vero tanta multitudine populorum, ut eos genitale so-
„ lum non sufficiat alere. Septentrionalis quippe plaga quanto
„ magis ab æstu solis remota est, & nivali frigore gelida; tanto
„ salubrior corporibus hominum & propagandis gentibus coa-
„ ptata. Sicut e contra omnis meridiana regio quo solis est
„ fervori vicinior, eo semper morbis abundat, & educandis
„ minus est apta mortalibus. Unde fit, ut tantæ populorum
„ multitudines Arctoo sub axe oriuntur, ut non immerito uni-
„ versa illa regio a Tanai fluvio usque ad occiduum, licet &
„ propriis loca ea singula nuncupentur nominibus, generali
„ tamen vocabulo (*a*) Germaniæ sæpe nominetur. Ab hac
„ ergo populosa Germania sæpe innumerabiles captivorum tur-
„ mæ abductæ, Meridianis populis pretio distrahuntur. Mul-
„ tæ quoque ex ea, pro eo quod tantos mortalium germinat,
„ quantos alere vix sufficit, frequenter gentes egressæ sunt,
„ quæ nihilominus & partes Asiæ, sed maxime sibi contiguam
„ Europam afflixerunt. Testantur hoc ubique urbes erutæ per
„ totum Illyricum Galliamque; sed maxime miseræ Italiæ, quæ
„ pene illarum omnium est Gentium experta sævitiam.

III. Hungarorum prima sedes, & migrationes diversæ.

Hucusque Scythiæ male delineata descriptio, quæ non solos complectitur Hungaros, sed omnis generis Scythicas nationes, tum eas, quæ inter Jaxartem & Volgam, tum quæ inter Volgam, & Tanaim & inde usque ad Vistulam in aquilonaribus regionibus de-

a Hoc falsum: nam Germaniam ab Scythia ad ortum dividit si non Vistula, saltem ac Tyras Borysthenes.

degebant, quæque Tanaim, Paludes Mæotides& Vistulam trajicientes, usque ad Rhenum occasum versus & Danubium versus meridiem, Scandiam quoque sive Scandinaviam & Cimbricam Chersonesum versus aquilonem inhabitarunt: Proinde si de primis Hungarorum sedibus, unde egressi in Pannoniam advenere, veram habere velimus descriptionem, legendus potius Jornandes, qui de rebus Geticis cap. 5. Scythiam describens: „ Juxta Chersonem (inquit) (*a*) Aulziagri (*Hunni*) quo „ Asiæ bona avidus mercator importat, qui æstate campos per„ vagantur effusos, sedes habentes, prout armentorum invi„ taverint pabula; hieme supra mare Ponticum se referentes. „ HUNUGARI autem hinc sunt noti, quia à ipsis pellium „ murinarum venit commercium, quos tantorum virorum „ formidavit audacia: quorum mansionem primam esse in Scy„ thiæ solo juxta paludem Mæotidem, secundo in Mœsia, Thra„ ciaque & Dacia, tertio supra mare Ponticum, rursus in Scy„ thia legimus habitasse „. Loquitur Jornandes de *Hunnis Iguris*, qui *Hunugari*, *Hunnoguri*, & *Hunnogunduri* vocari solent, sive ab *Ogor* eorum principe, sive ab *Iguria* & *Jugaria* provincia, quæ Slavis & Hunnis ipsis (hoc est, Tartaris) dicitur *Jugra* & *Jubra*. Vide quæ de iis dixi Tom. 1. a pag. 467. ad pag. 483. Ubi demonstravi, *Chrobatum Regem Bulgarorum* simul, & *Hunnogurorum* circa annum Chr. 634. ab Abarum Hunnorum Chagano Pannoniæ Rege Sclavorumque ac Hunnorum Transdanubianorum tyranno deficientem, legatione ad Heraclium Imp. missa, pacem cum eo composuisse, & ad finem usque vitæ suæ servasse; Heraclio autem aliisque post ipsum Imperatoribus defunctis, anno Chr. 679. ex hac vita discedentem quinque filios reliquisse, quorum primus patrio in solo, hoc est, in Scythia trans Tanaim (quo *Hunugari* ante Jornandis ætatem, hoc est ante annum circiter 552. sese receperunt:) constitit: alter, transmisso Tanai, fratris ex adverso sedes posuit: quartus & quintus Istrum seu Danubium transmeantes, unus eorum in Avariæ Pannonia Cagano se subdens mansit illic cum potentatu suo; alter vero haud procul ab urbe Ravenna in Pentapolim veniens, sub Christianorum imperio factus est: tertius Danaprim & Danastrim transiens, & Honglon adiens, ad

a Vide totum Jornandis textum, quem descripsi Tom. 1. Par. 2. cap. XI. a p. 478.

Danubium consedit, locum omnem retrorsum habens ab amne Danubio, ante vero & ab utroque latere clusuris, sive montium angustiis & mari Pontico probe munitum, Sclavinis illic degentibus in potestatem redactis. *Hunni Iguri*, qui unacum secundo, tertio, aut quarto Chrobati filio Danubium transeuntes, sive in Pannonia Chagano Hunnorum subditi degebant, sive cum Bulgaris, Danaprim & Danastrim trajicientibus, inter mare Ponticum & Danubium habitabant; iidem ipsi videntur fuisse, de quibus Annalista Fuldensis ad annum 796. ,, Cagan, & Jugurro, Principibus Hunnorum, civili bello & intestina clade a suis occisis, campus eorum, quem vocant Hringum, primo per Heiricum Ducem Forojuliensem, deinde per Pipinum filium Regis, addictus & captus est, & omnes Hunnorum opes ac thesauri sublati, & Carolo in Aquisgrani Palatio allati sunt ,,. Quæ verba paucis mutatis apud alios Annalistas sic leguntur. *Metensis*. Anno 796. ,, Sed & Hericus Dux Forojulianorum missis hominibus suis cum Wonomiro Sclavo in Pannoniam, Hirigum gentis Avarorum Principem (*imo thesaurum*) longis retro temporibus quietum (*intactum*) civili bello fatigatis inter se Principibus, improvise exspoliavit. Caganusque, & Jugoro intestina clade interempti sunt. Thesaurum vero priscorum Regum multa seculorum prolixitate collectum, idem Dux Carolo ad Aquis Palatium misit. *Bertinianus* ad eund. ann. ,, Sed & Heiricus Dux Forojuliensis missiis hominibus suis cum Wonomiro Sclavo in Pannonias directo, Hringum gentis Avarorum longis retro temporibus quietum, civili bello fatigatis inter se Principibus spoliavit. Chagan, sive Jugurt intestina clade addictis, & a suis occisis, thesaurum priscorum Regum multa seculorum prolixitate collectum domno Regi Carolo ad Aquis Palatium misit. *Moissiacensis*. Et venit Pipinus cum exercitu suo, & cum omnibus illis, quos pater ejus miserat ei in auxilium, & transito Danubio, pervenit ad locum, ubi Reges Avarorum cum Principibus suis sedere consueverant, quem & in nostra lingua Kinno nominant. Et inde tulit thesauros multiplices, & transmisit patri suo, & ipse postea cum exercitu suo & cum magnis thesauris Avarorum captis, pervenit in Franciam., Chronicon breve. Anno 796. Carolus Rex filium

lium suum Pippinum transmisit in Chunia, & ipsi eum receperunt cum pace, & thesauros multos accepit, & in Francia adduxit. *Eginbardi Annales*. Anno 796. „ Missus est (a Carolo „ ad Leonem Papam) ad hoc Engilbertus Abbas Monasterii „ S. Richarii: per quem etiam tunc ad S. Petrum magnam par„ tem thesauri, quem Ericus Dux Forojuliensis spoliata Hun„ norum Regia, quæ Ringus vocabatur, eodem anno de Pan„ nonia Regi detulerat, misit: reliquum vero inter optima„ tes & aulicos, ceterosque in Palatio suo militantes, liberali „ manu distribuit. Atque iis expletis ipse cum exercitu Fran„ corum Saxoniam petiit. Pipinum vero filium suum cum Ita„ licis ac Bajoaricis copiis in Pannoniam ire jussit; & ipse qui„ dem Saxonia magna parte vastata, ad hiemandum Aquas„ grani Palatium revertitur; Pipinus autem Hunis trans (*a*) „ Tizam fluvium fugatis, eorumque Regia, quæ ut dictum est, „ Ringus, a Langobardis autem Campus vocatur, ex toto de„ structa, direptis pene omnibus Hunnorum opibus, ad patrem „ Aquisgrani hiberna habentem venit, ac spolia Regni, quæ „ secum detulit, eidem præsentavit „. *Vita Caroli magni*. „ Anno 796. Henricus autem Dux Forojuliensis misso in Panno„ niam Wonomiro Sclavo Principe suo, Ringum Ducem Ava„ rorum interficere fecit, & Caganum, & Jugurram spoliare „ fecit, & Thesaurorum multitudinem multa prolixitate secu„ lorum a Regibus Avarorum collectam domno Regi Carolo „ Aquis Palatio misit. *Et post pauca*. Rex collectis exercitibus „ Saxoniam ingressus, Pipinum filium suum Regem Italiæ in „ Pannoniam misit. Qui Pipinus commisso bello cum Avaris „ victor extitit, & diu resedit in Ringo villa, & cum multis „ thesauris rediit ad domnum Regem Carolum patrem suum in „ Aquis Palatium „. Chunia sive Hunnia, & Avaria, regio erat in Pannonia trans Danubium, quam Hunnorum Abarum Chaganus possidebat. Ibi Ringus sive Regia ejusdem Chagani trans Tizam seu Tibiscum fluvium sita, quæ ab Henrico Forojuliensium Duce primum fuit direpta, deinde a Pipino Italiæ

(*a*) Tiza idem ac *Tibiscus fluvius* (ut ait Baudrand) „ Daciæ maximus Ptolemæo, „ illam a Jazigibus Metanastis separans, qui *Tibisis* Herodoto, & *Pathissus* Plinio; „ nunc testibus Lazio & aliis, *Tissa* accolis, *Teysse* Germanis, & *La Teisse* Gallis: flu„ vius est Hungaria Regni, in Hungaria superiori sive trans Danubiana „. Pergit Baudrand describens ejusdem fluvii ortum & cursum, donec in Danubium se exonerat.

Rege destructa: tum scilicet, quum orta inter eos populos seditione interfecti sunt tam Hunnorum Abarum Chaganus, quam *Igurorum* sive Hunnogurorum Princeps: Hunni enim, non uni, sed pluribus Regulis seu Principibus parebant, quorum unus *Chaganus* omnium maximus Hunnorum Abarum, alter minor Hunnorum Igurorum sive Hunogurorum, tertius *Tudun*, de quo apud laudatos Annalistas ad eundem annum 796. fit mentio. Quamobrem, uti notavi Tom. 2. pag. 47. & seq., pro *Ringo Abarorum Hunnorum Regia*, perperam dicitur *Abarum Princeps*: & pro *Chagano & Juguro seu Iguro*, duobus Hunnorum Principibus, perperam appellatur *Chagan sive Jugurt*, perinde ac si unus esset idemque *Chaganus & Jugurt*. Itaque, ut eo redeam, unde digressus sum, prima *Hunnogurorum* sive *Hungarorum* e patriis sedibus, idest è Scythia trans Tanaim, ad ea loca, quæ supra trans Danubium descripsi, migratio circa annum Chr. 680. contigit. Ibi variante fortuna sub Hunnorum Chagano in Pannonia Transdanubiana partim sub Bulgarorum Rege in Mœsia & Scythia minore inter Danubium ad Septentrionem & Pontum Euxinum ad ortum consedere: Certe apud Annalistam Bertinianum ad annum 862. de iis hæc leguntur: „ Sed & hostis antea illis populis (idest, Boiis & Francis Carolomanno Regi subjectis) inexperti, qui Ungri vocantur, „ Regnum ejusdem depopulantur „. Tandem anno 889. iidem vagari in Pannoniam eamque invasisse dicuntur.

IV. Constantini Porphyrogeniti Textus de Hungaris aliisque populis profertur, & exponitur. Ac primum de Patzinacitis, Chazaris, & Uzis.

Hungaros, sive *Hunnoguros*, Constantinus Porphyrogenitus *Turcos* vocat, primasque eorum Sedes, posterioresque, ubi à Patzinacis expulsi sunt, migrationes accurate describit lib. de Administr. Imper., cujus verba, unacum Animadversionibus Anselmi Bandurii, nostrisque, ad illustrandam nempe Hungaricam historiam, accipe.

I. Porphyrogenitus c.37. „ Sciendum est, Patzinacitas a „ principio ad Atel & Geech flumina habitasse: iisque contermi- „ nos fuisse populos illos, qui Mazari, atque Uzi cognominantur.

Bandurius. Patzinacitæ, qui & Patzinacæ, a principio incoluerunt antiquam magnamque Bulgariam, circa flumen *Atel* dictum, quod Theophani *Atalis* dicitur, & *Edel* Tartarice, a Rutenis vero *Volga* seu *Vvolga* appellatur, olim *Rha* Ptolemæo: postmodum vero iidem Patzinacitæ trans Istrum planities

nities incoluerunt a Boryſthene fluvio ad Pannoniam uſque porrectas: De hujus autem regionis incolis Patzinacitis, & gentibus ipſis conterminis pluribus agit Scriptor noſter in principio hujus operis, & infra cap.42. ubi terminos illarum gentium aſſignat. Patzinacitæ vero quamplurima bella, varia fortuna, geſſerunt, tam cum Romanis, quam cum aliis nationibus; tandem devicti fuere a Joanne Comneno, qui in hujus victoriæ memoriam diem feſtum inſtituit: quem quidem *τὴν τῶν πατζινάκων πλετὴν* nuncupavit, ut ſcribit Choniates in ejus vita: *Τοιαύτην νίκην περιφανῆ κατὰ Σκυθῶν ὁ Ἰωάννης ἀράμενος καὶ μέγιστον στήσας τρόπαιον, τὰς εὐχὰς τῷ θεῷ ἀποδίδωσι. τὴν τῶν πατζινάκων λεγομένην ἐς ἡμᾶς πλετὴν εἰς ἀναμνηστήρια προστάξας τῶν πεπραγμένων καὶ χαριστήρια:* „ Hac de Scythis parta victoria, & illuſtri edito facinore, Joannes Deo vota perſolvit: „ quod feſtum Patzinacarum noſtro tempore dicitur, in rei „ geſtæ monimentum, & grati animi teſtimonium „. Patzinacarum autem nomen ex Ruſſico vel Polonico *Pyeczinigorum* deſumptum ſcribit Allatius, & ex eo Lucius de Regno Dalmatiæ, & Croatiæ lib.VI. cap.V. ubi ait Patzinacas, ſeu Patzinacitas poſtmodum *Ulacos* appellatos fuiſſe.

Additio. Patzinacitarum prima ſedes Porphyrogenito teſte, ad fluvios *Atel* & *Geech*. Quis *Atel* ſit, tum veteres tum recentes Scriptores recte exponunt, nimirum is, quem veteres *Rha*, Neoterici *Volgam* appellant; quique indigenis *Edel*, *Etel*, & *Atel* dicitur, inque Caſpium Mare influit, quum antea in maxima illa ad Tanaim flexione, unum illius oſtium aquis ejuſdem Tanais immiſceatur, uti recte Salmaſius ſcripſit, & ex noviſſimis accuratiſque Tabulis Conſtantinopoli impreſſis apparet. At vero de *Geech* altum apud Bandurium ſilentium. Nos vero ex Tabulis Conſtantinopolitanis amnem iſtum dicimus Turcice appellari جايق *Giajech*, & ab Aquilone verſus meridiem fluere, ac demum in eam Maris Caſpii extremam partem influere, quæ Orientem reſpicit: ita ut ſupra Mare Caſpium eam Patzinacitæ regionem tenuerint, quæ inter *Geech* ad Ortum, & *Etel* ad Occaſum jacet.

Ad nomen vero Patzinacarum quod attinet, Ignatius Kulczynski, Ordinis S. Baſilii Monachus, in *Specimine Eccleſiæ Ruthenicæ*, ſeriem Chronologicam magnorum Ruſſiæ ſeu Moſco-

ſcoviæ Ducum exhibens, nomina Scytharum, quos ipſe Roxolanos vocat, ſic interpretatur pag. 107. „ Porro gentes Varagorum, Dreulanorum, Jazigarum ſeu Jazuingarum, Poloucıorum, Pecenigarum, aliæque finitimæ, quamvis diviſæ ſub diverſis Dominis, contra ſe invicem ſemperque pugnaverint, omnes tamen Sarmaticæ ſeu Roxolanicæ fuere, eandemque originem antiquitus habuere. Nam Varagi ſunt nominati ab hoſtilitate: Dreulani a vetuſtate: Jazigæ ab idiomatis corruptione: Poloucii a venatione: Pecenigæ a combuſtione, quod hi ultimi præ reliquis forſitan crudeliores idololatræ vivos in ſacrificia Idolorum comburere conſueverint „. Sigiſmundus Herbeſteinius in Commentar. Rer. Moſcoviticarum, de origine Ruſſorum, nominibus, eorumque ſignificatione hæc habet pag. 2. quæ tamen Hunnis, Slavis, & Bulgaris magis conveniunt, quam Ruſſis ſive Moſcovitis. „ De origine gentis nihil habent præter Annales infraſcriptos: gentem ſcilicet hanc Slavonicam eſſe ex natione Japhet, atque olim conſediſſe ad Danubium, ubi nunc Hungaria eſt & Bulgaria, & tum Norcia appellatam: tandem diſpalatam & per terras diſperſam, nomina a locis accepiſſe; utpote Moravi a fluvio: alii Ozechi, hoc eſt Bohemi: item Chorvati, Bieli; Serbli, ideſt Servii, Chorontani dicti, qui ad Danubium conſederant, a Vvalachis expulſi, venientes ad Iſtulam, nomen Lechorum a quodam Lecho Polonorum Principe, a quo Poloni etiamnum Lechi vocantur, acceperunt. Alii Lithuani, Maſovienſes, Pomerani: alii ſedentes per Boryſthenem, ubi nunc Chiovia eſt, Poleni dicebantur: alii Drevuliani, in nemoribus habitantes: alii inter Duvinam & Peti, dicti Dregovuici: alii Poleutzani, ad fluvium Poltæ, qui influit Dvuinam: alii circa lacum Ilmen, qui Novvogardiam occupaverunt, ſibique Principem Goſtomiſſel nomine conſtituerunt: alii per Deſnam, & Sulam fluvios, Sevueri, ſeu Sevuerski appellati: alii vero ſuper fontes Vvolhæ, & Boryſthenis, Chrivuitzi nominati; horum arx & caput Smolenſco eſt „. Et pag. 86. & ſeq. „ Tartari (*inquit*) a quibuſdam Taurimeni (*ideſt Tauricæ Cherſoneſi incolæ*) ab aliis Pitzenigi, aliis alio nomine appellantur „. Et mox Methodium Patanczki Epiſcopum laudat, de

de Tartaris sic narrantem; eos, videlicet „ Ex Jeutriskie de- „ sertis inter Septentrionem & Orientem processisse, cum- „ que innumera multitudine ad spoliandas Provincias exivisse, „ & quicquid ab Oriente ad Euphratem sinumque Persicum „ continetur, crudeliter diripuisse, atque ita Provinciis passim „ vastatis, Polovutzos gentes, quæ adjunctis sibi Rutheno- „ rum auxiliariis copiis, solæ accurrere ausæ erant, ad fluvium „ Calka profligasse anno Mundi *6533*. „. Qui respondet anno Christi 1025. quibus verbis indicat proculdubio Tartarorum in Russiam & Poloniam irruptionem, de qua Nangius ad ann. Chr. 1241. „ Per unum de principibus suis, nomine Batho, „ vastaverunt Poloniam & Ungariam, & juxta Mare Ponticum „ Russiam, & Gazariam cum aliis triginta Regnis, & usque ad „ fines Germaniæ pervenerunt„: Adeoque pro anno Mundi *6533*. legendum, *6743*. hoc est Chr. 1235. nam pergit ibid. „ Bathi Tartarorum Rex magna manu a meridie in Septentrio- „ nem egressus, Bulgariam, quæ ad Vvolgam infra Cazan „ est, occupavit: Anno dein sequenti *6745*. secutus victo- „ riam, in Moscoviam usque pervenit. cetera „. Sed ad institutum redeo. „ Quo loco (*inquit Herbesteinius*) Aucto- „ rem Libelli de duabus Sarmatiis, de Polovutzis populis, „ quos Venatores interpretatur, errasse clarum est. Polovut- „ zi enim Campestres dicuntur: nam Pole campus est: Lo- „ watz, & Lovutzi, Venatores; adjuncta autem *Tzi*, vel „ *Kti* syllaba, non mutat significationem. Neque enim ab „ ultimis, sed primis syllabis significatio deducenda est. Et „ quod ejusmodi Ruthenorum dictionibus syllaba generalis „ *Ski* adjici solet, ea res homini imposuit; atque ita Polovut- „ zi, Campestres, & non Venatores interpretari oportet „. De *Ulahis*, seu *Valachis*, mox sermo erit. Interim vide observata Tom. 1. Part. 2. cap. 3. pag. 255. ubi eorum Regio *Ungrovlachia*, *Mauro Ulachia* & *Moldovlachia*.

Bandurius. *ἔχοντες τὰς τε μαζάρους συνορῶντες, καὶ τὰς ἐπονομαζομένους* Οὔζ. *Habentes conterminos Mazaros, atque eos qui Uzi appellantur*. Sic in MSS. & in editis. Sed sunt qui hic pro *μαζάρους*, *χαζάρους*, legendum putent, quum subjungat Porphyrogenitus: *πρὸ ἐτῶν δὲ πεντήκοντα οἱ λεγόμενοι* Οὔζ, *μετὰ τῶν χαζάρων ὁμονοήσαντες*, &c. *Ante annos vero quin-*

quinquaginta ii qui Uzi dicuntur, cum Chazaris conspirantes &c.

Additio. Et recte quidem: nam idem Porphyrogenitus supra cap. 10. scripserat: „ Chazaris bellum inferre Uzi possunt, utpote contermini: sic etiam Princeps Alaniæ, quia „ novem Chazariæ regiones, Alaniæ adjacent, possuntque „ Alani, si velint, illos deprædari, magnumque inde Chazaris damnum importare atque eos rerum penuria premere „. De Chazatiæ situ, Chazarorumque ad Christianam Fidem, opera S. Cyrilli, conversione, recole observata a me Tom. 2. Par. 2. cap. 3. num. v. & vi. Circa Uzos, legendus Joannes Curopalates in Constantino Duca, edit. Paris. pag. 815. ubi sic scribit: „ Hæc igitur in hoc statu erant, & tantæ vexationi „ obnoxia erant Romanorum loca in Asia, & in omni Orientis „ regione. In Occidente vero circa tertiam Indictionem (*hoc „ est circa annum Chr.* 1065.) quum præessent oppidis ad „ Istrum fluvium sitis Magister Basilius Apocapes, & Magister „ Nicephorus Botaniates, Uzorum natio (hi enim sunt gene„ re Scythæ, & Patzinacis nobiliores, & multitudine superio„ res) cum tota gente & propriis impedimentis transmisso Istro „ longis navibus & lembis è caudice cavato factis & utribus, „ milites transitum prohibentes, Bulgaros inquam & Roma„ nos, & qui cum ipsis erant, statim debellarunt: ac Duces „ ipsorum Basilium Apocapem, & Nicephorum Botaniatem „ captivos abduxere, omnemque ad Istrum planitiem comple„ runt. Excreverat enim natio, ut ii qui viderant confirma„ bant, ad sexcenta bellicosorum virorum millia, & quædam „ haud minima pars ipsorum divisa usque ad Thessalonicam & „ ipsam Græciam irrupit, & obvia omnia vexavit diripuitque, „ infinita abacta præda. Sed quum in vehementem hiemem „ incidisset, quando ad suos redibat, non solum aliena, sed „ etiam sua fere omnia amisit, & infortunio accepto, in castra „ reversa est. Imperator autem de eorum multitudine cer„ tior factus, cruciabatur animo, & ægre ferebat; exercitum „ tamen cogere, & idoneas copias contra ipsos mittere cun„ ctabatur, ac segnis erat, ut quidam ajebant, sumptibus „ parcens: erat enim, ut diximus, avarus, & nummum om„ nibus rebus anteponebat; ut vero alii, quod non confideret

„ adver-

„ adversus tantas vires posse acie decertare: omnes enim asserebant, adversariorum multitudinem inexpugnabilem; omnibusque impossibilis redemptio Ducum videbatur, & de migratione jam plures cogitabant. Imperator autem missis Legatis ad Principes nationis, tentabat, si factu possibile esset, ipsos abducere, & sibi conciliare multis missis muneribus, quibus delinirentur, atque adeo aliquos ex ipsis crebris beneficiis exceperat. Sed natio maxima, & idcirco quotidie irruptionem faciens ut stipendium illud haberet, in multas Bulgariæ partes, jam ipsam quoque Thraciam & Macedoniam opprimebat. Non ferens autem Imperator convicia, quod ab omnibus palam ut avarus atque sordidus incessebatur & accusabatur, Regia urbe egressus, ad locum, qui Choerobachi vocatur, castra ponit, haud plures centum & quinquaginta militibus secum adducens: ex quo plures admirari, quomodo cum hisce homunculis adversus tantam multitudinem congredi auderet. Verum quum ille in hujuscemodi apparatu versaretur, ac de cogendo exercitu consuleret, quidam ad ipsum accurrentes accessere, atque Duces redemptos nunciarunt, & totius nationis interitum, asserentes Duces ipsorum conscensis navigiis Istrum transmisisse, reliquam vero multitudinem fame ac peste, & a finitimis Bulgaris & Patzinacis debellatam, funditus interiisse, Deo omne illud opus procurante. Fertur enim Imperator desperatis rebus indixisse jejunium & sibi & populo, & assiduas supplicationes adhibuisse, ipse pedes simul cum lacrymis incedens, & contrito corde. Qua die conspecta est in Tzurolo, ab Uzis in tabernaculis commorantibus, militum multitudo in acie emicare, & cum summa festinatione contra ipsos tela jacere, ita ut ex ipsis nemo illæsus remanserit, quin vulnus acceperit. Imperator autem Deo sacrificio cum gratiarum actione peracto, recta ad Regiam urbem se contulit, quam reperit admirationis ac stuporis plenam, votaque Deo pro accepta salute persolventem. Verum omne quod factum erat, Divinum miraculum censentes, Imperatoris erga Deum pietati adscribebant, quod virtute, & non viribus aut potentia Imperatoris, sed religione Deus ipse flexus esset. Post hujuscemodi cladem, quidam ex ipsis ad Im-

„ peratorem ſe contulere, a quo acceptis agris publicis Macedoniæ, a Romanis ſteterunt, & ſocii ipſorum ac obedientes hactenus fuere, honoribus Senatoriis atque illuſtribus dignati. Agebatur autem tunc ſextus annus Imperanti Ducæ, Indictione tertia, Anno 6573. ab orbe condito, *Chriſti* 1065. „. Apud eundem Scylitzem ſeu Jo. Curopalatam pag. 137. quum Romanus Diogenes Imperator cum exercitu Cæſaream Cappadociæ perveniſſet, dicitur ibi manum conſeruiſſe cum non exigua Turcorum cohorte, & Scytharum mercenariis Uzis: „ Accedentibus militibus, Scytharum mercenariis, Uzis inquam, haud exigua Turcorum cohors in Romanos invaſit, quos excipientes relicti ad cuſtodiam milites, & ante omnes Franci, cominuſque congreſſi, & abunde præliati, fuderunt „. Pars itaque Uzorum in Macedonia Romano obediens Imperio remanſit, pars ad proprias antiquas in Scythia ſedes regreſſa eſt; non pauci etiam in Cappadociam tranſierunt, Turcorum Principi famulantes. *Unnica enim gens erant Uzi*, quemadmodum idem Scylitzes ſcribit in edit. Veneta anni 1570. p. 117., & Cedrenus edit. Reg. p. 775. cujus verba mox proferam.

II. Porphyrogenitus. „ Ante annos vero quinquaginta „ ii, qui Uzi nuncupantur, cum Chazaris conſpirantes, & „ conjunctis armis, Patzinacitas aggreſſi, ſuperiores facti, ſedibus eos ſuis expulerunt, illaſque tenuere in hodiernum „ uſque diem Uzi. At Patzinacitæ qui fuga evaſerant, circumeuntes quærebant, ubinam ſedes ſuas collocarent: venienteſque in terram, quam nunc incolunt, inventis illic Turcis „ incolis, debellatos ejecerunt, ſedeſque ipſi ſuas ibi poſuerunt, tenentque jam hodie annum quinquageſimum quintum, uti dictum eſt. Et Patzinacia quidem univerſa in Themata octo dividitur, quæ magnos quoque Principes totidem „ habet.

Bandurius. *εἰς θέματα ὀκτὼ διαιρεῖται*. Et paulo infra tradit idem Scriptor, hæc octo Themata dividi in partes quadraginta. Cedrenus vero pag. 775. ſcribit, Patzinacitarum gentem magnam ac populoſam dividi in tredecim tribus. *Τὸ ἔθνος τῶν πατζινάκων, Σκυθικὸν ὑπάρχον, ὑπὸ τῶν λεγομένων Βασιλείων Σκυθῶν, μέγα τε ἐςὶ καὶ πολυάνθρωπον, πρὸς ὃ οὐδὲ ἓν*

ἓν αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ Σκυθικὸν γένος ἀντιστῆναι δύναται. διῄρηται δὲ εἰς τρισκαίδεκα γενεὰς, αἵ τινες καλοῦνται μὲν πᾶσαι τῷ κοινῷ ὀνόματι. ἔχουσι δὲ ἑκάστη καὶ ἴδιον ἀπὸ τοῦ αὐτῆς προγόνου καὶ ἀρχηγοῦ, τὴν προσηγορίαν κληρωσαμένη. νέμονται δὲ τὰς πέραν Ἴστρου ἀπὸ τοῦ Βορυσθένους ποταμοῦ καὶ μέχρι παννονίας ἡπλωμένας πεδιάδας, νομάδες τε ὄντες, καὶ τὴν σκηνήτην διαπαντὸς ἀσπαζόμενοι βίον. „ Patzinacarum gens Scythica eſt, eorum Scytharum, qui Baſilii (*ideſt Regii*) dicuntur, magna, & populoſa, & cui nulla alia gens Scythica reſiſtere ſola poſsit. Dividitur autem in tredecim Tribus, quæ ut univerſæ commune Patzinacitarum nomen uſurpant, ita quævis a ſuo generis Principe atque auctore peculiarem ſortita eſt appellationem. Incolunt trans Iſtrum planities a Boryſthene fluvio ad Pannoniam uſque porrectas, incertis errantes ſedibus, ſemperque in tabernaculis degentes „. In hoc autem Patzinacarum tractu hodie *Podolia* & *Moldavia* viſuntur, ut ſcribit Ortelius.

Additio. Eadem quæ ex Cedreno de Patzinacis ſunt deſcripta, leguntur apud Scylitzem Curopalatam edit. Venet. 1570. pag. 116. Ex his tamen colligitur, tam Patzinacas, quam Uzos, gentem eſſe Scythicam, hoc eſt, Hunnicam: ſed Uzos populoſiores, & Patzinacis nobiliores; utriuſque autem gentis frequens occurrit mentio apud Scriptores Byzantinæ hiſtoriæ. Notanda tamen hæc Porphyrogeniti verba: „ Ante annos quinquaginta Uzi cum Chazaris conjuncti, Patzinacas ſedibus ſuis expulerunt: qui venientes in terram, quam nunc incolunt (ideſt in planities trans Iſtrum a Boryſthene uſque ad Pannoniam porrectas) Turcos debellatos inde ejecerunt, ſedeſque ipſi ſuas ibi poſuerunt, tenentque jam hodie annum quinquageſimum quintum „. Porphyrogenitus hæc ſcribebat anno mundi 6457. ideſt, Chriſti 949. uti legitur cap. 27. *Turci* apud eundem ipſi ſunt *Hungari* ſive *Hunnoguri*. Itaque anno 899. (juxta ipſum) Patzinacæ ab Uzis & Chazaris e ſedibus ſuis, quas ſupra paludes Mæotides trans Tanaim habebant, ejecti ſunt: & quinto poſt anno, ideſt, 894. iidem Patzinacæ in Hungaros ſeu Turcos irruentes, ſedibus eorum occupatis, habitarunt in planitie trans Iſtrum a Boryſtene uſque ad Pannoniam Transdanubianam. Adeoque Hungari & ibi antea ha-

habitabant, unde a Patzinacis sunt expulsi; & post annum 894. coacti sunt novas sibi sedes in Pannonia quærere. Hæc Porphyrogenitus. At vero Annalista Metensis id Hungarorum & Patzinacarum factum ante annos quinque narrat, ideft ad ann. 889. his verbis: „ ex supradictis igitur locis (ideft, a Scythicis „ Regnis & a paludibus quas Tanais sua refusione in immensum porrigit, uti supra dixerat:) gens memorata (*hoc est*, „ *Hungari*) a finitimis sibi populis, qui Pecinaci vocantur, a „ propriis sedibus expulsa est... Horum itaque violentia effugati, ad exquirendas quas possent incolere terras, sedesque „ statuere, valedicentes patriæ, iter arripiunt. Et primo quidem Pannoniorum & Avarum solitudines pererrantes, venatu ac piscatione victum quotidianum quæritant. Deinde „ Carantanorum, Marahensium, ac Bulgarum fines crebris impulsionum infestationibus irrumpunt „. Cætera. Errat hic Annalista, dum Hungaros scribit a Patzinacis expulsos fuisse *a Scythicis regnis & a paludibus quas Tanais sua refusione in immensum porrigit*. Jam enim antea Hungari inde exierant post Cobrati obitum, uti supra dictum est: & quando Patzinaci illos aggressi sunt, ea loca ipsi tenebant, quæ a Borysthene usque ad Pannoniam trans Istrum porriguntur. Recte tamen ad ann. 889. confert, eorumdem e sedibus suis, opera Patzinacarum, ejectionem: nam anno 892. (teste Annalista Fuldensi) Arnulfus Germaniæ Rex dicitur, assumptis secum Francis, Bajoariis, Alamannis, in Moraviam adversus Zventiboldum Moravorum Regem venisse, ibique per quatuor hebdomadas cum tanta multitudine, *Ungaris etiam ibidem ad se cum expeditione venientibus*, omnem illam regionem incendio devastasse. Præterea Byzantini Scriptores, quorum verba mox proferam, tradunt, anno tertio Leonis Imper. ideft Chr. circiter 889. conductos a Romanis adversus Bulgaros, Turcos Istrum accolentes, qui & Ungari vocantur: proinde ante eum annum necesse est eosdem Ungaros a Patzinacis ejectos, ad ea loca se contulisse: & post relatam de Bulgaris victoriam, eosdem ipsos in Pannoniam Francis subjectam irrupisse. Emendandus ergo Porphyrogenitus, qui post annum 894. collocat Hungarorum e sedibus suis expulsionem.

III. Porphyrogenitus. „ Themata autem isthæc sunt. Pri-

„ mum

„ mum est Ἑρτήμ, Ertem. Secundum Τζὺρ, Tzur. Tertium
„ Γύλα, Gyla. Quartum Κυλπέη, Culpee. Quintum Χαροβόη,
„ Charoboë. Sextum Ταλμάτ, Talmat. Septimum Χοπὸν,
„ Chopon. Octavum, Τζόπον, Tzopon.

Bandurius. ὄνομα τοῦ πρώτου θέματος Ἑρτήμ. Omnia hæc Themata paulo infra compositis nominibus insigniuntur, exceptis Gyla, & Charoboë. Nec dubito, quin plurima horum Thematum nomina corrupta ac depravata sint, ut sæpe accidere solet Scriptoribus Græcis, dum barbara nomina referunt.

IV. Porphyrogenitus. „ Quo autem tempore suis ejecti
„ sedibus Patzinacitæ fuerunt, principes erant, in Themate
„ quidem Ertem Μαΐτζαν, Maitzan. In Tzur, Κουὴλ, Cuel.
„ In Gyla, Κουρκούταν, Curcutan. In Culpee, Ἰπαὸν, Ipaon.
„ In Charoboë, Καϊδοὺμ, Caidum. In Talmat, Κώσταν, Costan.
„ In Chopon, Γιαζὴ, Giaze. In Tzopon, Βατὰν, Batan. His
„ autem mortuis, in principatus successerunt eorum patrueles:
„ siquidem lex illis & antiqua consuetudo est, dignitates ad
„ filios aut fratres non transmittere: sed contenti principes esse
„ debent, quoad vivunt, principatum tenere; post mortem
„ vero, vel patrueles, vel eorum filii promoventur, ne semper in eadem prosapiæ parte dignitas consistat, sed ut ad collaterales quoque ea hæreditate deferatur: alterius vero prosapiæ qui sit, nullus in principatum succedit.

Bandurius. Ἀπὸ τῶν ἰδίων τόπων. In MSS. diversis verbis hæc habentur, ἀπὸ τῆς ἰδίας χώρας.

Idem. εἰς τὸ χοπὸν τὸν γιαζὴ. Sic MSS. Codex. In editis vero, τὸν γιαστὴ legitur. Et paulo infra idem Thema γιαζιχόπον appellatur, a nomine ejusdem principis.

V. Porphyrogenitus. „ Hæc porro octo Themata in
„ partes distribuuntur Quadraginta, quæ singulæ habent prin-
„ cipes minores. Et quatuor quidem Patzinacitarum nationes,
„ sive Themata, nimirum Κουαρτζιτζοὺρ, Cuartzitzur: Συρου-
„ καλπέη, Syrucalpee: Βοροταλμὰτ, Borotalmat: & Βουλα-
„ τζοσπὸν, Bulatzospon, ultra Danaprin flumen sitæ sunt,
„ Orientem Septentrionemque spectantes versus Uziam, Cha-
„ zariam, Alaniam, Chersonem, & cæteras regiones.

Bandurius. Κουαρτζιτζοὺρ. Hoc nomen compositum est ex nomine Thematis *Tzur*, & principis, qui in eo tunc regnabat, dum

dum hæc ſcriberet Porphyrogenitus: nam, ut ſcribit Cedrenus paulo ſuperius citato loco, præter commune Patzinacitarum nomen, quævis tribus a ſuo generis principe atque auctore peculiarem ſortita eſt appellationem. *Διήρηται δὲ εἰς ϛʹ ισχαίδεκα γενεὰς, αἵτινες καλοῦνται μὲν πᾶσαι τῷ κοινῷ ὀνόματι. ἔχουσι δὲ ἑκάστη καὶ ἴδιον ἀπὸ τοῦ αὐτῆς προγόνου καὶ ἀρχηγοῦ, τὴν προσηγορίαν κληρωσαμένη.*

Idem. *συρουκαλπέη*. Sic & in MSS. At fortaſſis legendum, *συρουκουλπέη*; quippe paulo ſuperius hoc Thema *Κουλπέη*, non *Καλπέη* appellatur.

Idem. *Βουλατζοσπόν*. Thema hoc paulo ſuperius *Τζοπὸν*, & non *Τζοσπὸν* vocatur.

Idem. *πέρα τοῦ Δανάπρεως*. Ultra Danaprim flumen. In editis legitur, *παρ' αὐτοῦ Δανάπρεως*, *ad Danaprim fluvium*.

VI. Porphyrogenitus. „ Reliquæ vero quatuor nationes „ poſitæ ſunt cis Danaprim flumen, ad partes Occidentis Se- „ ptentrioniſque; nimirum Thema *Γιαζιχοπόν*, Giazichopon, „ Bulgariæ finitimum eſt; inferius Thema *Γύλα*, Gyla, Tur- „ ciæ proximum eſt: *Χαροβόη*, Charoboë Thema, Ruſſiæ ad- „ jacet: *Ἰαβδιερτίμ*, Jabdiertim vero Thema, conterminum „ eſt tributariis pagis Ruſſiæ regionis, puta, *Οὐλτίνοις*, Ulti- „ nis: *Δερβλενίνοις*, Derbleninis: *Λενζενίνοις*, Lenzeninis: „ reliquiſque *Σκλάβοις*, Sclavis.

Bandurius. *ἔνθεν τοῦ Δανάπρεως ποταμοῦ*. Sic in MSS. Perperam in editis legitur, *ὅθεν τοῦ δανάπρεως ποταμοῦ*. Quippe quatuor Patzinacitarum Themata ultra Danaprim ſita fuiſſe ait, quatuor vero cis Danaprim. *γιαζιχοπὸν*, nomen compoſitum ex *χοπόν* Thematis nomine, & *γιαζὴ* ſeu *γιαζὶ* principis nomine, qui in eo themate regnabat, quo tempore Patzinacitæ ſuis ſedibus ejecti fuere, ut ait paulo ſuperius idem Porphyrogenitus. *τὸ δὲ θέμα τοῦ κάτω γύλα*. Circa finem hujus capitis hoc idem thema compoſito nomine inſignitur, & *Chabuxingyla* dicitur. *Ἰαβδιερτίμ*, nomen primi thematis compoſitum: ſed ſupra ſcribitur *ηρτήμ*, non vero *ερτίμ*. Cæterum duarum Tribuum Patzinacitarum, quarum una *Belemarnis*, & altera *Pagumanis* vocabatur, meminit Cedrenus pagin. 776. *πλησιάζει τοῖς ὑποφόροις χωρίοις χώρας τῆς Ῥωσίας*. Sic in MSS. Codice.

ce. In editis legitur: πλησιάζει τῆς ὑποφόροις χώραις τῆς Ῥωσίας.

Additio. *Danapris* idem est ac *Borysthenes*: de quo Cellarius Geograph. antiq. lib. 2. cap. 6. pag. 498. *Hodie* Borysthenes, *Nieper sive Dnieper adpellatur, quod nomen non recentissimum est, sed ex alio Danapris, quod medio aevo obtinuit, contractum*. Contermini Russiae populi cis Borysthenem siti, *Ultini* Lithuani: *Derblenini* Drevuliani: *Lenzenini* Poleutzani. De quibus supra ex Herbeistinio.

VII. Porphyrogenitus. „ Distat autem Patzinacia ab „ Uzia & Chazaria itinere dierum quinque: ab Alania die„ rum sex: a Mordia dierum decem: a Russia unius diei a Tur„ cia dierum quatuor: a Bulgaria dimidii unius diei: propinqua „ est Chersoni, sed magis etiam Bosporo.

Bandurius. Ἀπὸ δὲ Μορδίας. Sic MSS. Codex. Editi habent, ἀπὸ δὲ μοδίας. Sed Meursius hic pro Μοδίας, legendum ait Μηδίας, cui libenter subscribo.

VIII. Porphyrogenitus. „ Sciendum est, quo tempore „ expulsi sua regione Patzinacitae fuere (*hoc est, circa annum* „ 899. *juxta Porphyrogenitum*) nonnullos eorum sponte sua „ illic mansisse, & Uzis cohabitasse: suntque inter eos etiam „ nunc, ea habentes indicia, ut facile discerni possint, cogno„ scique quales sint, & quomodo avelli a suis contigerit. Si„ quidem utuntur vestibus decurtatis, & ad genua tantum „ pertingentibus, & manicis abscissis; ea videlicet re innuen„ tes, a gentilibus se suis esse diremptos. Ultra vero Dana„ prim fluvium, qua parte Bulgariam spectat, ad ejusdem flu„ minis trajectus, urbes desertae sunt: prima urbs quae Patzi„ nacitis, (*a*) Ἄσπρον, *Aspron*, sive Alba dicitur, quod e saxo „ albicante constructa sit: Secunda Τουγγάται, *Tungatae*: ter„ tia Κρακνακάται, Cracnacatae: quarta Σαλμακάται, *Salma*„ *catae*. Quinta Σακακάται, Sacacatae: Sexta Γιαιυκάται, Giaeu„ catae. Inveniuntur autem inter urbium collapsarum fabri„ cas, Ecclesiarum indicia quaedam, & Cruces ex lapide to„ phino exsculptae: unde quasi per traditionem credunt non„ nul-

a Ἄσπρον, vox Graeca est. A vero autem abhorret, Patzinacitas, gentem Hunnicam, Graeco vocabulo urbem suam appellasse. Itaque indubium est, eos voce Hunnica, sive Turcica usos, آق شهر *Ak-Sceber*, idest *Albam urbem* vocitasse.

„ nulli, olim illic sedes habuisse Romanos. Porro Κάγγαρ, „ *Cangar* quoque appellantur Patzinacitæ, non omnes qui- „ dem, sed trium tantum Thematum incolæ, nimirum The- „ matis Jabdiertim, Cuartzitzur, & Chabuxingyla: tamquam „ qui cæteris fortiores nobilioresque sunt: nam hoc vox ipsa „ *Cangar* significat.

Hæc Porphyrogenitus de Patzinacitis. Ut autem ab ipsius postremis verbis exordiar, pro Κάγγαρ, *Kangar*, legendum puto, Καγάν, *Cagan*: quæ vox *Regem* significat: unde Patzinacæ non omnes quidem, sed tres illorum memoratæ tribus, idest, *Ertem*, *Tzitzur*, & *Gyla*, dicuntur a Cedreno & Scylitze, Βασιλέιοι, *Regii*: quia nempe iis Rex præerat, qui Hunnice خاقان *Chagan* appellatur. Voces Hunnicæ a Porphyrogenito non intellectæ depravate ut plurimum redduntur. Sic, *quæ Patzinacitis* Ἄσπρον, prima urbs ad trajectum Borysthenis dicitur; Græce scilicet, non Hunnice. Reliquæ in Κάται desinentes, perinde sunt, ac illæ quæ apud Germanos in *Burg* desinunt: Nimirum *Tugi Cat*, seu *Cad*: *Cracna-cat*: *Salma-cat* *Saca-cat*: *Glæu-cat*: hoc est, *Tugi-burg*, *Cracna-burg* &c. Quarum urbium nomina Russice in *Gorod* desinunt.

V. De Hungaris, seu Turcis, & Cabaris, & Sabiris.

De Patzinacis hactenus. Nunc de *Turcis* sive *Hungaris*, qui a Patzinacis expulsi, magnam Moraviam & Pannoniam ingressi sunt.

I. Porphyrogenitus cap. 38. „ Turcorum gens olim pro- „ pe Chazariam habitabat, in loco, cui cognomen Lebedias, „ Λεβεδία, a primo ipsorum Βοεβόδυ, Boëbodo: qui nomine „ Lebedias appellabatur; dignitate vero, quemadmodum re- „ liqui ejus successores, Boëbodus vocabatur. In hoc igitur „ loco, nimirum in prædicta Lebedia, fluit amnis Χιδμᾶς, „ Chidmas, qui etiam Χιγγυλὺς *Chingylus* cognominatur. „ Et quidem tunc temporis non Turci, sed Σαβαρτοιάσφαλοι „ *Sabartiasphali* quadam de causa dicebantur: erantque gen- „ tes eorum septem, & principem vel indigenam vel alieni- „ genam habuerunt nunquam; sed erant inter ipsos Boëbodi „ quidam, quorum primus is, cujus supra mentionem feci- „ mus Lebedias.

Bandurius. ἔστις Βοεβόδος. Latine *Vaivoda*: dignitas apud Slavos, *Voëvoda*: idem quod apud Latinos, *Capitaneus*, *Tribunus*, *Dux militum*. Ad-

Additio. Prima Turcorum, de quibus est sermo, hoc est, Hungarorum, sedes erat ad fluvium Etel seu Volgam. Porphyrogenitus cap. 40. „ Locus autem, quem primitus Turci occu-
„ pabant, a fluvio interlabente nuncupatur Etel, & Cuzu, in
„ quo nunc Patzinacitæ commorantur. A quibus sane pulsi
„ Turci & profugientes, sedes posuerunt illic, ubi nunc habi-
„ tant „. idest transito Borysthene & Tyra fluviis, in Dacia Trajani & Moravia usque ad Pannoniam. Id ut intelligatur, recole quæ Tom. 1. Par. 2. cap. 9. a pag. 422. dixi de Hunnis Cuturguris, & Uturguris, & Hunnoguris Regi Turcorum subjectis, qui *Turxathus*, hoc est *Turc-chan*, sive Turcorum Princeps dicitur. Ad eum missus legatus Valentinus, secundo Tiberii Cæsaris anno, idest Chr. 579. (quemadmodum narratur lib. 8. de Legationibus edit. Paris. pag. 161.) „ collectis centum sex
„ Turcis, & a Regia urbe olcadibus quæ celeriores erant, sol-
„ vit ad Sinopem, & Chersona quæ in adverso Ponti Euxini
„ litore ad solis ortum est ædificata: & per Apaturos & gentes
„ ad arenosa loca sitas, fines Tauricæ percurrit, qua ad meri-
„ diem vergit. Inde Valentinus campos, circa quos stagnantes
„ aquæ decurrebant, equis perequitavit, & alios plures arun-
„ dinosos & arboribus consitos, & palustres locos pertransivit.
„ Regionem quoque, quæ dicitur Accagas (est autem nomen
„ mulieris, quæ in illa Scythis imperabat, suffragio Anagæi,
„ qui tribui Utrigurorum præerat, regnum adepta) & ut bre-
„ viter dicam, multis & difficillimis itineribus peragratis, ad
„ ea loca pervenerunt, ubi Turxathi bellica spolia & insignia
„ erant constituta. Erat hic unus ex Turcorum Ducibus: Ete-
„ nim omnis Turcorum dominatus in octo Tribus divisus, &
„ unicuique Tribui unus erat sortito præpositus: Vetustiori
„ autem Turcorum Monarchæ nomen erat Arsilas. Itaque Va-
„ lentinus ad Turxathum accedens (is enim primus Turcorum
„ Ducum obvius erat illuc venientibus) se unacum illis Roma-
„ norum Cæsari gratulari dixit: eo enim ejus rei gratia venisse,
„ ut Turcorum Tribubus nunciaret, jam Tiberium ad Cæsarum
„ potentiam evectum esse. Ad hæc ut non minor inter eos be-
„ nevolentia esset, & fœdera eadem constarent & valerent,
„ quæ inter Dilzibulum (*alium scil. Turcorum Regem*) & Ju-
„ stinum Imperatorem per Zemarchum, qui primus ad eos ve-

,, nerat, pacta conventaque fuerant. Dilzibulus enim se Romanorum amicum professus erat,& tam arcta cum Justino necessitudine conjunctus, ut eosdem haberet hostes. Hæc ut salva & illæsa manerent, ut erant, quum Romani bellum illic cum Persis gesserunt, postulabat... Hæc Legato dicente, confestim Turxathus: num, inquit, vos estis illi Romani, qui decem quidem linguis, sed una fraude utimini? Qui apud vos regnat, mihi debitas persolvet pœnas. Dum enim mecum amica verba loquitur, factus est confœderatus Varchonitarum (*Hunnorum Abarum*) qui a nostris servis, eorum dominis (indicabat autem Abares) defectionem moliti sunt. Et Varchonitæ quidem, tamquam Turcorum subditi, quum voluero, simulatque in me prosilierint, si meum equitatum conspexerint, flagellum in ipsos immissum aufugient, & in interiora terræ se abdent: si consistere ausi fuerint, cædentur, ut par est, non gladiis, sed, formicarum instar, conterentur unguibus equitatus nostri, & perimentur. Et Varchonitis quidem res sunt in tuto; vos autem Romani, quid est, quod legati, quos ad me mittitis, per Caucasum iter instituunt; & dicitis, alio iter non esse? Id, ut vere dicam, facitis, quo me a vobis invadendis propter itineris difficultatem avertatis. Sed tamen ego eximie scio, qua Danapris fluvius, qua Ister, qua Hebrus (*Thraciæ fluvius*) fluit & labitur, qua transierunt in Romanorum ditionem Varchonitæ servi nostri, ut ipsam invaderent: neque ego sum nescius vestrarum virium. Omnis enim terra, quæ a primis solis radiis incipit, quæque solis occidentis finibus terminatur, mihi paret & subest. Vobis, o miseri, ob oculos ponite Alanorum gentem, atque adeo ipsas Unigurorum tribus. Hi excellenti fortitudine & audacia præditi licet, & domesticis copiis freti, contra invictam Turcorum gentem acie congressi, nihil quicquam eorum, quæ speraverant, consecuti sunt, & nobis parent, nostrorumque servorum numero habentur,,. Hæc Turchorum Chaganus sub Tiberio. Idem vero, an alter eorumdem Turcorum Chaganus sub Mauricio, missa legatione de suis victoriis, diversas Hunnorum gentes, apud Theophylactum Simocattam lib. 7. cap. 7. sic enumerat: ,, Æstate hujus anni appetente, Chaganus in Oriente

„ te a Turcis celebratus, legatos ad Mauricium Imp. mittit,
„ cum Epiſtola, in qua de triumphis ſuis gloriatur. Inſcriptio
„ ad verbum talis erat. Imperatori Romanorum, Chaganus
„ magnus deſpota ſeptem gentium, & Dominus ſeptem mundi
„ climatum. Sane Principem gentis Abdelarum qui aliter Ne-
„ phthalitæ (*al. Ephtalitæ*) bello hic Chaganus ſubegit, ſibi-
„ que imperium illud vindicavit. Ea victoria inflatus, & Stem-
„ bischada ad armorum ſocietatem conjuncto, Abarum (*a*)
„ quoque nationem in ditionem ſuam redegit. Ergo devictis a
„ Chagano Abaris, alii eorum ad Taugaſtenſes confugerunt (eſt
„ autem Taugas Turcorum nobilis colonia, ſtadiis mille quin-
„ gentis ab India diſtans, cujus indigenæ & ſtrenuiſſimi & fre-
„ quentiſſimi, & præſtantia quovis populo in orbe terrarum
„ ſuperiores) Alii propter amiſſam libertatem, humiliorem
„ ſortiti conditionem, ad Mucritas, qui dicuntur, Taugaſten-
„ ſibus viciniſſimos, ſe contulerunt. Aggreſſus eſt & aliud fa-
„ cinus Chaganus, & Ogor gentem totam domuit. Fuit hæc
„ gens tum numero, tum armorum exercitatione validiſſima.
„ Hi in Oriente ad fluvium Til (*Etel ſcilicet*, *ſeu Volgam*) ac-
„ colunt, quam Turci *Nigrum* appellare ſolent. Ejus (*Ogori-
„ cæ gentis*) vetuſtiſſimi Principes Var, & Chunni vocabantur,
„ a quibus etiam nonnullæ illarum gentium adeptæ ſunt appel-
„ lationem, ut Var, & Chunni nominarentur. Ogor itaque
„ magna ope debellatis, Colch gentis principem Chaganus
„ gladio ſuſtulit. Hunc in modum victoria Chagano inſigniter
„ arridente, civile inter Turcos bellum exarſit. Vir quidam
„ vocabulo Turum, cum Chagano cognatione conjunctus, res
„ novans, copias ingentes contraxit, collatiſque cum eo ſi-
„ gnis, ſuperior diſceſſit. Chaganus alios tres Chaganos ſibi
„ per legatos adjungit, quibus nomina propria fuerunt Spar-
„ zeugum, Cunaxolan, Tuldich. Univerſis itaque copiis ad
„ Icar locum latis in campis ſitum conſtitutis, & inſtructis, ad-
„ verſariiſque ibidem fortiſſime dimicantibus, tyrannus occum-
„ bit, ejus agmen fugæ ſe dat, & Chaganus magna cum cæde
Tom. III. Gg 2 „ ditio-

a Abares iſti a Chagano Turcorum devicti alii ſunt ab illis Abaribus, qui in Europam & Pannoniam ante Mauricii tempora advenerant: ialſo enim id nomen Abares Iſtrum accolentes uſurparunt: proinde a Theophylacto *Pſeudabares* vocantur. Nam veri *Abares*, & *Varchonitæ*, ad Etel fl. habitabant, a Turcorum Chagano ſub Mauricio domiti. Vide Simocattam lib. 7. cap. 8.

„ ditionem in poteſtatem redigit. Harum victoriarum lætitiam „ Chaganus Mauricio per legatos ſignificavit.

Itaque *Turci*, (Hunnicæ & ipſi gentes, ſed Hunnorum ſeu Scytharum omnium potentiſſimi) „ in ſeptem Tribus diviſi, to- „ tidem Chaganos habentes, in Scythia intra Imaum habitantes, „ in ditionem ſuam redegerant alios Hunnos, tam *Abares* di- „ ctos, quem Ephtalitas, & *Ogoritas* „ ſive *Iguros*, qui & Hunnoguri & Hungari dicebantur, atque ad *Etel* fluvium ſub principibus *Var*, & *Chunni* accolebant. Juſtiniano vero Auguſto Imperium obtinente (uti idem Theophylactus Simocatta lib. 7. cap. 8. ſubjungit) ex hiſce *Ogoritarum* gentibus *Var & Chunni* exigua pars a primævo genere illo profugiens, in Europam ſe intulit; qui ſe *Abares* & Principem ſuum *Chaganum* honoris cauſa nominarunt. At vero *Sarſelt*, *& Unnuguri*, & *Sabiri*, & inſuper aliæ gentes *Hunnicæ*, poſtquam partem *Var*, *& Chunni* ad loca ſua confugientem viderunt, ingenti metu perculſæ ſunt, quod advenas illos *Abares* eſſe ſuſpicarentur: quocirca ſecuritati conſultum cupientes, donis ampliſſimis eos coluerunt. Var itaque, & Chunni, ut perfugium ſibi feliciter eveniſſe animadverterunt, errorem ſeſe honorantium non aſpernati, *Abares* dici voluerunt. De hiſce Abaribus ſive (ut Simocatta vocat) Pſeudabaribus, Menander in legat. p. 100. hæc habet: „ Quum igitur Valentinus (ab „ Juſtiniano legatus ad Abares miſſus) ad eos profectus eſſet, & „ munera præbuiſſet, & mandata Imperatoris expoſuiſſet; pri- „ mum quidem Uniguros, deinde Zalos, Hunnicam gentem, de- „ bellarunt, & Sabiros everterunt „. Et Simocatta l. 7. cap. 8. „ „ Tarniach, & Cotzageri (hi populi etiam ex Var, & Chunni „ gentibus erant) a Turcis profugi, Europam immigrant, & Aba- „ ribus Chagano ſubjectis ſe admiſcent. Traditum eſt etiam, Za- „ bender, & Chunni propagatos, qui ad Abaros acceſſerunt, eos „ ad decem millia fuiſſe plane compertum eſt „. Quum enim magnus Turcorum Orientalium Chaganus, Ogoros ad Etel habitantes, domuiſſet, magna eorum pars, ut ſeſe ab illius tyrannide eximerent, ad Abares ſeu Pſeudabares, qui jam in Europam & Pannoniam ſe intulerant, migrarunt; idque uſque a Juſtiniani temporibus. Itaque alii ejuſdem *Ogoricæ* gentis populi, qui ad *Etel* ſeu *Volgam* ſub Turcorum Chagano remanſerant, quorum Dux *Lebedias*, primum quidem cum Chazaris

annos

annos tres habitarunt: post aliquot vero annos, a Patzinacitis inde ejecti, sedes posuerunt in Pannonia, quemadmodum Porphyrogenitus narrat. *Et quidem tunc temporis* (inquit Porphyrogenitus; idest, quando in loco dicto *Lebedia* ad fluvium Chidmas degebant) *non Turci*, *sed Sabarti-asphali quadam de causa dicebantur*, *erantque gentes eorum septem*. Nimirum, Porphyrogenitus ad ea Simocattæ verba respicit, quæ supra sunt recitata, de *Var*, & *Chunni* exigua parte a primævo Ogoritarum genere profugiente, & ab Hunnicis gentibus *Sarselt*, *Unnoguris*, *&* *Sabiris* benigne excepta dum in Europam se conferret: necnon ad Procopium lib. 1. Bell. Pers. cap. 3. de *Ephthalitis* sic scribentem: „ Posthæc Rex Persarum Perozes cum „ Ephthalitis Hunnis, quos Albos vocant, de regni finibus „ aggressus bello contendere, exercitum contra illos florentem duxit. Porro Ephthalitæ & genus & nomen Hunnorum „ participant, licet cum Hunnis, quos novimus, nullum ipsis „ commercium intercedat. Haud enim eorum confines sunt, „ neque accolæ: sed Persarum a Septentrione, ubi est Gorgo „ urbs ad extremam Persidis oram sita „. Ex *Sabiris* quippe & *Ephthalitis*, videtur Porphyrogenitus *Sabarti-Asphalos* commiscuisse. *Sabiri Hunni*, Procopio *Saberi*, Theophani *Saber* dicti, *gens Hunnica* (*a*) „ circum Caucasi juga ingenti numero „ habitabant, in Principatus secti mediocres. Principum pars „ jam antiquitus Romano Imperatori, pars alia Regi amica „ Persarum: & solent utraque potentia sociis suis auri certum „ modum mittere non quotannis, sed quoties illorum auxilio „ indigent„. Anno primo (*b*) Justiniani Imperatoris (*Chr.* 527.) „ Mulier quædam barbara ex Unnis, Saber Σαβὴρ, vulgo „ nuncupatis, nomine (*c*) Βοαρὴξ *Boarex*, vidua adductis „ secum Hunnorum millibus centum, in Romanas partes transiit. Hæc amisso viro suo Βαλὰχ, *Balach* (*d*) Hunnicis regionibus imperitabat. Duos vero Reges ex alia Hunnorum „ natione, quæ partes interiores habitat, nomen uni Styrax, „ & al-

---

a Procop. Goth. Hist. lib. 4. ex edit. Grotii Amstælad. 1654. pag. 438.

b Theophanes ad ann. Justiniani I. Incarn. 520. mundi 6020. Chosrois Regis Persar. 2.

c Cedren. pag. 367. Βαρὴξ, *Barexa*.

d Cedren, loc. cit. Μαλὰχ, *Malach*.

„ & alteri Glones, (a) a Cabade Perſarum Rege ferendis ſibi „ ſuppetiis & Romanis bello vexandis accitos, & jam per regio„ nem ſibi ſubditam ad Perſarum loca cum millibus hominum „ viginti tranſitum habentes, armis illa excepit, & (b) de„ levit, & eorum quidem Regum unum, Styracem vocatum, „ in bello comprehenſum, vinculis alligatum, Conſtantino„ polim Imperatori miſit: Glonem autem in pugna interfe„ cit. Ita demum armorum ſocietatem & pacem cum Imp. Ju„ ſtiniano mulier perpetuo ſervavit „. At vero *Nephtalitæ*, ſeu *Ephtalitæ*, uti ex Procopio dicebam, *Hunni albi* erant, ad Septentrionem Perſarum ſiti, nimirum ſupra mare Caſpium, inter Jaxartem fluvium ad ortum, & *Volgam* ad occaſum. Menander de Abaris pag: 106. „ Initio quarti anni Imperii Juſtini „ Legatio Turcorum Byzantium acceſſit: Ut enim Turci opibus „ & potentia creverunt, Sogdoitæ, qui prius quidem Eptha„ litharum, tunc vero Turcorum ſubditi erant, &c. „ Theophanes Byzantius in Excerptis Photianis pag. 21. Edit. Pariſ. „ Ephthalanus Ephthalitarum Rex, a quo appellationem uni„ verſum genus traxit, Perozem & Perſas quum viciſſet, ſub„ moti his locis Perſæ, rerum vero potiti ſunt Ephthalitæ, „ quos poſt paulo Turci prælio ſuperantes, his etiam finibus pe„ pulerunt „. De Peroze ab Ephthalitis ſuperato Theophanes in Chronographia ad ann. Zenonis I. Incarn. 468. Mundi 5968. Chr. 474. „ Cæterum Perozes (*Rex Perſarum*) adverſus Neph„ thalitas Hunnos cepit expeditionem, & in fugam verſos ar„ mis inſequebatur. Illi per montium anguſta loca in leves tur„ mas diſperſi, dextrorſum & ſiniſtrorſum ſe recipiunt: De„ mum retro Perſas collecti, incuſtoditos anguſtiis locorum in„ cludunt. Ita Perozes arctatus pacem expetit: quam non „ prius Nephthalitarum Rex conceſſit, quam ille pronus in ter„ ram ipſum adoraſſet, & interpoſito juramento fuiſſet pactus, „ ſe non amplius bellum Nephtalitis illaturum. Perozes neceſſi„ tatis vi conſtrictus, illubenti animo id omne præſtiturum pol„ licetur, & cum multo dedecore revertitur: latæ tamen igno„ miniæ poſtmodum impatiens, violatis fœderibus, armis eos „ la-

a Cedr. Γλώνης, *Glones*.

b Græc. ὃυς καὶ Κατέκοψε: *quos & delevit, profligavit*. Latinus interpres, *in fruſta concidit*: haud recte.

„ lacessere non destitit. *Et ad annum sequentem*. Hoc eodem „ anno Perozes iterum adversus Hunnos Albos, λευκοὺς οὔννους, „ τοὺς λεγομένους Νεφθαλίτας, qui & Nephtalitæ dicuntur, arma „ movens, ex integro profligatur. Fossa quippe profundius „ excavata, calamos cum terra leviter aggesta desuper impo- „ nentes, latenter in ea Persas præstolabantur. Paucis autem, „ qui Persico exercitui occurrerent, missis, iisdemque in fu- „ gam versis, & exinde locorum angustias subeuntibus singulis, „ & una fugientibus reliquis, Persæ nihil adversum suspicati, „ effusis habenis eos insectati, omnes cum Peroze ipsiusque li- „ beris, in barathrum incidentes perierunt. Perozes dolum „ expertus, gemmam (*a*) quam habebat candidissimam & insi- „ gnem atque immensi pretii, aure dextra detractam a se pro- „ jecit, ne aliquis post eum illam gestaret, quum tam eximiæ „ & admirandæ species existeret, qualem nondum prius Rex „ alius possedisset. Tali strage Perozes cum omnibus copiis pe- „ riit „. *Subjungit* „ Barbari vero etiam tributi onere adjecto, „ duos annos Persis imperavere „. Porro Persæ qui in ea expeditione Perozi se comites non adjunxerant, juniorem ejus Cabadem sibi Regem præfecerunt: qui, ob latam de mulieribus communibus habendis legem, a Persis remotus & in custodia detentus, conjugis demum suæ studio ereptus, equo conscenso ad Hunnos Nephtalitas se recepit, quorum Rex, filia Cabadi in uxorem tradita, cum copioso exercitu in Persas illum immittens, Regno restituit. *Sogdoitæ*, quos Menander ait prius Ephthalitis, postea Turcis fuisse subjectos, *Sogdiani* sunt, sive, ut Strabo vocat, *Sogdii*, *Oxo flumine a Bactriis*, *Jaxarte a nomadibus*, eodem Strabone lib. XI. teste, *distincti*: idest, inter Oxum & Jaxartem habitantes: ubi *nomades* Strabonis, non alii sunt, nisi *Turci* & *Hunni Ephthalitæ*: Hinc Turcorum Chaganus, qui Ephthalitas prælio superatos, finibus suis ejecisse dicitur, Valentinum Tiberii Cæsaris Legatum alloquens, gloriabatur dicens: „ Omnis terra, quæ a primis solis radiis incipit quæ- „ que solis occidentis finibus terminatur, mihi paret & subest:, nam a *Jaxarte* usque ad Volgam, & a Volga usque ad Tanaim, universis Hunnicæ nationis populis (quos nunc Tartaros appellamus) dominabatur; quinimo longius versus Orientem produceba-

a Τὸν μάργαρον, *Margaritam*, seu, *Unionem*.

cebatur Turcorum Imperium, ideſt, uſque ad eam provinciam, quæ ab ipſis Turcis تركستان *Turcheſtania* vocatur, quæque juxta antiquam Cellarii Geographicam tabulam, *Choraſmios*, *Abios*, *Dachas*, *Maſſagetas* & *Sacas* complectitur.

II. Porphyrogenitus. „ Habitarunt autem (Turci) cum „ Chazaris annos tres, omnibus eorum in bellis adjutores: „ Chaganuſque Chazariæ Princeps, Turcorum Boëbodo Le„ bediæ, fortitudinis eorum ac commilitii cauſa, uxorem de„ dit Chazaram nobilem, motus fortitudinis ejus fama & ge„ neris ſplendore, ut ex eo prolem tolleret: & tamen caſu „ factum eſt, ut ex Chazara illa liberos non ſuſciperet Lebe„ dias. Patzinacitæ vero, qui Cangar olim cognominaban„ tur (nam hoc nomen Cangar apud ipſos nobilitatem ac for„ titudinem ſignificat) armis contra Chazaros ſumptis, victi „ terram ſuam deſerere, & Turcorum regionem incolere coa„ cti ſunt. Bello autem inter Turcos & Patzinacitas tunc tem„ poris Cangar cognominatos exorto, Turcorum exercitus „ devictus fuit, atque in partes duas diviſus; & earum una „ quidem Orientem verſus partem Perſidis incoluit; & hi „ etiam in hodiernum diem Turcorum cognomine Sabarti Aſ„ phali nuncupantur: altera vero pars Occidentem verſus „ ſedes poſuit cum Boëbodo ſuo ac Duce Lebedia in locis Atel„ cuſu nuncupatis, quæ nunc Patzinacitarum gens incolit. „ Paulo vero poſt Chaganus ille Chazariæ Princeps per Le„ gatos petiit a Turcis, ut ad ſe Chelandiam (*a*) mittant pri„ mum eorum Boëbodum. Itaque ad Chaganum Chazariæ „ profectus Lebedias, interrogavit: quæ ipſius vocandi cauſa „ eſſet? Cui Chaganus: ideo ſe eum vocaſſe, ut, quandoqui„ dem nobilis, prudens, ſtrenuus, primuſque Turcorum eſ„ ſet, gentis ſuæ Principem faceret, eo pacto, ut ſibi ſubeſſet. „ At ille reſpondit: Affectum tuum erga me & voluntatem „ exoſculor, gratiaſque dignas ago. Quando vero tali Prin„ cipatui non ſufficio, parere non poſſum: ſed eſt alter a me „ Boëbodus, Salmutzes (*b*) nomine, qui & filium habet, Ar„ padem nuncupatum. Horum, ſive ipſe Salmutzes, ſive „ filius

a Bandurius. Chelandia urbs hic eſt circa Boſporum, non vero navigii genus, ut putavit Meurſius.

b In editis paulo infra, Ἀλμούτζης, Almutzes appellatur. Unde Meurſius utrobique Almutzes ſcribendum ait: at in MSS. Cod. utrobique Salmutzes. Bandur.

„ filius ejus Arpades Princeps fiat, tibique subjiciatur. Placuit itaque hæc oratio Chagano, virosque cum ipso ad Turcos misit: qui ubi cum iis sermonem communicassent, visum potius illis fuit Arpadem Principem constituere, quam patrem Salmutzem, utpote digniorem, & prudentia, consilio, ac fortitudine insignem, talique Principatui parem: quem etiam solemni Chazarorum more ac consuetudine in scuto erectum, Principem fecerunt. Et ante hunc Arpadem, Turci Principem alium nullum unquam habuerunt; ex cujus etiam posteris ad hunc usque diem (*idest usque ad ann. Chr.* 949.) Princeps Turciæ constituitur. Post aliquot vero annos (*a*) Turcos invadentes Patzinacitæ, eos cum Principe Arpade persecuti sunt. Turci itaque profligati fugientes, & terram ad sedes locandas quærentes, magnam Moraviam ingressi, incolas ejus expulerunt, ibique sedes suas posuerunt, tenentque etiam in hodiernum usque diem. Et ex eo tempore bellum cum Patzinacitis Turci non habuerunt. Ad Turcos vero Orientem versus in Persidis partibus habitantes, quorum supra mentionem fecimus, negotiatores suos mittunt etiamnum ii, qui Occidentem incolunt prædicti Turci, invisuntque illos, & responsa sæpe ab ipsis per hos accipiunt. Cæterum Patzinacitarum locus, quem tunc inhabitabant Turci, a fluviis, qui illic sunt, cognominatur: flumina autem isthæc sunt: primus fluvius Baruch appellatur: secundus Cubu: tertius Trullus: quartus Brutus: quintus denique Seretus nuncupatur.

III. Porphyrogenitus pergit de Cabaris cap. 39. „ Cabari a Chazarorum gente descendunt. Facta autem inter eos secessione, belloque orto civili, prior eorum pars vicit: quique victi, pars occisi sunt, pars fugientes, ad Turcos in Patzinacitarum terram se contulerunt, ibique sedes posuerunt; contractaque mutua amicitia, Cabari appellati sunt; unde & Chazarorum linguam ipsos Turcos docuerunt, habentque etiam hodie eandem dialectum; aliaque item Turcorum lingua utuntur. Quia vero fortitudine bellica & strenuitate, octo aliis gentibus (*nimirum octo Patzinacarum*

a Supra dixi, id factum ex mente Porphyrogeniti referri ad ann. Chr. 899., sed ex Francorum Annalibus constare id contigisse anno 889.

,, *thematibus*) præstabant, iisque in præliis antecellebant,
,, primum in tribubus locum obtinuerunt; unusque in illis,
,, ideſt in tribus Cabarorum populis, Princeps eſt ad hodier-
,, num usque diem. Prima a Chazaris avulsa, hæc Cabarorum
,, gens eſt, quam dixi. Secunda, τῦ Νέκη, *Nece*; tertia, τῦ
,, *μεγέρη*, Megere: quarta, τῦ Κυρτυγερμάτυ, *Curtugermati*;
,, quinta, τῦ Ταριάνυ *Tariani*. Sexta, Γενάχ, *Genach*: Septi-
,, ma, Καρή, Kare: Octava Κασή, Case. Atque sic connexi
,, inter se Cabari cum Turcis, Patzinacitarum terram inco-
,, luerunt. Nimirum, poſtquam Patzinacitæ, ut supra dictum
,, eſt, Turcis ejectis, sedes illorum occuparunt, Turci cum
,, Cabaris conjuncti, impressionem in illos fecere, priſtinam-
,, que suam terram recuperarunt, Patzinacitis subjugatis.

IV. Porphyrogenitus. ,, Poſtea vero a Leone illo Chri-
,, ſti amante ac præclaro Imperatore arceſſiti, trajecerunt
,, (*Turci scil. una cum Cabaris Danubium trajecere*) bellum-
,, que (*a*) Simeoni (*Bulgarorum Regi*) inferentes, victo eo
,, fugatoque, Presthlavum (*b*) usque pervenerunt: & quum
,, in urbe Mundraga eum inclusissent, domum redierunt: quo
,, tempore Liuntica (*c*) Arpadæ filium Principem habebant.
,, Poſtquam autem iterum cum Romanorum Imperatore pa-
,, cem Symeon feciſſet, & opportunitatem nactus eſſet, ad
,, Patzinacitas legatos misit, & fœdus cum iis iniit, ad oppu-
,, gnandos delendosque Turcos. Quumque ad bellicam ex-
,, peditionem abiiſſent Turci, contra eos Patzinacitæ cum Sy-
,, meone

a Bandurius. Quomodo Bulgari a Romanis & Turcis profligati fuere, imperante Leone Philosopho, & quomodo Turci poſtmodum a Bulgaris internecione deleti, pluribus narrat incertus Continuator Theophanis in vita Leonis Imperatoris, necnon Symeon Magiſter in ejusdem Auguſti Vita.

b Hæc eadem Urbs aliis περσθλάβα dicitur; & quidem Persthlavam magnam, Bulgariæ Regum Regiam expugnavit Joannes Zimisces: utramque magnam & parvam Basilius. Magnam ad Iſtrum ſtatuit Anna; Zonaras & Scylitzes haud procul a Doroſtolo. Ad Hæmum Montem ponitur a Niceta in Isacio lib. 1. num. 5. quo loco eam describit.

c Arpadæ filii juxta eundem Porphyrogenitum quatuor fuere; *Tarcatzus*, *Jelech*, *Jutotzas*, & *Zaltan*. Aut igitur unus ex iſtis, alio nomine *Liunticca* (sive *Leventican*) vocabatur; aut is ante Patrem mortuus eſt. Leo Grammaticus de hoc Ungarico & Bulgarico bello loquens, tradit Ungariæ tunc Duces præfuisse *Arpadem*, & *Cusanem*. Quid? Si pro *Liuntica Arpadæ* filio, legendus sit *Lebedias*, & *Almutzes Arpadæ Pater*? De quibus idem Porphyrogenitus supra dixerat, Lebediam Turcorum Boebodum inducens sic loquentem ad Chazariæ Chaganum: ,, Eſt alter a me Boebo-
,, dus *Almutzes*, qui & filium habet *Arpadem* nuncupatum.

„ meone profecti, familias ipsorum omnino perdiderunt, hinc
„ misere pulsis qui ad regionis istius custodiam relicti erant.
„ Itaque reversi Turci, regionem suam desertam vastatamque
„ invenientes, in ea terra, quam ad hodiernum usque diem
„ incolunt, sedes posuerunt: in ea nimirum regione, quam a
„ fluminibus cognominatam esse supra diximus. Locus autem,
„ quem primitus Turci occupabant, a fluvio interlabente nun-
„ cupatur Etel, & Cuzu, in quo nunc Patzinacitæ commo-
„ rantur: a quibus sane pulsi Turci, & profugientes, sedes
„ posuerunt illic, ubi nunc habitant. In hoc autem loco anti-
„ qua quædam monimenta supersunt; inter quæ Pons Trajani
„ Imperatoris ad initia Turciæ, & Belegrada, quæ trium die-
„ rum itinere ab ipso ponte distat, ubi turris est Sancti ac Ma-
„ gni Constantini Imperatoris: & rursus ad cursum fluminis
„ extat Sirmium, quod Belegrada abest duorum dierum iti-
„ nere. Inde magna Moravia Baptismo carens, quam Turci
„ devastarunt (*occuparuntque*) cujusque Princeps olim fuit
„ Sphendoplocus. Atque hæc quidem juxta Istrum flumen
„ monumenta sunt, & cognomina. Ulteriora vero, quæ om-
„ nia Turcis habitantur, cognomina nunc habent a fluminibus
„ transcurrentibus. Eorum primum Timeses est. Alterum Tu-
„ tes. Tertium Moreses. Quartum Crisus. Quintum Tinzu.
„ Confines autem Turcis sunt, Orientem versus, Bulgari, ubi
„ eos Ister fluvius, qui & Danubius dicitur, separat: Septen-
„ trionem versus, Patzinacitæ: ad Occidentem, Franci: ad
„ Meridiem, Chrobati. Octo vero hæ Turcorum gentes Prin-
„ cipibus suis subjectæ non sunt, sed singulæ pro fluminibus,
„ quibus distinguuntur, mutuo inter se contractu statuerunt
„ quamcumque partem bello infestari contigerit, ei commu-
„ niter omni studio & cura suppetias ferre. Habent autem pri-
„ mum Ducem exercitus Principem è prosapia Arpadæ, cum
„ quo duo alii Gylas, & Carchan, qui Judicum vicem obti-
„ nent. Et habet unaquæque gens peculiarem Principem.
„ Suntque Gylas & Carchan non nomina propria, sed dignita-
„ tes. Sciendum vero, Arpadem magnum Turciæ Principem
„ filios genuisse quatuor, quorum primus Tarcatzus: secun-
„ dus Jelech, tertius Jutotzas, quartus Zaltan. Rursus Arpa-
„ dæ primogenitus Tarcatzus filium habuit Tebele: alter Je-

„ lech filium genuit Ezelech: tertius Jutotzas filium suscepit „ Phalitzin, qui nunc (*anno scil. 949.*) Principatum tenet: „ quartus Zaltas, filium habuit Taxin. Et omnes quidem Arpadæ filii mortui sunt, superstitibus tantum eorum nepotibus Phale, & Tase, cum patrueli eorum Taxi. Tebelesque „ moriens filium reliquit Termatzum, qui nuper in gratiam „ rediit cum Bultzo tertio Principe & Carcha Turciæ. Bultzus „ autem hic Carchas, filius est Cale Carcha. Estque Cale nomen proprium; quum Carchas sit dignitas, quemadmodum „ & Gylas, quæ tamen major est, quam Carchas.

Hæc Turcorum nomina, hæ generationes, atque hæ migrationes, donec in Daciam, Moraviam, & Pannoniam invaserunt. Pergit porro Porphyrogenitus cap.42. Tractum Patzinaciæ, Turciæ, & Chazariæ describens: „ Habitant quidem „ trans Danubium flumen Turci in terra Moraviæ, atque etiam „ ulterius inter Danubium & Sabam (*Savum*) fluvios. Ab inferioribus vero partibus Danubii ex opposito Distræ procurrit Patzinacia, eaque extenditur ad Sarcel usque, quod „ Chazarorum oppidum est, ad Tanaidis fluvii ostium, ubi „ in Mæotidem paludem influit. A Danubio autem fl. ad urbem laudatam Sarcel usque, iter est dierum sexaginta: interjacent vero complures fluvii, quorum maximi duo, nimirum „ Danastris & Danapris: reliqui sunt, Syngul, Hybul, Almatæ, Cuphis, Bogu, aliique quamplurimi. Et superiores „ Danapreos fluminis partes Russi accolunt, per quod navigantes ad Romanos proficiscuntur. Patzinacia autem Russiam „ universam & Bosporum complectitur usque Chersonem, & „ usque Sarat, Burat, & triginta partes.

VI. Hungari an. 889. in Pannoniam invadunt.

Redeo ad Annalistam Metensem: qui ad annum 889. *Hungarorum*, quos Porphyrogenitus ubique *Turcos* vocat, ingressum in Pannoniam sic describit. „ Ex supradictis igitur locis „ gens memorata a finitimis sibi populis, qui Pecinaci vocantur, a propriis sedibus expulsa est, eo quod numero & virtute præstarent, & genitale, ut præmisimus, rus exuberante „ multitudine non sufficeret ad habitandum. Horum itaque „ violentia effugati, ad exquirendas quas possent incolere terras sedesque statuere, valedicentes patriæ, iter arripiunt. „ Et primo quidem Pannoniorum & Avarum solitudines per-

„ erran-

„ errantes, venatu ac piscatione victum quotidianum quæritant. Deinde Carantanorum, Marahensium, ac Bulgarorum fines crebris impulsionum infestationibus irrumpunt, perpaucos gladio, multa millia sagittis interimunt, quas tanta arte ex corneis arcubus dirigunt, ut earum ictus vix præcaveri possit. Cominus enim in acie præliari, aut obsessas expugnare urbes nesciunt. Pugnant autem procurrentibus equis, aut terga dantibus. Sæpe etiam fugam simulant, nec pugnare diu possunt. Cæterum intolerandi forent, si quantus est impetus, vis tanta & perseverantia esset. Plerumque in ipso ardore certaminis prælia deserunt, ac paulo post pugnam ex fuga repetunt; ut quum maxime vicisse te putes, tunc tibi discrimen habendum sit: quorum pugna quo cæteris gentibus inusitatior, eo & periculosior. Inter horum & Brittonum conflictum, hoc unum interest, quod illi missilibus, isti sagittis utuntur. Vivunt non hominum, sed belluarum more. Carnibus siquidem, ut fama est, crudis vescuntur, sanguinem bibunt: corda hominum quos capiunt, particulatim dividentes, veluti pro remedio devorant. Nulla miseratione flectuntur, nullis pietatis visceribus commoventur. Capillos usque ad verticem ferro cædunt. Super illos ire, consistere, metari, ac colloqui solent. Liberos ac servos suos equitare, ac sagittare magna industria docent. Ingenia illis tumida, seditiosa, fraudulenta, præcocia: quippe eandem ferocitatem feminis, quam viris adsignant. Semper in externos, aut in domesticos motus inquieti; natura taciti; ad faciendum, quam ad dicendum promptiores. Hujus igitur nefandissimæ gentis crudelitate non solùm memoratæ regiones; verum etiam Italiæ Regnum ex permaxima parte devastatum est.

VII. Quid Byzantini scriptores narrent, de pugna Græcorum cum Simeone Bulgarorum Rege, deque Ungaris &c.

Quod ait Metensis, *Hungaros in fines Bulgarum* irrupisse, id ad eundem annum 889. Leonis Sapientis Augusti tertium, narrant Scriptores Byzantini, Continuator Theophanis, (*a*) Georgius (*b*) Monachus, Leo Grammaticus, (*c*) Simeon

a Pag. 220.
b Pag. 551.
c Edit. Parif. pag. 477.

mel iterumque adversus Bulgaros confligentibus.

meon (*a*) Magister, Joannes (*b*) Scylitzes, Cedrenus (*c*) & Zonaras. Zonaræ (*d*) verba, utpote qui rem summatim complectitur, accipe. „ Stephano Patriarchæ defuncto, Anto-„ nius (*e*) cognomento Cauleas successit. Quum Bulgari „ pace facta, cum Romanis commercia haberent, & telonæ „ iniqua ab eis vectigalia exigerent; id Symeoni illorum prin-„ cipi jamdudum occasionem captanti, satis causæ visum ad „ bellum Romanis inferendum. Sed Romanus exercitus con-„ tra eum missus succubuit, multis cæsis, ipsoque Duce inter-„ fecto, multis captis, quos Simeon nasis præcisis Byzantium „ redire passus est. Ea fœditate irritatus Imperator, Turcos „ Istrum accolentes, qui & οὔγγροι Ungari vocantur, muneri-„ bus impulit, ut Bulgaros ulciscerentur, & pro virili afflige-„ rent. Ipse quoque terra marique arma inferre eisdem parat, „ summa rerum Patricio Nicephoro Phocæ, quem Domesti-„ cum legionum designavit, mandata. Verum ante bellum, „ Quæstorem de pace legatum ad Symeonem mittit. Quem „ barbarus dolo adesse suspicatus, in vincula conjectum inclu-„ dit, & Phocæ resistit. Quo bello dum occupatur, Ungari „ ejus ditionem populantur. Quare Phoca omisso, contra il-„ los proficiscitur, & acie congressus, superatur, multis Bul-„ garis interfectis, pluribus captis, Symeon ipse vix Doro-„ stolum, quæ Distra est, confugit. Captivos Bulgaros Im-„ perator ab Ungaris emit: ad quem Symeon legatos de pace „ misit: cujus verbis Leo fide habita, Choerosphactem able-„ gavit ad pacem faciendam. Sed barbarus eo detento & vin-„ cto,

a Pag. 462.
b Edit. Venet. 1570. pag. 47.
c Edit. Paris. pag. 595. „ Anno insequenti (hoc est Leonis 3.) Stephanus Imperatoris frater moritur. Patriarcha in ejus locum creatur Antonius cognomento „ Cauleas. Hic erat urbanarum rerum status. At Simeon Bulgarorum princeps, „ fœderis Romani confundendi cupidus, hanc arripuit causam. Erat eunuchus Zau-„ tzæ, nomine Musicus. Cetera.
d Edit. Paris. pag. 176.
e Stephanus Leonis Augusti frater & Basilii Macedonis filius, Patriarcha inauguratus est imminentibus natalitiis Domini, anno exeunte 886. Si igitur, Leone Grammatico teste, vixit in Patriarchatu *annos sex & menses quinque*; obierit, necesse est, anno 893. mense Majo. Adeoque non anno 3. (uti Cedrenus scribit) sed 6. Leonis Imperatoris, aut saltem quinto; & consequenter id Bulgarorum, & Hungarorum factum anno non suo a Scriptoribus Græcis ponitur; aut potius dicendum, tres annos & menses 5. Stephanum sedisse: vel Stephani obitum perperam ad eum annum fuisse collocatum.

„ cto, Turcos invasit: iisque in fugam versis, & agris eorum „ vastatis, Leoni scripsit, se cum eo pacem non facturum, nisi „ captivos Bulgaros receperit, quos quum recepisset, tamen „ pacem non fecit. Igitur Imperator contractis in unum omni- „ bus & Orientalibus, & Occidentalibus legionibus, contra „ Bulgaros usus est: quæ tamen cum Symeone congressæ suc- „ cubuerunt „ *Eadem fusius scribit Leo Grammaticus*: „ A „ Duce Macedoniæ venit nuncius, Simeonem Bulgariæ prin- „ cipem adversus Romaniam profectionem meditari. Causa „ vero, quæ Simeonem movit, hæc erat. (*a*) Zautzas Impe- „ ratoris pater servum habuit eunuchum, nomine Musicum. „ Hic Stauracio & Cosmæ prædivitibus mercatoribus Græcis „ amicitia junctus est: qui quidem turpi lucro intenti, aucto- „ ritate Musici, quod erat in Urbe Bulgarorum commer- „ cium, Thessalonicam transtulerunt, & vectigalibus imposi- „ tis pessime Bulgaros exercuerunt. His Simeoni a Bulgaris „ significatis, eadem hæc Simeon Leoni Imperatori fecit mani- „ festa. Imperator a patre Imperatorio, Musico nimis affe- „ cto, præpeditus, cuncta nihilo magis æstimavit. Furens igitur „ Bulgarus adversus Romanos exercitum instruit. Quibus audi- „ tis, mittit Imperator (*Procopium*) Crinitem militiæ magi- „ strum cum armis & variis proceribus adversus Bulgaros: & „ frequentibus initis certaminibus per Romaniam, vertuntur „ in fugam Romani, ipso Crinite, & Corticio Armenio, cæ- „ terisque omnibus occisis. Ex Chazaris, qui auxiliares Leoni „ advenerant, comprehensi, naribusque præcisis, in contem- „ ptumRomanorum ad Urbem a Simeone missi sunt. Quos Im- „ perator conspicatus, & accensus ira, Ducem (*Nicetam Patri- „ cium*) nomine Sclerum ad Danubii fluminis ripas cum celo- „ cibus misit, munera Turcis oblaturum, & ad arma contra Si- „ meonem excitaturum. Profectus ille, & auxilium nactus, „ cum Arpade, & Cusane (*b*) Turcorum Ducibus fœdere „ ini-

a **Βασιλεοπάτωρ**. *Pater Imperatoris*. Stylianum Zauzam Leo Imp. magistrum ac Logothetam [illegible] creavit, cujus cum filia jam tum consuetudinem habebat, vivente etiamnum legitima uxore Augusta Theophanone. Mortua autem Theophanone, Augustalem coronam Zoæ, Zauzæ filiæ, Leo imposuit. Hinc Zauzas dictus *Imperatoris pater*

b Georgius Monachus pag. 552. „ Communicatoque cum ipsorum capitibus Ar- „ pade & Cursane consilio, pactisque iis Simeonem se bello incessuros, ac datis obsi- „ dibus, ad Imp. (*Nicetas*) reversus est.

„ inito, ad Imperatorem rediit. Ille rursum Eustachium Pa-
„ tricium & classis Drungarium mari, terra vero Nicephorum
„ Patricium Phocam & Legionum Domesticum delegat, qui
„ Bulgariam usque penetraverunt. Pacis postmodum cupidus
„ Imperator, Constantinacem Quæstorem de pace cum Si-
„ meone consulturum misit. Simeon arma bellumque terra &
„ mari in se mota conspiciens, Quæstorem quasi dolose agen-
„ tem sub custodia inclusit. Simeone vero cum Phocæ copiis
„ occupato, Turci trajecto Danubio, totam Bulgariam capti-
„ vam fecere. His auditis Simeon movet adversus Turcos.
„ Illi in contrariam ripam transeuntes, cum Bulgaris certamen
„ ineunt, ipseque Simeon in fugam vertitur, vix Distræ rece-
„ ptus incolumis. Turci autem petierunt ab Imper. ut captivos
„ Bulgaros emeret; quod & fecit, missis ex Urbe civibus, qui
„ pretium rependerent. Simeon Eustathii Drungarii ope de
„ pace sermonem proposuit, cui se facilem præbuit Impera-
„ tor: eidemque componendæ Leonem Choerosphactem de-
„ stinavit. Nicephorus cum exercitu redire in animum indu-
„ xit, & Eustathius Drungarius pariter. Leonem vero neque
„ ad colloquium admittere dignatus est Simeon, imo sub cu-
„ stodia tenuit. Expeditione deinde adversus Turcos parata,
„ illisque a Romanis (*a*) auxilium & præsidium non habenti-
„ bus, imo belli apparatu, & armorum provisione destitutis,
„ cunctos inflatis animis (*b*) jugulavit Simeon: & reversus,
„ quum Leonem in Muldagra reperisset, dixit ad eum: nus-
„ quam pacem componam, nisi captivos omnes recepero. Im-
„ perator restituere proposuit: venitque cum Leone Theodo-
„ rus Bulgarus Simeonis Domesticus, qui eos recepit. Exinde
„ Nicephoro Phoca morte sublato, Simeon abrumpendæ pa-
„ cis quærebat occasiones, & aliis captivis expetitis, adversus
„ Romanos movit. Leo vero Imperator Leonem (*c*) Cata-
„ calum ad Rhabdum ædes suas habentem, Scholarum Dome-
„ sti-

---

a Cedrenus. „ Quum ob subitam insperatamque rem auxilia eis (*Turcis*) mit-
„ tere Imperator non posset.

b Cedren. „ In fugam eos pellit, eorumque regionem omnem deprædatur „. Non igitur jugulavit, uti perperam habet Latinus interpres, sed debellavit, profligavitque.

c Cedren. *Abidela* Catacalon, in locum Nicephori Phocæ, magister suffectus pag. 597.

„ sticum creat, & una cum eo Theodosium Patricium & Protovestiarium mittit, qui simul juncti, omnes legiones & copias jubent trajicere; pugnaque cum Simeone ad Bulgarophygum (*a*) inita, fuga omnium facta est horrenda, omnesque deleti sunt: inter quos Patricius Theodosius, cujus causa non modice doluit Imperator.

VIII. Relata primum a Græcis ope Hungarorum de Bulgaris victoria. Mox consilio Michaelis Bogoris olim Bulgarorum Regis, post triduanum jejunium, resumptis armis, Bulgari Græcos profligant & Hungaros imparatos invadunt, cæduntque.

Nullus dubito, quin ea, quæ supra de Bello Bulgarico sunt narrata, ad plures annos pertineant: ita ut anno 889. sit inceptum, & anno 893. finem habuerit. Simeon enim Bulgarorum Rex, qui anno 889. firmatis cum Servianis Principibus fœderibus, cum Leone Imper. grave bellum, ob gentis suæ mercatores male a Græcis acceptos, susceperat, & ab Ungaris in fugam conversus fuerat, de pace cum Imper. facienda sermonem proposuit. Interim acceptis cladibus fracti Bulgari, anno ut (*b*) videtur, 890., veterem Regem Michaëlem seu Bogorim, a quo primum ad Christianæ religionis veritatem fuerant conversi, adeunt, inquirentes, quid sibi, quo ab imminenti periculo evaderent salvi, consuleret. Ille indicto triduano jejunio, actaque de illata Christianis injuria pœnitentia, Dei opem implorandam præmonuit. Quo peracto, ac oblata per Leonem Choerosphactam Leonis Imperatoris nuncium repudiata pace, accitis in auxilium (uti Porphyrogenitus scribit) Patzinacitis, certamine rursus cum Turcis seu Ungaris (quorum Princeps juxta Porphyrogenitum, *Liuntica* erat *Arpadæ filius*: secundum Leonem vero Grammaticum, Duces Turcorum erant *Arpades* & *Cusanes*) inito, pugnantibus acerrime ambabus partibus, eo quod Ungari a Romanis auxilium non haberent, Bulgaris tandem cessit victoria, nec tamen incruenta, quum ex iis cæsa fuerint equitum viginti millia. Qua adepta victoria Simeon elatus, non aliter pacem admissurum ab Imp. oblatam, nisi receptis Bulgaris captivis, profitetur. Missus a Simeone Theodorus, captivos ab Imper. recepit. Porphyrogeni-

a Perperam apud Cedren. pag. 557. Βυλγαρόφυτον „ Bulgarophytum (plantam „ Bulgaricam „) & apud Scylitzem fol. 47. pag. 2. *Bulgharophylum*. Legendum omnino, Βυλγαρόφυγον, *Bulgarophygum*. vide Quien. in Oriente Christiano Tom. 1. pag. 1185. dicta urbs ob Bulgarorum fugam. Theodorus Episcopus Bulgarophygi in septima Synodo subscribit.

b Freherianus Fuldensium Annalium Continuator id refert ad ann. 896. Pagius vero ad ann. 893.

genitus victoriam de Ungaris relatam aliter refert: Quum ad bellicam (inquit) expeditionem Turci idest Ungari abiissent, Patzinacitæ cum Bulgaris familias Turcorum, qui ad regionis ipsorum custodiam remanserant, invadentes omnino perdiderunt. Quamobrem reversi Turci, regionem suam desertam videntes, in Pannonia Transdanubiana sedes posuerunt. Interim Arnulfus Germaniæ Rex sub mensem Septembr. anni 892. suos ad eundem Bulgarorum Regem, quem Freherianus Uladimirum, nimirum Simeonem Uladimiri filium, appellat, ad renovandam pacem nuncios misit, tum etiam ut ne Moravis hostibus suis auxilium subministraret; qui nuncii confecto negotio ad eundem Arnulfum anno sequenti, mense Majo, regressi sunt. Pacta tamen Græcos inter & Bulgaros peracta diu non perstitere. Simeon quippe non omnes sibi remissos captivos questus, tum etiam arrepta Nicephori Phocæ mortis occasione, qui consiliis suis, & ne in imperii provincias irrumperet, hactenus obstiterat, bellum in Leonem anno, ut existimo, 893. instauravit. Leo vero collecto undique ingenti exercitu, huic Catacalonem & Theodosium Patricium præfecit: qui commisso ad Bulgarofugum prælio, magna suorum cum clade profligati sunt ac deleti, interemto ipso Theodosio. Pagius ad ann. 896. num. x. hanc Bulgarorum de Hungaris victoriam confert: secutus nimirum Continuatorem Freherianum Annalium Fuldensium, & Hermannum Contractum: quos tamen res pluribus annis gestas uno tenore descripsisse constat.

IX. Fabulosæ Thuroczii de Hungaris narrationes.

Johannes *de Thwrocz*, in *Chronicis* (*a*) *Hungarorum*, præter fabulosam ejus gentis genealogiam, quam ab *Arpade* ad *Almum*, ad *Eleud*, ad *Ugek*, ad *Ed*, ad *Ethele* seu *Attilam*; & inde post plura barbara nomina usque ad *Nemroth*, *Chus*, *Cham*, & *Abam* nescio quem, (fortasse *Noam*) perducit, manifesto errore scribit, *Hungaros in Pannoniam venisse anno Chr.* 744. ,, Almus (inquit) tandem genuit Arpad: Arpad ,, genuit Zoltan: Zoltan genuit Toxun. Anno igitur ab Incarn. ,, D. N. J. C. septingentesimo quadragesimo quarto, a morte ,, vero Attilæ Regis anno trecentesimo primo, vulgariter (*b*) ,, *Magyari*, sive Huni; Latine vero *Hungari*, tempore Con-,, stan-

a Edit. Francofurti anno 1600. Part. 1. a pag. 30.
b Turcice quoque & Arabice Hungari hodieque *Magiari* appellantur.

„ ſtantini quinti Imperatoris, & Zachariæ Papæ, dènuo ingreſ-
„ ſi ſunt Pannoniam „. Quot verba, tot errores. I. Anno 744. non Conſtantinus Quintus, ſed Quartus, vulgo Copronymus imperabat. II. Attila interiit anno non 445. (uti ſcribit Thuroczius pag. 27.) ſed anno 453. a quo anno ad ann. 744. non fluxere anni (ut idem Thuroczius perperam ſupputat) 301. ſed 291. aut 299. ſi ab anno 445. ſumma deducatur. III. Circa Hungarorum in Pannoniam ingreſſum, ſive ut Thuroczius ait, *regreſſum*, immanis eſt annorum 145. Anachroniſmus. Nam anno 744. adeo non contigit Hungarorum in Pannoniam *ſecundus adventus*, ut potius qui primum illuc Hunni (*a*) ſub Valente Imper. expulſis Gothis anno 376. advenerant, Pannoniam, ſi non totam, magnam certe ejus partem uſque ad Attilæ interitum, qui anno 453. contigit, tenuere. Attila mortuo, Gepidæ (ut ait Jornandes cap. 50.) Hunnorum ſibi ſedes viribus vendicantes, totius Daciæ fines occuparunt, Hunnorum populo ad ſuas antiquas ſedes recedente: Pannonia Gothi potiti ſunt; Sarmatæ vero & quidam ex Hunnis, in parte Illyrici ad caſtrum Martenam ſedes ſibi datas coluere: Hernac quoque junior Attilæ filius, cum ſuis in extremo minoris Scythiæ ſedes delegit: Emmedzur & Ultzindur conſanguinei ejus in Dacia Ripenſi: Uto, & Iſcalmus, qui ea potiti erant, multique Hunnorum paſſim proruentes, tunc ſe in Romaniam dederunt. Gothi denique (Leone imperante) videntes non ſibi ſufficere ea, quæ ab Imper. acceperant, in Satagas Hunnos, qui interiorem Pannoniam poſſidebant, arma moverunt; Hunnos autem, qui Duce Dinzione Attilæ filio, fines Pannoniæ prædabantur, propulſarunt. Sic Hunni a Pannoniæ finibus infeſtandis quievere. Hactenus de primo Hunnorum adventu. Sequitur jam *ſecundus* non quidem priorum Hunnorum, ſed aliorum ejuſdem gentis, diverſæ tamen tribus *Hunnorum Abarum adventus* anno 557. Juſtiniani Imperatoris 31. quem ex. Theophane, & Priſco Rhetore deſcripſi Tom. 1. a pag. 394. Al-

a Thuroczius pag. 12. Egreſſum Hunnorum de Scythia eorumque in Pannoniam adventum refert ad ann. 373. Hoc ipſum habet Cl. Noriſius lib. 1. Hiſtor. Pelagian. cap. 2. At vero Baronius & Pagius Hunnos, Gothis devictis, loca eorum trans Danubium occupaſſe ſcribunt anno 376. quum Rex eorum eſſet *Balamir*, teſte Jornande de reb. Get. c. 24. Balamiro Mundzuccus ſucceſſit pater Octor, & Roas & Attilæ & Bletæ, ex eod. Jornande cap. 34.

boinus Langobardorum princeps, qui Pannoniam per annos 42. tenuerant, dum in Italiam migrare decrevit, anno 568. (ut ſcribit Paulus Diaconus lib. 1. cap. 7.) „ Sedes proprias, hoc „ eſt, Pannoniam, amicis ſuis Hunnis contribuit; eo ſcilicet „ ordine, ut ſi quo tempore Langobardis neceſſe eſſet rever- „ ti, ſua rurſus arva repeterent „. Non repetierunt Langobardi: quia ab anno 568. Italia potiti ſunt, uſque ad ann. 774. quo Carolus Magnus Regnum eorum ſibi ſubjecit, Annaliſta Metenſi ad eund. ann. ſic ſcribente. „ Papiam Carolus Ma- „ gnus venit, ipſamque civitatem cepit; & Deſiderium Regem „ cum uxore & filia, & omnibus theſauris ſuis ſuæ ditioni ſub- „ egit. Ibique venientes undique Langobardi de ſingulis ci- „ vitatibus Italiæ, ſubdiderunt ſe dominio glorioſi Caroli „. Interim *Hunni Abares Pannoniam* retinebant, quemadmodum ex dictis Tom. 2. a pag. 33. conſtat, retinueruntque uſque ad annum 799. quo anno ſunt a Carolo Magno poſt octo annorum bellum ſubjugati. Verba Eginhardi habes Tom. 2. pag. 59. „ Maximum (inquit) omnium quæ a Carolo geſta ſunt bello- „ rum, præter Saxonicum, bello contra Slavos Wilſos ſucceſ- „ ſit illud, quod contra Avares ſive Hunnos ſuſceptum eſt, „ quod ille & animoſius, quam cætera, & longe majori appa- „ ratu adminiſtravit. Unam tamen per ſe in Pannoniam (nam „ hanc provinciam ea gens tum incolebat) expeditionem fe- „ cit: ceteras filio ſuo Pippino, ac præfectis provinciarum, „ Comitibus etiam atque Legatis, perficiendas commiſit. „ Quod quum ab his ſtrenuiſſime fuiſſet (*uſque ab anno* 791.) „ adminiſtratum, octavo tandem anno (*hoc eſt*, 799.) com- „ pletum eſt „. Eodem igitur anno 799. finis bello Hunnico impoſitus, & *Hunnia* ſive *Avaria*, (ſic enim ea Pannoniæ pars, quam Hunni Avares tenebant, appellabatur) Regibus Germaniæ facta fuit vectigalis: quumque eorum Hunnorum reliquiæ unacum Tutundo Rege Chriſtianam fidem ſuſcepiſſent, Wrolpho Laureacenſi Archiepiſcopo anno circiter 825. ſubjecti fuere: mox anno 937. & 952. Gerhardo Salisburgenſi. Vide dicta Tom. 2. a pag. 113. Itaque Thuroczius quoad Hungarorum in Pannoniam adventum multipliciter fallitur. Primo quidem, dum eum adventum, *ſecundum* vocat, quum tertium dicere debuiſſet; & ad annum 744. confert, dum non ante ann. 889.

con-

contigit. Deinde, dum unius ejusdemque Hunnorum gentis, sive tribus, posteriores istos Hungaros, qui anno 889. in Pannoniam advenere, ac priores, qui anno 376., facit. *Hunni* certe, *Hungari*, *Turci*, & alii id genus populi, sub nomine *Scytharum* & *Sclavorum* fere comprehensi, e Scythia intra & extra Imaum omnes prodiere; non tamen omnes eodem tempore, neque omnes ejusdem tribus, aut sub eodem Duce. Pagius ad ann. 889. Hungaros narrat in Pannonia primum visos, sub ducibus scil. *Arpade* & *Cusanc*, quemadmodum ex Leone Grammatico observavi. Mox num. 2. illos ejusdem cum Hunnis originis asserens, „ Hunni (inquit) & Hungari ejusdem sine „ dubio originis sunt, recteque Bonfinius in sua Historia asserit, „ Hungaros trecentos post Attilam Hunnorum Regem annos „ in Pannoniam rediisse: ex qua quum a Carolo Magno expulsi „ fuissent, Hunni alii hoc tempore in eandem rediere „. Atqui Attila, ut supra dixi, eodem Pagio teste, anno 453. interiit: Hunni autem Abares post Attilam anno 557. Byzantii visi, anno demum 568. Langobardis cedentibus Pannoniam sunt ingressi, & anno 889. alii Hunni in eandem regionem advenere. Non igitur trecentis post Attilam annis, sed annis 115. in Pannoniam sub Justiniano, neque iidem priores, sed alii Abares dicti, advenerunt.

C A P U T III.

Svatoplucus Moraviæ Rex, Ducatu Bohemiæ ab Arnulpho Germaniæ Rege auctus, in eum rebellat. Ab eodem Arnulpho bello petitur, superatur, & anno 894. moritur; relictis filiis, Regni Moraviæ hæredibus, Moymiro & Svatopluco.

I. Svatoplucus Moraviæ Rex filium Arnulphi ex sacro Fonte levatum, Svatoplucum seu Zventibaldum appellat: & ab Arnulpho Ducatum Bohemiæ accipit.

PERGO ad Annalistas Francos. Freherianus Annalium Fuldensium Continuator. „ Anno 889. Exeunte mense „ Majo Rex (Arnulfus) apud Villam, quæ dicitur Foraheim, „ generalem Conventum habuit; ibique disputans de statu „ Regni sui, consultum est, ut eodem tenore Primores Francorum, prout Bajoarii, juramento confirmarent, ne se detraherent a Principatu & Dominatu filiorum ejus, Zventi- „ bulchi quidem, & Ratoldi, qui ei de Concubinis erant nati. „ Quod quidam Francorum ad tempus renuentes, tandem „ Regiæ

„ Regiæ ſatisfacientes voluntati, dextram dare non recuſa-
„ bant; eo tamen modo, ut ſi de legali ſua uxore hæres ei non
„ produceretur. Advenientibus etiam ibidem undique natio-
„ num Legatis, Nordmannorum ſcilicet ab Aquilone, Scla-
„ vanorum, pacifica optantes: quos Rex audivit, & ſine mo-
„ ra abſolvit. Inde itaque edictum eſt, exercitum ire ad
„ Obodritos. Sed antea Placitum Curte Regia Franconofurt
„ haberi cum Francis Regi complacuit. Perventum igitur eſt,
„ ſicut antea diſpoſitum erat, ad Obodritos cum maximo exer-
„ citu. Sed tamen ibi parumper rebus proſpere geſtis, Rex
„ data exercitui licentia, ad Franconofurt celeri feſtinatione
„ reverſus eſt. Inde per Alamanniam paulatim tranſgrediens
„ Bajovvariam, urbe Regino honorifice Natalem Domini ce-
„ lebravit. Anno 890. Mediante Quadrageſima (*Arnulphus*
„ *Germaniæ Rex*) Pannoniam proficiſcens, generalem Con-
„ ventum cum Zventibaldo Duce, loco qui vulgariter Omun-
„ teſperch appellatur, habuit. Ibi inter alia præficitur Dux.
(ſupple: Zventibaldus Moraviæ Dux, præficitur Bohe-
miæ: idemque a Formoſo Papa rogatus, interpellabat Ar-
nulphum Regem, ut Romam pergeret:) ſic enim pergit Fre-
herianus.) „ A Formoſo Papa rogatus, enixe interpellabat,
„ ut urbe Roma, domum S. Petri viſitaret, & Italicum Re-
„ gnum a malis Chriſtianis, & imminentibus Paganis (*ideſt*
„ *Saracenis*) ereptum, ad ſuum opus reſtringendo, dignare-
„ tur tenere. Sed Rex multimodis cauſis in ſuo Regno excre-
„ ſcentibus præpeditus, quamvis non libens, poſtulata dene-
„ gavit. Poſt Paſcha menſe Majo, villa quæ dicitur Fora-
„ heim, cum ſuis colloquium habuit. Ratiſponæ Natalem Do-
„ mini celebravit.

Hermannus Contractus juxta editionem Caniſianam. „ An-
„ no 890. Arnolphus Rex, habito in Pannonia de diverſis col-
„ loquio, a Zventibaldo Duce Marahenſi ex verbis Apoſto-
„ lici obnixe rogatur, ut Romam veniens, Italiamque ſub di-
„ tione ſui retinens, a tantis eam eruat tyrannis. Quod ille
„ aliis præpeditus, ad præſens facere diſtulit.

Otto Friſingenſis lib.6. cap.xi. non expreſſo anno: „ Con-
„ ceſſit autem Arnulphus Zventibaldo Marahenſium Regi Du-
„ catum Bohemiæ, filiumque ſuum ex ſacro Fonte ab ipſo leva-
„ tum,

„ tum, ejus nomine Zventibaldum vocavit „. Tum nempe, quum Arnulfus Carantaniam ab anno 880. a Ludovico patruo Germaniæ Rege sibi concessam tenebat; nam anno 889. Arnulfi filius Zventibaldus, Freheriano Fuldensium Continuatore teste, in ea jam ætate constitutus erat, ut a patre Regnum Bajoariæ assecuto Successor sibi in Regno unacum fratre Ratoldo designatus sit, & a Francis admissus.

Regino in Chronico. „ Anno Dom. Incarn. 890. Arnolphus Rex concessit Zvadebolch Marahensium Sclavorum Regi „ Ducatum Bohemiæ. Cetera uti apud Metensem.

Annalista Metensis. „ Anno 890. Arnulphus Rex concessit Zventibolh Marahensium Sclavorum Regi Ducatum „ Behemensium, qui hactenus Principem suæ cognationis ac „ gentis super se habuerant, Francorumque Regibus fidelitatem promissam inviolato fœdere conservaverant; eo quod „ illi, antequam in Regni fastigio sublimaretur, familiaritatis gratia fuerit connexus: denique filium ejus, quem ex „ pellice susceperat, a sacro Fonte levavit, eumque ex nomine suo Zventibolh appellari fecit. Quæ res non modicum „ discordiarum & defectionis præbuit incrementum. Nam & „ Behemi a fidelitate diutius custodita recesserunt: & Zventibolh ex adjectione alterius Regni vires non parvas sibi accessisse sentiens, fastu superbiæ inflatus, contra Arnulfum rebellavit. Quod quum cognovisset Arnulfus, cum exercitu „ Regnum Marahensium ingressus, cuncta, quæ extra urbes „ reperit, solo tenus demolitus est. Ad ultimum quum & cæteræ fructiferæ arbores radicitus exciderentur, Zventibolh „ pacem poposcit, & dato filio obside, hanc sero promeruit.

Pagius ad hunc annum 890. num.2. postquam laudati Metensis verba recitasset, subjungit: „ Hactenus Zventibolh, „ seu Zventibaldus, qui & Sphentopulcrus appellabatur, Moraviæ Princeps, Arnulpho sicuti Antecessoribus ejus Germaniæ Regibus, quorum beneficiarius erat, fidem servarat; „ sed Ducatu Bohemico auctus, in eum rebellavit. Ex laudato loco colligitur, primo, Baronium anno 889. perperam „ sermonem habuisse de bello, quod Arnulphus Rex, Hungarorum opera, adversus Zventibaldum gessit; quum illud „ ad annum 893. pertineat, ut ibi ostendemus. II. Annali-
„ stam

„ stam Metensem uno tenore recitare ea, quæ hoc anno incepta, anno 893. ad finem perducta sunt. III. Sphentopulcrum, seu Sphentopolcum, diversum non esse a Zventibaldo, uti jam supra insinuavi. Sphentopulcus enim in Sphentopulcrum corrupte mutatus, differt tantum pronunciatione, seu orthographia a Zventibaldo: quum hæc vox *Zvvend* a Germanis & Slavis *Sfent*, seu *Sphent*, pronuncietur. Zventibaldus a Cosma Pragensi in Annalibus Bohemorum ad annum 894. dicitur *Zvvatopluk*, & a Porphyrogenito lib. de Admin. Imp. cap.41. *Sphendoplocus*.

II. Exponitur causa, cur Arnulphus Svatopluco Moraviæ Regi Ducatum Bohemiæ tradiderit. Per eam occasionem Borivojus Bohemiæ Dux Christianam Fidem amplectitur.

Hæc Pagius. Anno igitur 890. Zventibaldus Moraviæ Rex, auctus fuit Bohemiæ Ducatu, quem tunc temporis Borivojus tenebat, juxta Bohemicę historiæ Scriptores: unde & idem Borivojus per eam occasionem, Sancto Methodio Moravorum Episcopo, & eodem Zventibaldo curantibus, Christiana sacra suscepit, non quidem anno 894. (uti scribit Cosmas Pragensis) sed anno 891. quemadmodum mox dicam. Cur autem Zventibaldus Ducatum Bohemiæ ab Arnulpho petierit, & petenti Arnulphus concesserit, potiorem fuisse causam existimo Hungarorum invasionem. Hi enim, postquam anno 889. de Bulgaris primo victoriam retulissent, deinde, ipsis ad bellicam expeditionem iterum profectis, Bulgari familias eorum qui ad regionis custodiam relicti erant, perdidissent; desertam vastatamque regionem suam invenientes (uti tradit Porphyrogenitus cap.40.) ad Pannoniam invadendam sese contulerant. Quare, ut eorum impetus facilius retunderetur, utque fines Germanici Regni fortius defenderentur, ab Arnulpho Ducatum Bohemiæ Zventibaldus accepisse videtur. Quod autem addit Metensis: „ Bohemos hactenus Principem suæ cognationis ac gentis super se habuisse, Francorumque Regibus fidelitatem promissam inviolato fœdere conservasse „: Prima quidem ejus assertionis pars verissima est: a Czecho nempe, primo ejus gentis Principe, ejusdem semper gentis Ducem habuere: At a veritate prorsus abest, Francorum Regibus Bohemos semper paruisse: nam Freheriano teste ad annum 882. „ Quidam de Francia missi sunt Karlmanno Germaniæ Regi in auxilium contra Sclavos supradictos (idest contra Moravos) alii destinati sunt contra Bohemos: qui Dei adjutorio freti, Duces „ quin-

,, quinque, quorum ista sunt nomina, Zwentilav, Witislav, ,, Heriman, Spoitiman, Moyslav, cum maxima multitudine sibi rebellare nitentes, in fugam verterunt, & alios quidem occiderunt, alios vero in fluvio Fuldaha submerserunt: ,, qui autem evadere potuerunt, in Civitate defecerunt: deinde parte non modica illius Provinciæ depopulata, incolumes reversi sunt ,,. Et ad annum 856. Annalista Fuldensis sic scribit: ,, Ludovicus Rex inde per Boëmanos transiens, ,, nonnullos ex eorum Ducibus in deditionem accepit ,,. Et Metensis ad ann. 848. ,, Ludovicus Rex Boëmanos eruptionem molientes, per Ludovicum filium suum, missa adversus eos expeditione, continuit: Legatos, pacis gratia, mittere, & obsides dare coëgit ,,. Alias Bohemorum defectiones vide apud Fuldensem 869. & 871. Adeoque, postquam quatuordecim Duces Bohemorum anno 845. accepto Baptismatis Sacramento, Regibus Francorum, idest Germaniæ, fidelitatem promiserunt, usque ad annum 890. quo Arnulphus Bohemiam Regi Moravorum subjecit, non semel promissam fidelitatem violaverant.

III. Pax ab Arnulpho cum Moravis renovata. Primum bellum Nortmannicum ad Guliam fl. Alterum ad Thiliam seu Clylas.

Anno 891. Freherianus Continuator: ,, Rex Arnolphus ,, Legatos suos pro renovanda pace ad Maravos transmisit. ,, Nordmanni fines Occidentalium Francorum invadentes, ,, quidam ad defendendum exercitus a Francia dirigitur. Ibi ,, (*a*) Sundaroldus Mogontiacensis Archiepiscopus incaute illis occurrens, interfectus est. In cujus locum Haddo (*Hatto*) Abbas Augensis cœnobii, homo subtilis ingenii, Antistes constituitur. Arnolphus ergo Rex ob hoc ulciscendum, ,, in Nordmannos, cum Francis, Alamanico exercitu inutile ,, secum assumpto iter arripuit. Sed Alamani quidem ægrotantes a Rege domum relapsi sunt: ipse cum Francis ad Occidentem prospere profectus est. Nordmanni devastata ex ,, maxima parte Lotharici Regni regione, prope fluvium Clyla, loco qui dicitur Lovonnium, sepibus more eorum munitione cœpta, securi consederunt. Ex improviso enim Rex ,, & exercitus pervenere ad eundem locum. Transito igitur ,, cele-

a Metens. In quo prælio Episcopus Moguntiacæ urbis Sunzo, & Arnolfus Comes occubuerunt, nec non & innumera multitudo nobilium virorum. Fuit vero hæc cædes facta VI. Kal. Julii. Emendandus proinde Conradus Abbas Urspergensis, qui ad ann. 893. Sunderoldi cædem collocat.

„ celeriter eodem fluvio; nec mora meditatum est prælium
„ applicari. *Et post pauca*. Clamor Christianis in cœlum at-
„ tollitur, nec minus Pagani more suo clamantes, signa hor-
„ ribilia per castra movebantur. Evaginatis gladiis ex utraque,
„ ut lapis ferro, in invicem ad invicem concursum est. Erat
„ autem ibi gens fortissima inter Nordmannos Danorum, quæ
„ nunquam antea in aliqua munitione & capta & superata audi-
„ tur. Dure certatum est. Sed non diu (subveniente gratia
„ Dei) victoria ad Christianos concessit. Nordmanni fugæ
„ præsidium quærentes, flumen quod antea eis a tergo pro
„ muro habebatur, pro morte occurrebat. Nam instantibus
„ ex altera parte cæde Christianis, coacti sunt in flumen præ-
„ cipitari catervatim se per manus & colla cruribusque comple-
„ ctentes, in profundum per centena & millia numero merge-
„ bantur, ita ut cadaveribus interceptum alveum amnis sic-
„ cum appareret. In eo prælio cæsi sunt duo Reges eorum,
„ Sigifridus scilicet, & Godefridus. Regia signa XVI. ablata,
„ & in Bajoariam in testimonium transmissa sunt. Eodem in
„ loco die ... Kal. .. Litanias Rex celebrare præcepit: ipse
„ cum omni exercitu laudes Deo canendo processit, qui talem
„ victoriam suis tribuit, ut uno homine tantum occiso de par-
„ te Cristianorum (quod compertum est) tanta millia homi-
„ num ex altera parte perierunt „. Metensis, narrato primo
Northmannico ad Guliam fl. bello, in quo plurimi Francorum
occubuere, commisso VI. Kal. Jul., pergit ad secundum:
„ Dum hæc aguntur, Arnulfus Rex in Bajoariorum extremi-
„ tatibus morabatur, insolentiam Sclavorum reprimens. Cui
„ quum nunciata esset suorum strages, hostiumque victoria,
„ primo pro amissis fidelibus nimium tristatur, & querelam
„ cum gemitu deponit, quod Franci eatenus invicti, adver-
„ sariis terga darent. Deinde indignitatem rei animoso in pe-
„ ctore versans, in hostem accenditur. Et congregato ex Orien-
„ talibus Regnis exercitu, mox Rheno transmisso, circa lito-
„ ra Mosæ castra statuit. Interjectis diebus, Nortmanni ex su-
„ periori pugna elati, cum omni virtute ad deprædandum
„ proficiscuntur. Contra quos Rex cum expeditis ad pugnam
„ procedit. Illi cernentes acies appropinquare, super flu-
„ vium qui Thilia (*Freher.* Clylas) dicitur, ligno & terræ
„ con-

„ congerie more ſolito ſe communiunt, & cachinnis & exprobrationibus agmina laceſſunt: ingeminantes cum inſultatione & deriſu, ut memorentur Guliæ, turpiſque fugæ, cædiſque patratæ, poſt modicum ſimilia paſſuri. Rex autem felle commotus, exercitum jubet deſcendere, & pedeſtri congreſſione cum adverſariis decertare. Qui dicto citius ab equis deſilientes, clamore exhortationis dato, præſidium inimicorum irrumpunt, & Deo vires cælitus adminiſtrante, eos uſque ad internecionem ferro cædunt, terræque proſternunt: ita ut ex innumerabili multitudine vix reſiduus eſſet, qui ad claſſem adverſum nuncium reportaret. Rebus vero feliciter geſtis Arnulfus in Bajoariam revertitur „. Idem de verbo ad verbum Regino narrat. Sigebertus perperam id differt ad annum 895. „ Normanni (inquiens) Lotharingiam repetentes, circa Leodium cum Chriſtianis pugnant & vincunt. Sunderoldus Moguntiæ Archiepiſcopus a Normannis Wormatiæ martyrizatur. Arnulphus Rex audita cæde ſuorum, a Bajoaria contra Normannos pugnaturus properat cum valido exercitu, quos ſupra fluvium, qui Tilia dicitur, pedeſtri prælio adorſus, tantam ex eis ſtragem fecit, ut ex innumerabili multitudine vix ſupereſſet qui ad claſſem adverſum nuncium ferret. Normannorum reſidui (*qui ſcil. in claſſe erant*) tranſvadata Moſa, Ribuariam & Arduennam vaſtando pervagantes trans mare recedunt „. Conradus Abbas Urſpergenſis. „ Anno Dom. 890. Arnolfus Rex exercitum Normannorum delevit „. Error manifeſtus tam in anno 890. quam in anno 895. Nam id factum anno 891. præter laudatos Auctores, teſtatur Marianus Scotus his verbis: „ Anno 891. Nortmanni Wormaciam civitatem occiſis habitatoribus ſubverterunt: ubi etiam Sunderoldus Archiepiſcopus Moguntinenſis occiſus eſt ſabbato, VI. Kal. Julii „: Hoc eſt, die 26. Junii, in quem anno 891. ſabbatum incidit, quum eſſet litera Dominicalis C. Quod vero Sigebertus addit de Normannorum reſiduis Ribuariam & Arduennam vaſtantibus, hoc ad annum 892. refert Metenſis in hæc verba: „ Menſe Februarii Nortmanni qui ad naves remanſerant, Moſam tranſeuntes, Ribuariorum pagum ingreſſi, & ſecundum crudelitatem ſibi ingenitam cuncta devorantes, pervenerunt uſque Bonnam.

,, *Et post pauca*. Inde exeuntes Arduennam intrant, *& reliqua*,,. Ceterum quod Freherianus de Arnulfo ait, *in Bajoariorum extremitatibus morabatur*, *insolentiam Sclavorum reprimens*, id, inquam, de Abotritis Sclavis intelligendum est, de quibus idem Freherianus supra ad annum 889. scripserat: ,, Advenientibus etiam ibidem (in Foraheim) undique nationum legatis, Nordmannorum scilicet ab Aquilone, Sclavanorum, pacifica optantes: quos Rex audivit & absolvit: ,, inde itaque edictum est, exercitum ire ad Obodritos,,. Cætera ut supra. Non enim de Moravis intelligi possunt; quibuscum pacem hoc eodem anno 891. renovasse dicitur, antequam ad bellum Nortmannicum processisset. Pax tamen illa cum Moravis diu non stetit: nam anno sequenti rupta est, uti mox patebit.

IV.

Arnulphus Germaniæ Rex, armis adversus Svatoplucum Moraviæ Regem ac Bohemiæ Ducem sumtis, auxiliantibus sibi tum Hungaris, tum Braslavone Slavoniæ Duce, tum etiam Simeone Bulgarorum Rege, Moravia vastata, Svatoplucum in ordinem redigit. Bellum contra Slavos Obotritos gestum, in quo Arn Episcopus occumbit. Ætas Reginonis Abbatis Prumiensis. Ludovicus filius Arnulfo nascitur. Arnulfus in Italiam evocatur.

Anno 892. *Freherianus*. Rex de Francia cum victoria in ,, Alemannia curte Regia Ulma honorifice Natalem Domini ,, (*exeunte anno* 891.) celebravit. Inde Orientem proficiscitur, sperans ibi Zventibaldum Ducem obvium habere. Sed ,, ille, more solito, ad Regem venire renuit, fidem & omnia ,, ante promissa mentitus est. Inde Rex irato animo in Hengistfeldono cum Braslavone Duce colloquium habuit: ibi inter alia quærens tempus & locum, quomodo possit terram ,, Maravorum intrare. Consultum est enim, ut tribus exercitibus armatis Regnum illud invaderet. Rex quidem assumptis secum Francis, Bajoariis, Alamannis, mense Junio ,, Maravam venit. Ibi per quatuor hebdomadas cum tanta ,, multitudine, Ungaris etiam ibidem ad se cum expeditione venientibus omnem illam regionem incendio devastandam versabatur. Missos etiam suos inde ad Bulgarios & Regem eorum Laudomir (*Simeonem* nempe, *Uladimiri filium*) ,, ad renovandam pristinam pacem cum muneribus mense Septembri transmisit, & ne coëmptio salis inde Maravanis daretur, exposcit. Missi autem propter insidias Zwentibaldi ,, Ducis, terrestre iter non valentes habere, de Regno Brazlavonis per fluvium Odogra usque ad Gulpam, dein per fluentes Savæ fluminis navigio in Bulgaria perducti: ibi a Rege ,, honorifice suscepti, eadem via qua venerant, cum muneribus mense Majo (*anni* 893.) reversi sunt. Poppo Dux

,, Thu-

„ Thuringorum honoribus privatus est „. Causam profert Mo„ tensis Annalista ex Reginone ad ann. 892. inquiens: „ Item „ eodem anno, mense Augusto, v. Kal. Septembris, Megin„ gaudus Comes, nepos supradicti Odonis Regis (*Galliæ*) „ dolo interfectus est ab Alberico & Sociis ejus in Monasterio „ S. Sixti, quod vocatur Rotila. Per idem tempus Arnt (*a*) „ Wirziburgensis Ecclesiæ Ven. Episcopus, hortatu & suasione „ Popponis Thuringorum Ducis, ad pugnam contra Sclavos „ (*Obotritos scilicet*) profectus, in eadem pugna occiditur: „ cujus Cathedram Ruodulfus frater Cuonradi Comitis obti„ nuit, & ei in Episcopatu successit. Arnulfus Zventibaldo fi„ lio honores Megingaudi Comitis ex parte largitur. Popo Dux „ Thuringorum dignitatibus exspoliatur, & Ducatus quem te„ nuerat, Cuonrado commendatur: quem pauco tempore te„ nuit, & sponte sua eum reddidit. Deinde Burchardo Comiti „ committitur, qui hunc hactenus strenue gubernat „: hoc est, usque ad ann. 907. quo anno *Regino Abbas Prumiensis* Chronicis suis finem imposuit: vivebat autem idem Abbas anno 885. ad quem annum de Hugone adversus Carolum III. rebellante hæc scribit: „ Non multis post interpositis diebus, Hugo ejus„ dem Heinrici (*Ducis*) consilio ad Gundulfi villam promissio„ nibus attractus, dolo capitur, & jussu Imperatoris ab eodem „ Heinrico ei oculi eruuntur, omnesque faventes dehonestan„ tur. Posthæc in Alamannia in Monasterium S. Galli mittitur: „ inde postea in patriam revocatur. Novissime temporibus „ Zwentibolchi Regis in Prumia Monasterio manu mea adton„ sus est. Eram enim tunc temporis in eodem loco Dominici „ ovilis, quamvis non idonens, tamen custos „. Quæ verba quum de Reginone Prumiensi Abbate, Chronici auctore, sint intelligenda, Annalium tamen Metensium collector tamquam a se scripta refert: unde colligitur istorum Metensium Annalium collectorem plurima ex Reginone ad verbum transcripsisse. At vero nolim ex dictis inferas, Reginonem anno 885. Abbatem Prumiensium fuisse: erat enim tunc temporis Abbas non Regino, sed *Farabertus*, qui usque ad annum 892. Prumiensibus Monachis præfuit; uti idem ipse Regino narrat ad eund. ann. 892.

„ Per

(*a*) Conradus Abb. Urspergen. perperam ad ann. 889. „ Arn Wirzburgensis Epi„ scopus in Saxonia occisus est inter Missarum solemnia.

„ Per id tempus (inquiens) Farabertus Abbas Prumiensis „ cœnobii curam pastoralem sua sponte per concessum Regis „ deposuit, & ego quamvis indignus, secundum regularem „ auctoritatem per electionem Fratrum in regimine successi; „ in quo tamen non diutius immoratns, æmulis agentibus, Ri- „ charium fratrem Gerhardi. & Matfridi, invidiosum mei ne- „ gotii successorem sustinui „ : nimirum anno 899. postquam Regino Abbatiam septennio tenuisset,qua de re hæc ipse in chronico suo ad ann. 899. „ Eodem anno Richarius Prumiensis Ab- „ bas constituitur: qualiter autem erga me actum sit, idcirco „ hoc loco notare distuli, ne forte injuriis provocatus, ultra „ quam Christiana patientia permittit, persecutionis meæ causas „ exaggerasse viderer „ . Ergo inter ann. 892. & 899. Hugo a Reginone in Prumiensi cœnobio attonsus fuit.

Anno 893. Freherianus . „ Ante Quadragesimam Rex „ (*Arnulfus*) per totam Occidentalium Francorum provin- „ ciam, Monasteria, Episcopatus, orationis causa, obibat. „ Engilscalchus, juvenili audacia vir, qui post rapta de concu- „ bina Regis filia, ad tempus se Maravos exul contulit, post hæc „ ad gratiam Regis non longum veniens, Marchensis in Orien- „ te effectus est. Ibi audacter contra Primores Bajoariæ in rebus „ sibi summis agens judicio, eorum urbe Radaspona incaute „ Palatium Regis prolapsus, & Regi præsentatus, obcæcatus „ est. Hinc etiam & Willihelmus filius patruelis ejus Missos „ suos ad Zwentibaldum Ducem dirigens, reus majestatis ha- „ bebatur, capite detruncatus est. Frater quoque ejus cum „ Maravanis exul delitescens, insidioso consilio Ducis, cum „ aliis quamplurimis interfectus est. Arrepto itaque Rex iti- „ nere, iterum Regnum Zwentibaldi Ducis ingreditur cum „ exercitu, maxima parte illius regionis exspoliata propter „ insidias positas, magna cum difficultate itineris in Bajoaria ad „ Regiam curtem Otingam reversus est. De qua ei non multum „ post filius nascebatur, quem Haddo Mogontiacensis Archie- „ piscopus, & Adalbero Augustæ Vindelicorum Episcopus „ facto fonte Baptismatis chrismantes, nomine Avi sui Ludo- „ vicum appellaverunt. Missi autem Formosi Apostolici cum „ Epistolis & Primoribus Italici Regni ad Regem in Bajoaria „ advenerunt, enixe deprecantes, ut Italicum Regnum, &

„ res

„ res Sancti Petri ad suas manus a malis Christianis eruendum „ adventaret: quod tunc maxime a Widone (*Guidone*) tyran„ no affectatum est. Quod Rex apud urbem Regino (*Ratisbo„ nam*) honorifice recipiens, & cum muneribus postulata an„ nuens, abire permisit „. Non solum a Formoso Papa Arnulfus adversus *Widonem* (qui a Stephano V. Papa anno 891. Imperator coronatus fuerat) per legatos invitatus fuit; sed etiam a Berengario Widonis æmulo. Luitprandus lib. 1. cap. 7. „ Berengarius dum ubi prospera inimico (*Vvidoni*) sibi adver„ sa prospiceret, cum Zventibaldo (*Arnulphi filio*) pariter „ Arnulphi Regis adiit potentiam; orans ac pollicens, ut si „ ipsum adjuvaret, se totam Italiam, ut ante promiserat, di„ tioni ejus suppositurum. Qui tantæ promissionis gratia exci„ tus, copiis collectis cominus Italiam adit. Cui Berengarius, „ ut promissionis suæ daret fidem credulitatis, arrhabonem cly„ peum portat. Susceptus itaque a Veronensibus, ad urbem pro„ ficiscitur Bergamum; quam anno sequenti obsidione cinxit.

V. Epocha belli Moravici. Fabulosa Thuroczii narratio de Hungaris in Moraviam intrantibus sub Svatopluco.

Sigebertus. Anno 893. „ Arnulphus Rex Zvendebaldo „ Duci Marchensium, Ducatum Boëmanorum addens, & Boë„ manos per hoc sibi infestos fecit, & Zvendebaldo per adje„ ctionem potentiæ, materiam contra se rebellandi dedit. „ Ad quem debellandum quum non sufficeret, gentem Hun„ garorum Deo inimicam Regno immisit, eorumque auxilio, „ Zvendebaldum devicit, & tributarium fecit „. Hepidannus Monachus S. Galli in Annalibus brevibus Anno 893. „ Ar„ nolfus contra Maravenses pergebat, & Agarenos, ubi reclusi erant, dimisit „. Ita auctor iste *Hungaros* semper *Agarenos* vocat, voce *Agar*, pro *Ogur*, perperam usurpata. Lambertus Schafnaburgensis. *Anno 893. Prælium magnum factum est inter Bajoarios & Ungaros*. Legendum, *inter Bajoarios & Maravos*: seu, *inter Maravos & Ungaros*. Nam Arnulfus exercitu ex Bajoariis, Francis, Alamannis conflato, Ungarorum quoque opera usus, in Moraviam Anno 892. invasit, uti ex Freheriano supra dictum est. At Zventibaldus non ante annum 894. fuit devictus. Quare bellum Moravicum anno 892. inchoatum, & anno 893. finitum: proinde annos duos duravit. Hinc ad totidem annos sunt partienda quæ Sigebertus uno tenore descripsit. Liutprandus lib. 1. cap. 5. invehitur in Arnulphum,

phum, quod *Hungarorum gentem*, cædis & rapinarum avidam, in auxilium vocarit, concluditque: „ Devicto Zventibaldo „ Maravanorum Duce, Arnulphus pace habita, Regno potitur. „ Hungari interim observato exitu, contemplatique regionem, „ cordibus malum, quod postmodum in propatulo apparuit, „ machinabantur „. Commentitia prorsus est Thuroczii narratio de Hungaris, Zvatopolugi terram pacifice primum contemplantibus, deinde vi occupantibus: sic enim vir lepidissimus fabulatur in chronic. Hungaror. Par. 2. cap. 3. „ In Erdeleu „ igitur (Hungari Arpade Duce) quieverunt: & pecora sua „ recreaverunt. Audientes autem terræ utilitatem de habita- „ toribus, quod optimus fluvius esset Danubius, & melior „ terra in mundo non esset partibus illis, accepto communi „ consilio, miserunt nuncium, nomine Kusid, filium Kund, „ ut iret, & totam terram prospiceret, habitatoresque terræ „ agnosceret. Quum ergo Kusid venisset in medium Hungariæ, „ & circa partes Danubii descendisset, vidit locum amœnum, „ & circumquaque terram bonam ac fertilem, fluvium bonum „ & pratosum: placuit ei. Deinde venit ad Ducem Provin- „ ciæ, qui regnabat post Attilam, vocatum Zwatepolug, salu- „ tavitque eum de suis, & causam, pro qua venerat, manife- „ stavit „. Post Attilam, ut supra dixi, alii Pannoniam tenuerant, non Hunnicæ, sed Gothicæ gentis: deinde Hunni Abares post Langobardos: demum Slavi Moravi, ab Hunnis omnino diversi. Præterquam quod Svatopoluch iste, de quo Thuroczius, ab anno 892. ad 893. bellum cum Arnulfo & Hungaris gessit, donec devictus & tributarius Arnulfo factus fuit, obiitque, ut mox dicam, anno 894. Itaque Thuroczius perperam eum in Pannonia regnasse ait anno 744. quo Hungaros scribit Par. 2. cap. 1. per Regnum Bessorum alborum, Cumanorum, Susdalium & civitatem Rio nominatam, perque Alpes montes pertransiisse, & post tres menses tandem devenisse in confinium Pannoniæ ad terram quæ Erdel vocatur. Illuc quum venissent, (inquit Par. 1. cap. ult.) „ Quemdam Principem, nomine „ Swatepolug, filium Marothi, natione Polonum, Bulgaris, „ Messianis, tumque in Pannonia ab Attila tanquam optimo „ leone domitis regionibus imperitantem, repererunt „. Quum tamen Swatopolugus neque Marothi filius, neque Po-

lonus

lonus esset, sed Slavus, Rastislai quondam Moravorum Regis nepos; neque Bulgaris & Messianis sive Mysis imperaret, sed Moravis & Bohemis. Sed Thuroczium audiamus. „ Hæc audiens Zwatapolug gavisus est gaudio magno. Putabat enim „ illos esse rusticos, & venire, ut terram ejus colerent: propter „ hoc nuncium delicatum remisit. Kusid autem de aqua Danubii „ lagenam implens, & herbam periarum ponens in utrem, & „ de terra nigri sabuli accipiens, ad suos reversus est. Quumque narrasset omnia, quæ audierat & viderat, valde placuit „ eis, & lagenam aquæ, terram, & herbam eis præsentavit, „ de quibus ipsi sapiendo, bene cognoverunt terram optimam „ esse, & aquam habere dulcem, & pratum cum herbis fænilibus: quæ nuncius eis recitavit. Arpad vero cum suis de aqua „ Danubii cornu implens, ante omnes Hungaros super illo „ cornu Omnipotentis Dei clementiam rogavit, ut Dominus „ eis terram in perpetuum concederet. Finitis his verbis, „ omnes Hungari clamaverunt, Deus, Deus, Deus, tribus „ vicibus: & ibi inuentus est usus iste, & servatur apud Hungaros usque modo. Deinde communi consilio ad prædictum „ Ducem eundem nuncium miserunt: & ei equum album magnum cum sella deaurata auro Arabiæ, & freno deaurato miserunt pro terra sua. Quo viso Dux ipse magis gavisus putabat, quod ei pro terra quadam hospitalarii misissent. Nuncius „ ergo impetravit ibi a Duce terram, herbam, & aquam. Dux „ vero subridens ait. Habeant quantumcumque volunt pro hoc „ munere. Et sic nuncius ad suos reversus est. Arpad autem „ interim cum septem Ducibus Pannoniam intravit; non sicut „ hospites, sed sicut terram jure hæreditatis possidentes. Tunc „ nuncium alium ad Ducem miserunt, & ei hanc legationem „ mandaverunt: Arpad cum suis tibi dicit, quod super istam „ terram, quam a te emerunt, diutius nullo modo stes; quia „ terram tuam cum equo emerunt, herbam cum freno, & aquam „ cum sella: & tu propter emphyteusim, idest, inopiam & cupiditatem, terram & herbam & aquam concessisti. *Et post paulo*. Dux ergo ille his auditis, exercitum cito congregavit, „ timens Hungaros, & auxilium ab amicis impetravit, & omnibus coadunatis obviam eis venit. Illi autem interea prope „ Danubium pervenerunt, & in campo pulcherrimo summo di-

„ luculo pugnam inierunt. Fuit autem auxilium Domini cum „ Hungaris: a quorum facie Dux sæpedictus se in fugam convertit: persecuti suntque eum Hungari usque ad Danubium, „ & ibi præ timore in Danubium se jactavit, in quo præ aquarum vehementia suffocatur „. Hactenus fabulator: perinde ac si aut Svatopolucus non jam antea novisset, quinam essent Hungari, qui tribus ante annis contra Bulgaros, finitimos suos, conjunctis cum Græcis armis, pugnaverant; aut Hungari, qui ad Danubium antea consederant, eoque trajecto pugnam illam cum Bulgaris inierant, aquas Danubii nondum gustassent. Sed quid opus, futile commentum multis consutare?

Hansizius Tom. 1. German. Sacræ pag. 166. de bello ab Arnulpho adversus Zventibaldum moto: „ Hic (Arnulphus „ scilicet) (inquit) anno 892. bellum cum Zventibaldo resum„ psit, & per annos quatuor signis in Moravos illatis, eos de„ mum, ope inprimis Hungarorum, fregit anno 894. Zven„ tibaldus inde nusquam visus: cæsum alii: multi in solitudi„ nem digressum censuere „ De Zventibaldi exitu mox dicam. Nunc notandus Hansizii error, qui *per annos quatuor bellum Moravicum durasse* ait, quum illud eodem ipso scribente, anno 892. inchoatum sit: adeoque non quatuor, sed tribus, juxta ipsum, annis duraverit, necesse est. At vero illud bellum anno 893. terminatum fuisse, ex dictis constat.

VI.
Arnulphi Regis gesta in Italia, & in Gallia.

Anno 894. Regino, & (*a*) ex eo Metensis. „ Arnulfus „ (*b*) cum valido exercitu, Langobardorum terminos intravit, „ & circa Purificationem S. Mariæ, castrum quod nuncupatur „ Pergamum, armis cepit, & Ambrosium Comitem ipsius ci„ vitatis, laqueo ante portam ipsius urbis in quadam arbore „ suspendit. Unde tantus timor super reliquas civitates cecidit, „ ut nullus auderet contradicere, sed omnes obviam proce„ derent venienti. Pervenit autem usque Placentiam. Inde „ conversus per Alpes Penninas, Galliam intravit, & ad San„ ctum Mauricium venit. Rodulfum quem quærebat, nocere „ non potuit, quia montana conscendens, in tutissimis locis se „ ab-

a Pagius ad ann. 894. num. 1. *Annalista Metensis, & ex eo Regino*. Jam supra ostensum est, ex Reginone Metensem, non ex Metensi Reginonem hausisse.

b Freherianus. Arnulfus in itinere positus, natalem Domini Curte Regia Vveibilinga mansit. Inde cum Alamannico exercitu Italiam intravit. Pergamum civitatem primam cum Comite Widonis Ambrosio sibi rebellem sentit. Cetera.

„ abſconderat. Regionem inter Jurum & montem Jovis, exercitus graviter attrivit. Poſthæc Wormatiam venit, ubi Placitum tenuit, volens Zwentibolch filium Regno Lotharii præficere: ſed minime optimates prædicti Regni ea vice aſſenſum præbuerunt. Soluto Conventu, quum ad Loresham idem Princeps veniſſet, Ludovico filio Boſonis, matre Hirmingarde interveniente, quaſdam civitates cum adjacentibus pagis, quas Rodulfus tenebat, dedit. Sed & hoc ei in vacuum ceſſit, quia eas nullo modo de poteſtate Rodulfi eripere prævaluit. Eodem anno Wido, qui Italiam regebat & Imperatoris tenebat nomen, moritur. Lambertus (*a*) filius ejus, Regnum obtinuit, & Romam veniens, diadema Imperii a Præſule Sedis Apoſtolicæ (*Formoſo*) ſibi imponi fecit. Per idem tempus Hildegardis (*b*) filia Ludovici Regis, fratris Carolomanni & Caroli, a quibuſdam ad Arnulfum accuſata, Regiis poſſeſſionibus privatur, & privata in exilium deſtinatur in Monaſterio Puellarum, quod Chemiſſem dicitur. Sed non poſt multum tempus in gratiam rediit, & ſua ex majori parte recepit.

VII. Svatoplucus Moraviæ Rex anno 894. moritur, relicto filiis Moymiro & Svatopluco Regno. Hungari poſt ejus mortem in Pannoniam invadunt.

Pergit Metenſis ad ann. 894. „ Circa hæc etiam tempora „ Zwentibolch Rex Marahenſium Sclavorum, vir inter ſuos prudentiſſimus, & ingenio callidiſſimus, diem clauſit extremum. Cujus Regnum filii ejus pauco tempore infeliciter tenuerunt: Ungaris omnia uſque ad ſolum depopulantibus.

In ſupplemento lacunæ Freheriani Annalium Fuldenſium continuatoris. Anno 894. „ Zwentibaldus Dux Maravorum, „ & vagina totius perfidiæ, quum omnes regiones ſibi affines dolo & aſtutia perturbando, humanum ſanguinem ſitiens, circumiret, ultimum hortando ſuos, ne pacis amatores, ſed potius inimici domeſticis perſiſterent, diem ultimum clauſit infeliciter. Avari, qui dicuntur Ungari, in his temporibus ultra Danubium peragrantes, multa miſerabilia perpetravere.

a Lambertus anno 892. in ſocietatem Imperii a Widone patre adſcitus fuerat. Sed anno 894. mortuo patre, quum Berengarius Papiam veniſſet, fautores Widonis veriti, ne ab eis illatam Berengarius ulciſceretur injuriam, ab iis vocatus Lambertus Papiam rediit, indeque Berengarium expulit: poſtquam ſcil. Arnulfus in Germaniam rediiſſet. Vide Pagium ann. 894. num. 4.

b Vide Hanſiz. Tom. 2. Germ. ſacr. pag. 140. ubi tamen id Hildigardis in Bajoariæ quadam inſula, palude Chiemiſee nominata, exilium, ad annum 895. perperam confertur.

„ Nam homines & vetulas Matronas penitus occidendo, juven-
„ culas tantum ut jumenta pro libidine exercenda secum trahen-
„ tes, totam Pannoniam usque ad internecionem deleverunt.
„ Pax tempore Autumni inter Bajoarios & Moravos compacta
„ est „. De Ungaris hæc Hansizius Tom. I. Germ. Sacr. p. 167.
„ Hungarorum genus, quidquid nonnulli diversum sentiant,
„ Hunni fuerunt, qui quondam Attila Duce de Scythia pro-
„ gressi, terrarum Orbem innumeris cladibus defœdarunt.
„ Deinde pulsi ad ultimos Istri fluminis fines consederunt, ubi
„ locus Hunnivar Jornando cognitus. Rursum autem post Lan-
„ gobardos in Pannoniam reversi, nonnisi post annos tres & vi-
„ ginti supra ducentos inde submoti, ultra Tibiscum fluvium
„ habitarunt, a Sclavis & Bulgaris tantisper coerciti. Sed Ar-
„ nulfo invitante, Maravis debellatis, solenne suum repetive-
„ runt. Neque nunc primum eorum nomen inventum est.
„ Nam dudum Jornandus Hunnicam gentem in Avares, & Unu-
„ garos partitus est „. Hoc tamen anno 894. post Zventibaldi obitum, Hungari incursionem quidem in Moraviam fecerunt, non vero eam debellarunt: quinimo pax inter Moravos & Bajoarios, Autumni tempore, sancita est.

Postquam Zventibaldus ab Arnulfo Rege exeunte anno 893. devictus ac tributarius factus esset, hoc anno 894. paulo ante Autumnum in vivis esse desiit, relicto filiis suis Moymiro ac Zventibolcho Regno. Pagius relata ejusdem Zventibaldi morte, ad annum 894. num. 17. hæc addit: „ Tum Bohemia,
„ Polonia, & Slesia, suum quæque Provincia Ducem constituit,
„ libere vivens; tributa tamen, superioritatis agnitione, vel
„ modica pendebant Romano Imperio; inquit Krantzius lib. 2.
„ Wandaliæ cap. 26. postquam retulit victoriam anno superiori
„ (893.) ab Arnulpho Germaniæ Rege, quem Imperatorem
„ appellat, de Zwentibaldo, Hungarorum opera, reportatam.
„ Idem, ac Annalista Metensis, habet Porphyrogenneta de
„ Administr. Imperio cap. 41., anno tamen mortis Zventi-
„ baldi, quem Sphendoplocum appellat, non expresso. Mo-
„ raviæ Princeps (inquit Porphyrogenitus) Sphendoplocus
„ fortis terribilisque populis finitimis fuit. Post Sphendoploci
„ autem mortem, anno uno in pace exacto, orto dissidio &
„ bello civili, invadentes Turci (ita Hungaros appellat) pla-

„ nis-

„ nissime eos extirparunt, terramque tenuerunt, quam etiam „ nunc (*anno scilicet 950.*) incolunt: quæque supererat multitudo, dissipata, confugit ad finitimos Bulgaros, Turcas, „ Chrobatos, & reliquas gentes „. De dissidio inter filios Zventibaldi orto mox sermo erit: nunc de ipsius Zventibaldi morte disserendum est.

VIII. Fabulæ neotericorum Scriptorum de obitu Svatopluci Moraviæ Regis, referuntur, ac refelluntur.

Jam vidimus, Zventibaldum ab Arnulfo anno 893. devictum & tributarium factum, anno sequenti decessisse. Verum de ejus obitu recentiores scriptores aliter tradunt. Cosmas Pragensis. *Anno (inquit) Dom. Incarn. 894. Boriwoy baptizatus est, primus Dux Sanctæ Fidei Catholicus*. Hoc dupliciter falsum, primo quidem, quia alii Bohemorum Duces numero quatuordecim anno 848. baptizati fuerant, uti supra diximus: deinde quia quum Borivojus opera S. Methodii Episcopi & Zventibaldi Moraviæ Ducis Baptismum susceperit, id nonnisi inter annum 890. quo Zventibaldus Ducatum Bohemiæ obtinuit, & inter annum 892. quo ab Arnulpho deficiens, bello fuit impetitus, aut saltem inter annum 893. quo idem Zventibaldus ab Arnulpho domitus tributarius ejusdem Arnulphi factus est, contingere potuit. Pergit Cosmas. „ Eodem anno (894.) Zvatopluk „ Rex Moraviæ (sicut vulgo dicitur) in medio exercitu suorum „ delituit & nusquam comparuit. Sed revera dum in seipsum „ reversus, quum recognovisset, quod contra Dominum suum „ Imperatorem, & compatrem Arnulphum injuste & quasi im„ memor beneficii arma movisset; qui sibi non solum Boëmiam, „ verum etiam alias regiones hinc usque ad fluvium Odram, & „ versus Ungariam usque ad flumen Gron subjugarat; pœni„ tentia ductus, mediæ noctis per opaca, nemine sciente, „ ascendit equum, & transiens sua castra, fugit ad locum in „ latere montis Zober situm, ubi olim tres eremitæ inter „ magnam & inaccessibilem hominibus silvam, ejus ope & auxi„ lio, ædificaverant Ecclesiam. Quo ubi pervenit, ipsius sil„ væ abdito in loco equum interficit, & gladium suum humi „ condidit; & ut lucescente die ad eremitas accessit, quis sit, „ illis ignorantibus, est tonsuratus, & eremitico habitu indu„ tus: & quamdiu vixit, omnibus incognitus mansit; nisi „ quum jam mori cognovisset, Monachis semetipsum quis sit „ innotuit, & statim obiit. Cujus Regnum filii ejus parvo tem-

„ po-

„ pore, sed minus feliciter tenuerunt, partim Ungaris illud
„ diripientibus, partim Teutonicis orientalibus, partim Po-
„ loniensibus solo tenus hostiliter depopulantibus.

Hæc Cosmas. At Æneas Sylvius cap. 13. addit de filio Svatopluchi, postquam Pater clam sese pugnæ subtraxit, atque in eremo vita excessit: „ Arnulfus interea victoria potitus, „ Regnum Moraviæ Svatocopii filio, quem de Sacro Fonte „ levaverat „ (*en prima allucinatio: non enim Arnulphus Germaniæ Rex filium Svatocopii, sed Svatocopius Rex Moraviæ filium Arnulphi de Sacro Fonte levavit*) „ possidendum reliquit. „ Is ab eremitis edoctus de fortuna Patris, quem cecidisse in „ prælio existimaverat (*Altera allucinatio seu fabula de excessu Svatocopii*) Corpus ejus ex eremo defossum, Velegradum „ retulit, atque in sepulcris majorum condidit. Fuit autem „ Svatocopii filius (*Tertia allucinatio: Nam post Svatocopium „ Patrem, non unus, sed duo filii regnarunt, Moymirus & „ Zventobolcus, uti mox patebit*) quamquam Christianorum „ Sacris imbutus, minus tamen quam decuit, Sacerdotes Dei „ veneratus „ (*Quartus error: nam res gestas Svatocopii patris tempore S. Methodii Episcopi, quæ leguntur in hujus vita, tribuit ejus filio.*) „ Qui venationem aliquando facturus, „ Archiepiscopo Methodio imperavit, ne ante suum reditum „ Divina perageret „. (*Quinta fabula. In vita SS. Cyrilli & Methodii, alia causa profertur, cur S. Methodius Svatopulcum Patrem excommunicavit.*) „ Expectavit Methodius „ ad meridiem usque; tandem negligi rem divinam veritus, „ Deo Sacrificium cœpit offerre. Interea reversus Princeps, „ ubi se neglectum animadvertit, Sacram ingressus ædem, „ multitudinem canum intromisit; tubasque clangere jubens, „ ad Altare usque progressus, convicia multa ingerens, vix „ manus à violatione Sacerdotis abstinuit. Ob quam rem pau- „ cis post diebus Methodius in Bohemiam fugiens, Regem „ extra Ecclesiam fecit, Regnoque Sacris interdixit. Quo „ facto, non solum Archiepiscopalis Sedes in Moravia defecit, (*Sextus error. Svatopluchus obiit anno 894. Filii eum exceperunt eodem anno: Sedes autem Moraviæ adhuc manebat anno 900. uti ex Epistola Antistitum Bajoariæ & Germaniæ supra est demonstratum.*) „ Sed in seipso quoque Regnum extin-
„ ctum

„ ctum est. Mortuo namque paulo post excommunicato Rege,
„ Imperii Moravorum partem Theutones ac Bohemi, partem
„ Poloni atque Hungari diripuerunt. Methodius in Bohemia
„ aliquandiu moram traxit; deinde Romam se contulit: ibi
„ fratrem suum Cyrillum comperit, qui baptizato quondam
„ Svatocopio, Moravis Christiana Sacra crediderat, multas-
„ que alias Sclavorum gentes ad Fidem Christi converterat „.
Multiplex hic etiam allucinatio: nam Cyrillus ac Methodius non Svatocopium, sed Rastizem seu Rastislaum ejus patruum, Christianis sacris imbuerant: quo facto, Romam anno 867. evocati, ibi Cyrillus anno sequenti diem clausit extremum: Methodius Episcopatu auctus, in Moraviam rediit: iterum Romam repetiit sub Jo. VIII. Papa: mox unacum Wichino ordinato Episcopo, rursus in Moraviam, Svatopluco Regnante, regressus est. Quum autem in epistola Antistitum Bajoariorum & Germanicorum ad Jo: IX. Papam data anno 900. nulla fiat *Methodii* mentio, sed Joannes dicatur ordinatus Moravorum Archiepiscopus, palam fit Methodium ante hunc annum aut in Moravia decessisse; aut, si Romam rediit, ibi diem clausisse.

Tum a Cosma, tum ab Æneа Sylvio dissentiunt Dubravius & Cromerus: qui ad Svatocopii ab Arnulpho devicti filium cognominem ea de eremitico illo secessu referunt, quæ Cosmas & Æneas Sylvius de patre scribunt. Verba Dubravii lib.4. hist. Bojemicæ accipe. „ Magis adhuc Borivorio (*Bohemiæ Duci*)
„ cogitationem de mutanda superstitione injecerunt honores
„ ab Arnolpho Cæsare, ipsi Svatopluco habiti, postea quam
„ religione Christiana initiatus fuit. Nam tanta inde Arnul-
„ phus benevolentia, tantoque favore Svatoplucum prosequu-
„ tus est, ut in gratiam ejus venire in Moraviam ad diem non
„ gravaretur, ad quem invitatus erat, ut filiolum suum e sa-
„ cro fonte levaret. Ubi hac præterea in illum usus est libera-
„ litate, ut tributum illi attribueret, quod Princeps Bojemiæ
„ Cæsari tunc pendebat „. Dupliciter hic fallitur Dubravius: nam Svatoplucus Rastislao patruo in Regno Moraviæ usque ab anno 870. suffectus, Christianam fidem colebat, antequam Arnulphus Germaniæ Regnum obtinuisset: hic enim, patre Carolomanno anno 880. defuncto, sola Carinthia potitus est usque ad mensem Novembrem anni 887. quo ab optimatibus Francorum,

rum, Bojoariorum, Thuringorum, Saxonum, Alamanorum, dejecto Carolo Crasso, patruo Imperatore, Germaniæ Rex dictus fuit. Deinde non Arnulphus filium Svatopluci, sed Svatoplucus filium Arnulphi Zventibaldum, e sacro fonte levavit; neque Arnulphus solum Bohemiæ tributum, sed Ducatum etiam anno 890. Svatopluco concessit. Pergit Dubravius. „ Incesse„ rat post longam & mutuam benevolentiam, quæ inter Sva„ toplucum Regem & Arnolphum Cæsarem, usque ad arma „ simultas contentioque, accusante fidem Regis Cæsare, quasi „ magis ad Constantinopolitanum, quam ad Romanorum re„ spiceret Imperatorem: Rege contra se defendente atque di„ cente, convenire officio suo, ut majestatem Græci quoque „ Cæsaris debito honore conservet, a quo majores olim sui, „ Regni decus, ipse deinde fidem Christianam acceperit, ha„ beatque in hunc diem bonam Regni sui partem ad Daciam „ pertinentem, cum finibus Imperii illius tamquam vicini con„ junctam „. Hic etiam Dubravius mihi videtur somniare.. Simultas inter Svatoplucum & Arnolfum orta est anno 892. post relatam ab eodem Arnulfo de Northmannis insignem illam victoriam, quam supra ex auctoribus fide dignis descripsi: quando nimirum Arnulphus Germaniæ dumtaxat Rex erat, nondum coronatus Imperator: nam *anno* 896., ut scribit continuator Freherianus Annalium Fuldensium „ Urbe Roma nobiliter „ cum triumpho expugnata, & Apostolico (*Formoso Papa*) de „ inimicis liberato, omnis Senatus Romanorum, necnon Græ„ corum Schola cum vexillis & crucibus ad pontem Milvium „ venientes, Regem (*Arnulfum*) honorifice cum hymnis & „ laudibus suscipientes, ad Urbem perduxerunt. Jam Apo„ stolicus paterno amore diligendo, Regem ante Paradisum, „ loco qui dicitur Gradibus sancti Petri, suscipiens, & hone„ ste ad Basilicam BB. Principum Apostolorum lætificando in„ troduxit, & secundum morem Antecessorum suorum, Im„ perialem consecrationem capiti sibi imponens, Cæsarem Au„ gustum appellavit „. Dubravius „ Sed hæc contentio, ex„ tincto Svatopluco, simul extincta est citra pulverem & sangui„ nem. (*Anno scil.* 894. *quo Svatoplucus decessit*.) Atqui „ major deinde, filio (a) Svatopluco regnante, simultas re„ cru-

a Eumdem Dubravius infra *Svatobogium* vocat.

„ cruduit, posteaquam ille, capto ad insidiandum tempore, „ quo Arnolphus Northmannis subdomandis implicitus erat, „ Norcium magna vi externorum quoque equitum, popula- „ bundus ingressus est, magnaque cum præda & spoliis, magno „ Cæsaris dedecore, domum ultus rediit „. Jam dixi, susceptum ab Arnulfo Northmannicum bellum anno 891.; triennio scilicet, antequam Svatoplucus iste Dubravianus, extincto patre, Regnum capesseret. Quid? quod nusquam legitur, Svatoplucus pater dum rebellionem adversus Arnulphum molitus est, in Noricum invasisse. Dubravius. „ Accessit ad audaciæ „ illius cumulum, insolentissimus in Præsulem sacrificantem in- „ sultus. Methodius Præsul erat, divis postea adnumeratus, „ ad quem Rex miserat, ne prius sacra obiret, quam ille a ve- „ natu reverteretur „. Cetera ut supra ex Ænea Sylvio de Regis impio ausu in Præsulem Methodium commisso, deque ejusdem Præsulis in Bohemiam secessu, ad fabulas amandanda. Pergit porro. „ Nec longe aberat detractæ religionis suæ „ vindex Deus, sicut nec Cæsar contemptæ suæ dignitatis; sed „ uterque per tempus suum a contemptore eam pœnam exe- „ git, qua subdomantur superbi & impii. Nam Cæsar Regnum „ illius per edictum publicavit, deditque illud diripiendum „ vicinis gentibus, Ungaris, Polonis, Austriacis; reliqua pars, „ quæ nunc exstat, ultro se fidei potestatique Bojemorum per- „ misit. At misericordiæ plenus Deus, qui non vult mortem „ peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat, de Rege mul- „ tarumgentium, humilem inopemque sibi fecit eremi culto- „ rem, ad montem, cui Sembor vocabulum, quem tres dum- „ taxat eremitæ, vitam aridam duramque viventes, incole- „ bant. Iis Rex quartus additus, nemini contubernalium de „ tolerantia patientiaque concessit: nec nisi ante extremum „ diem, quis esset, se illis prodidit, a quibus etiam Nitriæ in „ Pannonia conditus fuisse dicitur, & donec appareret condi- „ torium, hoc elogium insculptum habuisse fertur: Regem „ Moraviæ Svatoplucum in medio Regni sui sepultum jacere„. Plus æquo Dubravius fabulis hic indulget: dum nempe, & factum Svatopluci patris, quod ab Ænea Sylvio narratur, ad filium transfert: & quem Sylvius ex eremo defossum, Belogradum retulisse atque in sepulcris majorum condidisse tradit, ipse

ipse affirmat eum Nitriæ in Pannonia sepultum, atque elogium insuper confingit.

Cromerus Dubravio suffragatur. Sic enim scribit lib. 2. de origine & rebus gestis Polonorum, in Zemovito, pag. 43c. „ Principatum post patrem (Piastum) adeptus, constituta pri- „ mum disciplina militari, creatoque magistro militiæ, & or- „ dinum ductoribus, ex iis, quos maxime dignos, & idoneos „ noverat, ad recuperanda ea, quæ Ungari, Moravi, & Ger- „ mani sub Popieli Principatu invaserant, neque ad eam diem „ recuperata erant, totum se convertit: easque res ex animi „ fere sui sententia confecit, eo quidem minore negotio, quod „ eæ tunc gentes inter se belligerabant. Moravi enim bello „ exagitati a Ludovico Balbo Rege Germaniæ, post mortem „ ejus, Svatoplugo Rege, qui primus cum ea gente Christo no- „ men dedit, ductore, Germaniam vehementer afflixerant. „ Contra quos Arnolphus Imperator, idemque successor Lu- „ dovici in Regno Germaniæ, Ungaros in auxilium evocavit: „ qui profligatis Moravis, & Rege eorum interfecto, quum si- „ bi merita stipendia ab Imperatore non exsolverentur, magnis „ deinde & ipsi cladibus Germaniam affecere. Sic igitur di- „ stentis Moravis, Ungaris atque Germanis, facile fuit Zemo- „ vito ab iis sua recuperare, ac plura etiam, de Moravis præ- „ sertim, capere, & Regno suo adjicere: quum Svatoplugus, „ quemadmodum Venceslaus Hageeus memoriæ prodidit, fi- „ lium Svatobojum, e sorore Arnolphi susceptum, juvenem „ admodum reliquisset: atque is ob impietatem in Deum, & „ acerbitatem in Sanctum Episcopum Methodium, Christianæ „ religionis in Slavorum natione propagatorem, afflictus, & „ suis exosus, in solitudinem & avias silvas sese subduxisset: „ ubi etiam pœnitentia anteactæ vitæ compluribus annis reli- „ giose peracta, vitam finivit, & moriens demum, tribus in- „ stituti ejusdem sociis, quinam esset, indicavit. Et in eo Mo- „ ravorum Regnum finem accepit, a Germanis, Ungaris, Bo- „ hemis, & Polonis discerptum „. Cromero, Historico cæteroqui non indiligenti, plura hic excidisse video a veritate historica quamlongissime abhorrentia. I. Ludovicum, Ludovici Pii Imperatoris filium, Germaniæ Regem, qui ab anno 817. ad 876. in Regno vixit, confundit cum Ludovico Balbo, Caroli

roli Calvi filio, Franciæ Rege, qui anno 879. obiit; eum tamen Germaniæ Regem facit. II. Sub Popieli Principatu (qui juxta Alexandri Guagnini ſupputationem ab anno Chr. 830. ad 842. Polonis imperavit,) Ungaros, Moravos, & Germanos multa Polonorum loca invaſiſſe ſcribit, quum Ungaros nonniſi anno 889. e ſedibus ſuis, ad quas e Scythia tranſierant, in Pannonia viſos fuiſſe conſtet. III. Svatoplugum aſſerit primum cum Moravorum gente Chriſto nomen dediſſe, quum Methodius Moravos ſub Raſtize ejus gentis Rege, Svatoplugi patruo & deceſſore, ad Chriſti fidem adduxiſſe, in ipſius Actis legatur. IV. Svatobojum, Svatopluci ſucceſſorem, e ſorore Arnulfi ſuſceptum dicit, quum nulla alia inter Svatobojum & Arnulfum affinitas interceſſerit, niſi quod Svatoplugus, Svatoboii & Moymiri pater, filium Arnolphi Zventibaldum e ſacro fonte levaverit. V. Svatobojum relicto Regno in eremum seceſſiſſe ſcribit, quum id neque verum ſit, neque, ſi verum eſſe dicatur, ad Svatobojum, ſed ad Svatoplucum ſit referendum. VI. Ungaros, devicto & interfecto Svatopluco, eo quod ſibi ſtipendia ab Arnulfo non eſſent exſoluta, magnis ſcribit cladibus Germaniam affeciſſe, qui, Arnulfo vivente, non in Germaniam, neque in Moraviam invaſerunt: uti tum de Ungarorum invaſionibus, tum de Regni Moravici fine mox dicam.

CAPUT IV.

Arnulfus Germaniæ Rex a Formoſo Papa coronatur Imperator. Pax a Græcis cum Hungaris inita. Bulgari Hungaros profligant. Pannonia Braslavoni Duci tuenda committitur ab Arnulfo. Moravi & Sorabi legatos ad Arnulfum mittunt. Duces Bohemiæ petunt opem ab Arnulfo adverſus Moravos. Diſſidio inter Moymirum & Svatoplucum Moraviæ Principes orto, Moymirus Svatoplucum e Moravia pellit. Geſta Zventibaldi filii Arnulfi. Arnulfus Imperator moritur.

ANNO 895. Rhegino & ex eo Metenſis. „ Arnulphus, „ poſtquam Concilium Triburienſe celebratum eſſet, „ Wormatiam venit, optimatibus ex omnibus Regnis ſuæ di- „ tioni ſubditis ſibi occurrentibus, conventum publicum cele- „ bra-

I. Zventibaldus Arnulfi filius Regno Lotharii præficitur. Arnulfus Imperator a Formoſo Papa coronatur.

„ bravit, in quo conventu, omnibus assentientibus atque col-
„ laudantibus, Zvendibolch filium Regno Lotharii præfecit,
„ Zventibolchus eodem anno, collecto immenso exercitu,
„ cupiens amplificare terminos Regni sui, quasi Carolo adver-
„ sus Ottonem auxilium laturus, Lugdunum deprædatum ve-
„ nit, & civitatem obsidione cinxit; sed minime eam capere
„ potuit, quamvis multis diebus, summis viribus certatim di-
„ micatum esset. Audiens autem Ottonem cum exercitu ad-
„ venire, qui ea tempestate in Aquitania morabatur, cum
„ omnibus copiis recessit, & in propria Regna se recepit „. Si-
gebertus perperam ad annum 896. „ Arnulphus Rex Zvende-
„ baldum filium suum ex concubina facit Regem Lotharien-
„ sium.

Anno 896. Arnulphus Germaniæ Rex, anno superiori a Formoso Papa in Italiam evocatus, currenti anno illuc pervenit, & ab eodem Papa, Imperator Augustus coronatur ante diem primum mensis Martii. Vide Pagium ad annum 896. a num. 1. ad 4. Eo autem in Germaniam regresso, *Berengarius ac Lambertus* diviso inter se Regno Italiæ, *tyrannidem exercuere*, ait Hermannus Contractus. Regino. „ Anno 896. Arnol-
„ phus secundo Italiam ingressus, Romam venit, & urbem
„ Romanam cum consensu Summi Pontificis armis cepit...
„ Mater Lamperti, quæ ad præsidium a filio relicta fuerat, cum
„ suis latenter aufugit. Arnolphus civitatem ingressus, a For-
„ moso Apostolicæ Sedis præsule honorifice susceptus, ante
„ Confessionem S. Petri coronatus, Imperator creatus est. In-
„ de revertens paralysi morbo gravatur, ex qua infirmitate diu
„ languescit „. Freherianus Fuldensium Annalium continuator narrato ad annum 896. Arnulphi in urbem ingressu ejusque coronatione: „ Posthæc autem (inquit) Constantinus & Stepha-
„ nus, qui majores inter Senatum erant, rei majestatis accu-
„ sati sunt, quia cum Agildruda (*Lamberti Matre, & Wido-*
„ *nis Vidua*) prius Urbem capiendam conspiravere: quos Rex
„ sine mora comprehendi, & secum in Bajoariam transferri
„ præcepit. Ipse xv. tandem die, postquam venerat, ab urbe
„ digressus est. Comperta denique Agildruda in civitate Spo-
„ letana morari, quam ad expugnandum mox iter arripuit.
„ Sed antequam ad locum destinatum pervenisset, gravi in-
„ fir-

„ firmitate capitis detentus, imperfectum reliquit, & cum „ omni festinatione parvulo filio suo, nomine Ratold, qui ei „ de concubina erat, ad fidem Italicæ gentis Mediolanum di- „ misso, per vallem Tridentinam mense Majo in Bajoariam „ reversus est. Sed non multo post etiam filius ejus, quem in „ Italia dereliquit, per lacum Cumensem ad eum reversus est. „ Post mortem etenim Vualtfredi Forojulii Marchensis, qui „ multum fideliter ad Imperatorem Veronam contendendo „ retinuit, illico Berngarius Regnum Italicum invasit, & usque „ ad flumen Adduam, quasi hæreditario jure, contra Lant- „ bertum in participationem recepit.

II. Pacem Græci cum Hungaris faciunt. Bulgari victoriam referunt. Pannonia Braslavoni Duci tum adversus Hungaros, tum adversus Moravos tuenda ab Arnulfo committitur.

Idem Freherianus ad eundem ann. 896. narrat celebrem Bulgarorum de Hungaris victoriam. „ Pacem Græci (inquit) „ eodem anno cum Avaris (qui dicuntur Ungari) facientes, „ quod eorum concives Bulgari in pravum vertentes, hostili „ expeditione contra eos insurgunt, & omnem regionem illo- „ rum usque portam Constantinopolitanam devastando inse- „ quuntur. Quod ad ulciscendum Græci astutia sua naves illo- „ rum contra Avaros mittunt, ac eos in Regnum Bulgarorum „ ultra Danubium transponunt. Illi transpositum manu cum „ valida gentem Bulgarorum ingressi, maximam partem cæden- „ do neci tradiderunt. Hoc audientes positi in expeditione Bul- „ gari, cum omni festinatione primum deliberare ab infesto „ hoste recurrunt, consertoque illico prælio, victi sunt; iterum „ pari tenore recuperare nitentes, secundo caruere victoria. „ Tandem miseri inscii, quam consolationis causam & remedii „ potuissent invenire, currunt omnes ad vestigia vetuli illo- „ rum Regis Michaëlis, qui eos primum ad Christianæ religio- „ nis veritatem convertit, inquirentes, quid eis ab imminenti „ periculo evadendum consuleret. Qui indicto triduano jeju- „ nio, pœnitentia de inlata Christianis injuria, dein auxilium a „ Deo quærendum esse præmonuit. Quo peracto, durum im- „ minere certamen: pugnantibus vero ambabus acerrime par- „ tibus, ad ultimum misericordia Dei, victoria quamvis cruen- „ ta, Christianis concessa est. Quis enim Gentilium Avarorum „ strages tantis congressionibus enumerando possit exponere? „ quoniam Bulgarorum, ad quos victoria concessit, nume- „ ro XX. millia equitum cæsa inveniuntur. Stipantibus denique

„ iisdem

„ iisdem in partibus inter se conflictibus, Imperator Pannoniam cum urbe Paludarum tuendam Brazlavoni Duci suo in id tempus commendavit. Leo vero Imperator Græcorum Lazarum quemdam vocatum Episcopum ad Cæsarem Augustum cum muneribus transmisit. Quem ille apud urbem Radasponam gratanter accipiens, paucos eum dies secum retinuit: tandem honoribus ditatum remisit in sua „. De hac Bulgarorum victoria, etiam verba facit Hermannus Contractus ex editione Canisiana, ad hunc annum 896. Verùm ostendimus supra ad annum 889., Bellum istud Bulgaricum ab anno 890. ad 893. durasse. Itaque non propter exortum hujusmodi Bulgaros inter & Ungaros prælium (nam Hungari & Bulgari fuerant hactenus cum Arnulpho fœdere conjuncti:) sed quia Arnulphus in Italiam ad suscipiendam a Formoso Papa coronam Imperialem pergebat, idcirco Pannoniam sibi subjectam unacum urbe Paludarum tuendam Braslavoni Pannoniæ Saviæ Duci commendavit; cavens nempe, ne Moymirus & Zventibaldus, Zventibaldi filii, Moraviæ Duces, cum quibus exeunte anno 894. pacem firmaverat, more solito, fœdus rumpentes, in Pannoniam, ipso absente, aut certe Hungari, invaderent. Recole quæ supra ex Freheriano ad ann. 892. sunt recitata de Braslavone, Bulgaris, & Ungaris.

III. Moravorum & Sorabor um legati pro pace custodienda Arnulfum accedunt. Duces Bohemorum suffragium Arnulfi petunt contra inimicos Moravos.

Anno 897. Freherianus Fuldensium continuator. „ Cæsar vero (*idest, Arnulphus*) cum curte Regia Otingæ Natalem Domini (*exeuntis anni* 896.) celebravit, advenientibus ibidem ad eum Maravorum missis, qui pro pace custodienda, ne exules eorum profugi reciperentur, ab Imperatore flagitant. Quos Rex ut audivit, absolvit, & sine mora abire jussit. Ipse vero habito generali Conventu, urbe Regino propter gravitatem corporis in Bajoaria secretis locis hiemare disposuit. Fames valida universam regionem Bajovvariorum incubuit, ita ut multi inedia consumerentur. Exeunte autem mense Majo habitum est Placitum urbe Vvarmatia. Ibi inter alia Zventibaldus filius Imperatoris ad eum venit. Quem ille benigne suscipiens, quibusdam Primoribus suis, qui priori anno ab eo honoribus privati sunt, cum eo pacificatis, ceterisque negotiis, prout potuit, ibidem inter se dispositis, placabilem licentiam in sua redeundi „ do-

„ donavit. Curte vero Triburia, habito generali Conventu, „ Fuldense cœnobium, causa orationis, petiit. Quo peracto, „ ad curtem, quæ dicitur Salz, pervenit, advenientibus ibi „ ad eum cum muneribus, Soraborum missis, quos ut audivit, „ absolvit, & abire permisit. His ita expeditis, contigit, ut „ gentis Behemitarum Duces ad Imp. Arnulfum, qui tunc temporis civitate Radispona moratus est, advenerunt, offerentes ei munera regia, & sua suorumque fidelium suffragia, „ contra eorum inimicos Marhabitas (*Moravos*) scilicet postulantes, a quibus sæpe, ut ipsi testificati sunt, durissime „ comprimebantur. Quos ergo Duces Rex Imperator gratuito „ suscipiens, verbaque consolationis ex pectoribus abundantius inseruit, & lætabundos, donoque honoratos, patriam „ in suam abire permisit: totumque illius anni tempus autumnale finitimis in locis Aquilonaribus Danubii, Ymbrisque „ (*a*) fluminis sese sustentavit: hac etiam in ratione, si supradictæ genti (*Bohemorum scil.*) necessitas auxilii sui immineret, paratus cum suis fidelibus existeret „. De primoribus, quos Arnulfus cum Zventibaldo filio reconciliavit, hæc habentur apud Metensem ad hunc annum 897. „ Stephanus, „ Odacar, Gerardus & Matfridus Comites, honores & dignitates, quas a Rege acceperant, perdunt. Zventibolch Treveris cum exercitu venit, terram quam præfati Comites tenuerant, inter suos dividit; Monasterium ad Horrea, & Monasterium S. Petri, quod Metis situm est, sibi reservans. „ Post hæc patrem super uxore, quam accipere desiderabat, „ per legatos consulit; cujus hortatu ad Ottonem Comitem, „ missum dirigit, ejus filiam nomine Odam, in conjugium exposcit. Ille vero petitionibus ejus graviter assensum præbuit, „ eique filiam tradidit, quam post Pascha celebratis nuptiis, „ sibi in matrimonium sociavit. Eodem anno Arnulfus Vvarmatiam venit, ibique Placitum tenuit: ubi ad ejus colloquium Zventibolch occurrit, & interventu Imperatoris, „ Stephanus, Gerardus, Matfridus cum filio reconciliantur. Maravenses quod spectat, pacem quidem ii cum Arnulfo ineunte anno 897. confirmarunt. At Bohemorum Duces, quos idem Ar-

a *Amber* scilicet, seu *Ambro*, Vindeliciæ fluvius, qui in Danubium, cum Istro sive Isargo commistus, influit.

Arnulphus Moravorum Regi usque ab anno 890. subjecerat, accusantes, quod durissime a Moravis tractarentur, postularunt, ut ab eorum jugo exemtos, in suam se clientelam reciperet. Quod & Arnulphus Bohemis concessit. Duo tunc temporis Duces Bohemis præfuisse leguntur: *Spitigneus* scilicet, & *Uradislaus*, filii Borivorii & Ludmillæ, qui auctore S. Methodio, Christianis sacris imbuti fuerant. Etsi autem Zventibaldus, cui anno 890. Arnulphus Ducatum Bohemiæ concesserat, anno 894. in vivis esse desiit, ejus tamen filii *Moymirus*, & *Zventibaldus* eundem sibi Ducatum vindicare, & Bohemos durissime comprimere non desistebant. Ab illorum igitur jugo Bohemi hoc anno sese eximentes, Arnulphi se suaque omnia dediderunt. Ex his colligitur, *Uratislaum* Bohemiæ Ducem aut ad annum Chr. 897. non pervenisse: aut potius, abdicatum Ducatum non uni *Spitigneo* filio (uti Dubravius lib. 4. histor. Bohem. narrat) sed etiam *Uratislao* reliquisse: alioquin non *Duces*, sed *Dux* Bohemorum, Arnulfum accessisse diceretur.

IV.

Dissidium ortum inter fratres Moymirum & Svatoplucum, Moraviæ Principes. Moymirus Moraviam retinet, pulso fratre, quem ex ergastulo Arnulfus Imp. eripit. Arbo Bajoariæ Comes: Liutboldus Austriæ. Braslavo Dux Slavoniæ.

Anno 898. Freherianus. „ Postea vero inter duos fratres „ gentis Marahensium, Moymirum videlicet ac Zventobolchum, eorumque populum, dissensio atque discordia gra„ vissima exorta est, ita etiam, ut si uterque alterum suis viri„ bus insequi atque comprehendere valeret, capitalem subiret „ sententiam. Tunc vero Rex Imperator ista sciens, Mar„ chiones suos, Luitbaldum scilicet, & Arbonem Comitem „ una cum cæteris fidelibus suis, parti quæ ad se spem ac con„ fugium habuit, auxilium ad eorum liberationem protectio„ nemque Bawarios suos Primates transmisit. At illi in ore „ gladii, igneque, prout poterant, inimicos suos humiliave„ runt, & devastando necaverunt. Istius ergo dissensionis & „ disruptæ pacis inter supra memoratos fratres Arbo Comes, „ Isaurico (*a*) filio suo instigante, instructor, delatorque „ atque proditor esse convincitur, & ob hanc causam præfe„ ctura sua ad tempus caruit, quam non multo post accepit. „ Deinceps autem quidam, qui erat quondam Princeps, cum „ ceteris Primoribus gentis Bavvariorum, nomine Erimber„ tus, qui postea Regi suisque rebellis extitit, a Priznolavo „ quo-

a Al. *Ibarico* seu *Isenrico*, & *Isingrino*.

„ (*a*) quodam Sclavo Duce, qui & ipſe Imperatori fidus pro- „ batur, comprehenſus dinoſcitur, & a Luitbaldo ſtrenuo Co- „ mite aliiſque vinculis illigatus, Regi a Drantesdorf eſt præ- „ ſentatus, Chriſti Domini Natale anni inſtantis finiente „. Arbo in Comitatum Bajoariæ, poſt Willihelmi & Engilſcalchi obitum, concedente Germaniæ Rege, ab anno 884. ſucceſſerat: Luitbaldus autem limitis Orientalis cuſtos, ideſt Auſtriæ Comes, cujus fit mentio etiam in Diplomate Ludovici Germaniæ Regis, filii Arnulphi, dato xiv. *Kal. Februar. Anno Dom.* Dcccc. *Indict.* iv. *Anno vero Regni Regis Ludovici I. Actum civitate Ratiſpona*, his verbis apud Hundium in *Epiſc. Patavien.* pag. 351. „ Ideoque omnibus Sanctæ Dei Eccleſiæ præ- „ ſentibus fidelibus & futuris notum eſſe volumus, qualiter „ vir Ven: nomine Richarius, Patavien. ſcil. Præſul, per quo- „ rumdam Procerum noſtrorum, Adalberonis quoque Reve- „ rendi Antiſtitis ac ſtudioſiſſimi nutritoris noſtri, & Waltonis „ Friſingenſis Epiſcopi, nec non Lutwaldi illuſtris Comitis & „ dilecti propinqui noſtri interventum „. *Cetera*. Et in altero ejuſdem Ludovici Regis diplomate dat. xv. *Kalen. Jul. Anno* Dccccvii. *Ind.* x. *Regni* viii. *Actum ad S. Florianum*, apud Hanſiz. Tom. 2. Germ. Sacr. pag. 142. „ Quo Ludovicus Rex „ ob preces Dietmari Archiepiſcopi, Luitpolt & Iſingrini illu- „ ſtrium Comitum, Burcardo Patavienſi confirmavit Otingam „ Epiſcopi proprietatem „. Iſauricus igitur, alias *Iſenricus*, idem ipſe eſt ac *Iſingrinus*, de quo in laudato Ludovici diplomate modo facta eſt mentio, idemque Arbonis Comitis filius, uti apud Freherianum legitur.

Pergit Freherianus ſub eodem anno 898. „ Iterum autem „ expeditione ordinata tempore hiemali (*adeoque anno ineun-* „ *te* 899.) Bawariorum Principes cum ſuis, fines Marahabita- „ rum fortiter atque hoſtiliter invaſerunt, & manu valida loca „ illorum deſertantes, prædamque colligentes, domumque „ revertentes, habentes ea .... *Deſunt aliquot verba*. Ipſo „ quoque tempore ejuſdem magni, & communis Placiti civi- „ tate Regia (*leg. Regino, ideſt Ratiſpona, menſe Junio ha-* „ *biti, in quo adulterium Otæ Reginæ juxta primorum præ-* „ *ſentium judicium*, lxxii. *duobus jurantibus definitum com-* „ *pro-*

a *Bradavone*.

„ *probatum est*.) Rex paralysi solutus infirmatus est. *Et post* „ *pauca*. Denique non post multum temporis Bavvarii termi- „ nos Maraborum confidenter iterato intrantes, & quæcumque „ poterant diripiendo depopulati sunt, & Zventebolchum „ puerum, filium antiqui Ducis Zventibolchi, suumque po- „ pulum, de ergastulo civitatis, in quo inclusi morabantur, „ eripuerunt, ipsamque civitatem igni succenderunt, atque in „ fines patriæ suæ pro misericordia secum abduxerunt. Inte- „ rim autem Isauricus tyrannidem suam sine cessatione contra „ Regem exercens. Quod vehementer Rex accipiens, decre- „ vit navigio, quia jam tunc infirmus corpore fatigaretur, ci- „ vitatem Mutarensem, in qua ipse Isauricus erat, aggredi: „ quod & factum est. Illo vero resistente, Rege quoque & „ suis fortiter viriliterque superantibus, atque civitatem op- „ pugnantibus, demum ipse Isauricus vi compulsus, cum uxo- „ re & his quæ ad se pertinebant exivit, & Imperatori sese „ præsentavit. Tunc Rex custodibus illum custodiendum com- „ mendavit, quatenus Radasponam produceretur. At ille ti- „ mens ne puniretur, fugam iniit, & Marchenses (*a*) usque „ fugit: quorum itaque adjutorio suffultus, ut prius par- „ tem Regni subripuit, eandem totum secum retinendo ob- „ tinuit.

Nimirum, hujus belli exitus hic fuit, ut Zventibolchus quidem cum suis Moravis a factione Moymiri fratris devictus sit, & in quadam civitate tamquam in Ergastulo inclusus, sed ab Arnulpho Rege, ad quem confugerat, ereptus & in Bajoariam abductus: Isauricus vero seu Isingrinus Arbonis Comitis filius, qui dissensionis inter Zventibaldum & Moymirum fratres auctor fuerat, partibus Moymiri adhærens, non modo adversus Zventibaldum, verum etiam adversus Arnulphum rebellionem molitus, tandem captus, sed fuga sibi consulens, Moraviam unacum Moymiro totam retinuit. Quod igitur Porphyrogenitus cap. 41. de Moravia scribit, nimirum: „ Post „ Sphendoploci mortem, anno uno in pace exacto, orto dein- „ de dissidio & bello civili, invadentes Turci, funditus Mo- „ ravos exstirparunt „: Hoc, inquam, verum non est, si *de uno* post obitum Sphendoploci *anno* intelligatur: Nam Sphendoplo-

a Fort. *Marahenses*: nimirum *Moravos*.

doplocus anno 894. obiit: filii autem ejus in pace Moraviam rexerunt usque ad ann. 898. quo anno quum inter eos exortum esset dissidium, Moymirus tamen ejecto fratre Zventibaldo, perrexit Moraviæ præesse per aliquot alios annos, antequam Turci in Moraviam invaderent, uti mox patebit; Itaque *anno uno* Porphyrogenitus dixit, pro *paucis post annis*.

V. Vvichinus Pataviensem Episcopatum arripit, a quo tamen dejicitur.

Addit Freherianus ad eundem ann. 898. „ Engilmarus „ Pataviensis Episcopus obiit, in cujus locum Wihingus qui- „ dam Alamannus contra instituta Patrum, prius Marahensis „ ab Apostolico destinatus Episcopus, Rege concedente, suc- „ cessit: Sed non multo post, a Deotmaro Archiepiscopo, „ ceterisque Suffraganeis suis, contra voluntatem Regis, cano- „ nicali judicio abjectus, ac Richardus (*leg. Richarius*) ad „ eandem sedem Episcopus in idipsum tempus ordinatus est „. Sacerdotio Pataviensi (ut inquit Hansizius Tom. I. Germ. Sacr. pag. 169.) per mortem Engilmari in fine anni 897. viduato, locus Wichingo (Nitriensi Moravorum Episcopo) datus est, favore Imperatoris Arnulphi, apud quem jam ab anno 895. munus Cancellarii gerebat. Ab eodem Imperatore petiit obtinuitque diploma, quo possessiones omnes & immunitates, quæ quondam per Otilonem ejusque filium Tassilonem Duces, deinde per Carolum & Ludovicum Augustos Laureacensi & Pataviensi Ecclesiæ accesserant, decreto novo meliorem in modum confirmarentur. *Datum diploma* v. *Id. Septemb. Anno Incar. Dom.* 898. *Ind. I. Anno* XI. *Regis Arnolfi, Imperii autem ejus III. Actum Reganespurch Regio Palatio: Engilbero Notarius ad vicem Theodmari Archicapellani recognovit*. Editum ab Hansizio Tom. & pag. cit. Aliud diploma ejusdem Arnulphi *Dat.* XIV. *Kal. Sept. anno* 898. *Actum Ranterdorff, pro Monasterio Ottingensi*, quod ad Sedem Pataviensem jure perpetuo pertinere dicitur. Tertium, ad ejusdem Vvichingi supplicationem Arnulphus Imperator *anno* 898. *die* XVI. *Kal. Novembris*, Presbytero cuidam nomine Ellembrecht Capellam S. Pancratii in Ranterdorf a se constructam ad dies vitæ concessit: *Actum ad Regina Civitate*. Quartum denique (Schritovino (*a*) teste) *An.*899. *Vvichingo Episcopo & Isengrenio Co-*

a Hansiz. loc. cit. in fine hujus diplomatis, sic ait: „ Ita Schritovinus, die ta- „ men

mite & Ministeriali (qui alibi *Dapifer* appellatur) *intercedente* , quo donat Arnulfus ad *Capellam* in *Ranterſdorf* de terra jugera duo, molendinum unum, & in foresto adjacenti videlicet in Vvilharn, succisionem lignorum tam ad ædificia ædificanda, quam ad focum nutriendum, prout ipsi loco sufficere videtur, & de feno ad carradas viginti ibidem in altero foresto Hohenwart, & in utroque saginationem porcorum absque ulla discretione contulit. Actum ad Reginam civitatem. Quum autem Arnulphus, ut mox dicam, 3. *Kal. Decemb. anno* 899. decesserit, quumque eodem anno 899. Ditmarus Salisburgensis Archiepiscopus ceterique Suffraganei sui, contra voluntatem ejusdem Arnulfi, dicantur, canonicali, idest synodali, judicio, Vvichingum ex Episcopatu Pataviensi dejecisse, ejusque loco Richarium ordinasse; & id illos fecisse oportet, ante diem 3. Kal. Decembris; & Vvichingum, Imperatoris favore suffultum, contra eorum vim aliquot mensibus, idest, usque ad obitum ejusdem Arnulfi, sedem Pataviensem retinuisse. Qua de re vide eundem Hansizium Tom. I. pag. 173. ubi observat, Richarium non nisi sub finem anni 899. potestatem capessivisse: tunc enim Arnulpho mortuo, spes quoque Vvichingi exaruere.

VI. Zventibolchi filii Arnulfi gesta. Arnulfus Imperator moritur.

Metensis ad eundem ann. 898. Odo Rex (*Galliæ*) ægritudine pulsatur, & mense Januario, tertio die ejusdem mensis, diem clausit extremum, & apud S. Dionysium cum debito honore sepulturæ mandatur. Principes autem in unum congregati, pari consilio & voluntate, Carolum super se constituunt. Eodem anno Zventibolch Reginarium Ducem sibi fidissimum, unicum Consiliarium, nescio cujus instinctu, a se repulit, & honoribus hæreditatibusque, quas in suo Regno habebat, interdictis, eum extra Regnum infra XIII. dies secedere jubet. Ille adjuncto sibi Odacro Comite, & quibusdam aliis, cum mulieribus & parvulis, & omni supellectili, in quemdam tutissimum locum, qui *Durfos* dicitur, intravit, ibique se communivit. Quod quum Rex cognovisset, coadunato exercitu, castrum expugnare conatus est. Sed minime prævaluit propter palu-

„ men Dati non adjecto „ : mihi suspectus est annus 899 ; nam *Isingrinus Comes*, cujus ibi fit honorifica mentio, jam ab anno 893. rebellionem adversus Arnulfum molitus fuerat. Quare pro anno 899. reponendum omnino, 898., cujus anni initio datum id diploma.

paludes, & multiplices refusiones, quas in prædicto loco Mosa fluvius facit. Rege ab obsidione recedente, præfati Comites Carolum (*Regem Galliæ*) adeunt, & eum cum exercitu in Regnum (*Lotharingiæ*) introducunt. Zventibolch, quamvis sero, intelligens se circumventum, cum paucis fuga dilabitur. Carolus recto itinere Aquis venit, deinde Niumagam perrexit. Interea Zventibolch ad Franconem Episcopum venit, & eum cum omnibus suis secum adsumens, Mosam transiit, & ad Flottingas venit: ubi omnes Proceres Regni, qui in illis partibus erant, ad eum confluxerunt. Ex desperatis itaque rebus vires se recepisse congaudens; resumpta fiducia contra æmulum ad pugnam proficiscitur. Carolus a Niumaga revertens, Prumiam venit, & inde adversus Zventibolch copias transfert. Sed appropinquantibus ex utraque parte exercitibus, nequaquam pugna committitur. Sed intercurrentibus Legatis, pax firmatur, sacramenta jurantur; Carolus transvadata Mosa in suum Regnum regreditur.

Regino. Anno 899. „ Dum hæc in Francia (a Zventi-„ bolcho & Carolo ut supra) geruntur, inter Ludovicum „ (Provinciæ Regem, Bosonis filium) & Berengarium in Ita-„ lia plurimæ congressiones fiunt, multa certaminum discri-„ mina vicissim sibi succedunt, novissime Ludovicus Beren-„ garium fugat, Romam ingreditur, ubi a Summo Pontifice „ (*Benedicto IV. non quidem anno 899. sed 900. post Kalendas* „ *Junii*) coronatus, Imperator appellatur „. Vide Pagium ad ann. 900. num. XIII. & seq.

Anno 899. Metensis. Zventibolch colloquium habuit cum optimatibus Arnulfi, & Caroli (*Simplicis Galliæ Regis*) & suis, apud Sanctum Goarem. Ex Regno Arnulphi interfuerunt Hatto Archiepiscopus (*Moguntiæ*) Chuonradus, & Gebehardus Comites. Ex parte Caroli, Aschiricus Episcopus, & Odacar Comes. Quid vero in eodem Conventu seorsum sine præsentia Regis pertractatum sit, postea eventus rei luce clarius manifestavit. Zventibolch denuo cum exercitu ad Durfos venit, munitionem totis viribus expugnare molitur. Sed quum minime conatus ejus proficeret, Episcopis jubet, ut Reginarium, & Odacrum, & socios eorum anathematizarent. Sed quum illi anathematis sententiam proferre recusarent, mi-

nis,

nis, exprobrationibus, & contumeliis utitur. Et sic soluta obsidione unusquisque ad propria rediit. Circa confinia memorati anni Arnulfus Imperator migravit a seculo 3. Kal. Decembris, sepultusque est honorifice in Odingas, ubi & pater ejus tumulatus jacet. Marianus Scotus, pro Odingas, perperam habet *Modingas*. Est autem *Odinga*, seu *Otinga*, Basilica a Carolomanno Rege constructa. Vide Aventinum in historia Cœnobii Otingensis.

Lambertus Schafnaburgensis. *Anno 899. Arnoldus* (idest Arnolfus) *Imperator obiit: cui Ludovicus filius ejus successit*. Arnulfi mortem Sigebertus perperam ad annum 902. differt. Otto Frisingensis lib.6. cap.13. „ Arnolfus XII. Regni sui an„ no, Imperii vero, juxta quod dictum est, quinto, diem „ obiit: & in loco Odingas, ut Regino refert, juxta patrem „ sepelitur. Monstratur tamen sepulcrum ejus in Monasterio „ S. Emmerammi Ratisponæ: poterat enim esse, ut ibi huma„ tus, huc postmodum transferretur „. Freherianus mortem Arnulfi ad annum 900. refert inquiens: „ Imperator urbe Ra„ daspona diem ultimum clausit, & honorifice in domo Em„ merammi martyris Christi a suis sepelitur. Ludovicus filius „ ejus, qui unicus tunc parvulus de legali uxore natus illi erat, „ in Regnum successit. Cujus frater de Concubina Zventibol„ dus nomine, Gallicanum Regnum (*nempe Lotharingiæ*) se„ cum retinens, res Ecclesiarum crudelitate sua immode„ rate affectans, maximum crimen, eo quod Rotpodo Trevi„ rensi Archiepiscopo contra Sacerdotalem honorem baculo „ suo in capite percutiens intulit, a suis tam Episcopis, quam „ Comitibus omnibus desertus est. Ipse vero recuperare ni„ tens, cum paucis contra eos dimicans, vitam cum Regno „ finivit „. An. nempe 900. uti Metensis narrat in hæc verba. „ Proceres & Optimates, qui sub ditione Arnulfi fuerant, ad „ Foracheim in unum congregati, Ludovicum filium præfati „ Principis, quem ex legitimo matrimonio susceperat, Re„ gem super se creant, & coronatum, regiisque ornamentis „ indutum, in fastigio Regni sublimant. Dum hæc in Germa„ nia aguntur, inter Zventibolch & Priores Regni inexpiabi„ lis oritur dissensio, propter assiduas deprædationes & rapi„ nas, quæ in Regno fiebant: & quia cum mulieribus & igno„ bilio-

„ bilioribus Regni negotia disponens, honestiores & nobiliores quosque dejiciebat, & honoribus & dignitatibus exspoliabat. Pro hujuscemodi itaque causa, omnibus odiosus efficitur. Certatim igitur ad Ludovicum (*a*) transeunt, eumque in Regnum introducunt, & in Theodonis villa, manibus datis, ejus dominationi se subjiciunt. Ludovico trans Rhenum eunte, Zventibolch coadunatis quoscumque potuit, civitates Regni circuit, incendiis & rapinis cuncta devastat, arbitratus, defectores, qui propter ejus insolentiam & immanem malitiam ab eo defecerant, immaniora, & pejora faciens, a se revocari posse. Ludovicus in Regnum rursus accersitur, & a Comitibus Stephano, Gerardo, & Matfrido circa Mosam idem Zventibolch in prælio interficitur Idus Augusti. Eodem anno Gerardus Comes Odam uxorem ejusdem Zventibolch Regis sibi in matrimonium copulat „. Marianus Scotus Ludovici inaugurationem anno 900. die 4. Febr. peractam scribit: *Ludovicum* (inquit) *filium Arnoldi*, *2. Non. Febr. anno ætatis suæ 7.*, *quem ex legitimo matrimonio Arnoldus genuit*, *proceres & optimates Regem super se constituunt*: *& coronatum & regiis ornamentis indutum*, *ad Forcahaim congregati in unum*, *in fastigio Regni elevant*.

CAPUT V.

Moravi pacem cum Ludovico Rege Arnulfi filio firmant. Antistitum Noricorum querelæ de Archiepiscopo & Episcopis a Jo: IX. Papa in Pataviensi diœcesi institutis. Quid Pontifices Benedictus VII. Leo VII. & Agapitus II. de diœcesibus Pannoniæ Orientalis & Occidentalis constituerint. Archiepiscopatus & Episcopatus Moravorum a Jo: VIII. instituti. Hungarica irruptio in Italiam, Bajoariam, Pannoniam, Moraviam, & Carinthiam.

I. Bajoarii & Bohemi in Moraviam invadunt. Moravi pacem cum Ludovico Rege firmant. Hungarica clades post obitum Arnulfi Imperatoris.

AUDITA Arnulphi morte, Hungari in Pannoniam, Moraviam, & Carintiam invadunt; Bajoarii & Bohemi Moraviam vastant: mox victoriam insignem de Hungaris referunt. Freherianus Fuldensium Annalium continuator. „ Anno 900. „ Ba-

a Sermo est de Ludovico Simplice, Galliæ Rege, post Odonem.

„ Bajowarii per Boëmanniam, ipsis secum assumptis, Regnum „ Marahavorum cuncti per tres hebdomadas devastantes inruperunt. Tandem cum omni prosperitate domum reversi sunt „. Moymirus, ut supra dictum est, Isengrino Arbonis Comitis filio adjutore, quum, oppresso Zventibaldo Fratre, Moraviæ Regnum solus occupasset, Boji & Bohemi, ad quos Zventibaldus confugerat, occasionem veterum injuriarum vindicandarum nacti, eam in Moravos inruptionem fecerunt quidem; non tamen potuerunt aut Zventibaldum in Regnum restituere, aut Moymirum & Isengrinum de Moravia ejicere. Hinc Moymirus, quo jus Bojorum excuteret, ad vetus consilium, quod Zventibaldus Pater informaverat, de Ecclesia Metropolitana (post Sancti Methodii, primi Moravorum Archiepiscopi, obitum) in suis terris habenda se retulit, tantumque ad Joannem IX. Papam ineunte anno 900. profecit, ut is in Moraviam *Joannem* Archiepiscopum cum duobus Episcopis Benedicto & Daniele ablegaverit: uti mox dicam. Pergit Freherianus. „ Interim vero Avari, qui dicuntur Ungari, „ tota devastata Italia, ita ut occisis Episcopis quamplurimis, „ Italici contra eos depellere molientes, in uno prælio una die „ ceciderint xx. millia. Ipsi namque eadem via, qua intra- „ verunt, Pannoniam, & maxima parte devastantes, regressi „ sunt. Missos illorum sub dolo ad Bajoarios pacem optando, „ regionem videlicet ad explorandum, transmiserunt. Quod, „ proh dolor! primum malum, & cunctis retro transactis die- „ bus invisum damnum Bajowarici Regni contulit. Igitur ex „ improviso cum manu valida, maximo exercitu, ultra Anseum „ (*a*) fluvium, Regnum Bajowaricum hostiliter invaserunt, „ ita ut per quinquaginta milliaria in longum & in transversum „ igne & gladio cuncta cædendo & devastando jam una die „ prostraverint. Quod comperientes ulteriores Bajowarii do- „ lore compulsi, e contra festinare disponunt. Sed hoc Unga- „ ri præcognoscentes, cum his quæ deprædaverunt, redie- „ runt, unde venerunt, ad sua in Pannoniam. Interim vero „ quædam pars de exercitu illorum de aquilonari parte Danu- „ bii

a *Anisus*, seu *Anasus*, fluvius, tam ortus, quam conditus intra fines Norici: quippe in Danubium intra limitem exit: nunc *Ens* appellatus. Cellar. Geogr. antiq. lib. 2. cap. 7. pag. 538.

„ bii fluminis partem illam devaſtando prorupere. Quod ut „ Luitpoldo Comiti compertum foret, moleſte hoc patiendum „ ferens, contra exiſſe cum quibuſdam primoribus Bajowa- „ riorum, uno tantum Euchario (*a*) Pataviensis Sedis Epi- „ ſcopo comitante, ultra Danubium eos inſequendum ſe tranſ- „ poſuit. Conſertoque illico cum illis prælio, nobiliter dimi- „ catum eſt, ſed nobilius triumphatum. Nam in prima con- „ greſſione belli tanta Dei gratia Chriſtianis occurrit, ut MCC. „ gentilium inter occiſos, & qui ſe in Danubio merſerunt, „ perempti inveniantur. Vix tantum unum de Chriſtianis oc- „ ciſum in apparatu belli invenerunt. In (*b*) eodem poſt vi- „ ctoriam illis cælitus datam congreſſi, clamore magno in cæ- „ lum inde Deo gratias clamantes ferebant, qui non in multi- „ tudine hominum, ſed miſericordiarum ſuarum pietate li- „ berat ſperantes in ſe. Tandem læti poſt tantam victoriam, „ ad ſocios unde venerant, regreſſi ſunt, & citiſſime in idipſum „ tempus pro tuitione illorum Regni validiſsimam Urbem in „ litore Aneſi fluminis muro oppoſuerunt: quo peracto, unuſ- „ quiſque redierunt in ſua. Anno 901. generale Placitum Ra- „ tisbona civitate habitum eſt. Ibi inter alia miſſi Maravorum „ pacem optantes pervenerunt; quod mox ut petierunt, com- „ placuit, & juramento firmatum eſt. Inde ob hoc ipſum Ri- „ charius Epiſcopus, & Udalricus Comes Marahaha (*in Mo-* „ *raviam*) miſſi ſunt, qui eodem tenore, ut in Bajoaria, firma- „ tum fuit, ipſum Ducem (*Moymirum*) & omnes Primates „ ejus eandem pacem ſe ſervaturos juramento conſtrinxerunt. „ Interdum vero Ungari auſtralem plagam Regni illorum, Ca- „ rantanum devaſtando, invaſerunt; Rex vero (*Ludovicus*) „ per Alemanniam, cauſas ibi diſponendo, Paſcha celebran- „ dum Franciam petiit „. Hermannus quoque Contractus tra- dit, pacem anno 901. Moravos inter & Bajoarios factam fuiſſe. *Anno* (inquit) 901. *Eodem anno Moimarius, & Iſauricus cum Rege pacificantur*.

II. Hungaricæ cladis epocha, juxta diverſos Scriptores.

Hungaricam cladem quod ſpectat, non una eſt Scripto-

Tom. III. Oo rum

a Leg. *Richario*.

b Manca eſt hoc loco Freheriani editio. Supplementum ejus, paulo diverſum ab eo, quod Leibnizius & Struvius ediderunt, inſeruit Hanſizius Tom. 2. Germ. ſacr. pag. 180. circa finem.

rum ſententia, quonam illa anno contigerit. Conradus Abbas Urſpergenſis. „ Anno Domini 899. Arnolfus Imper. obiit: „ moxque eo anno, Ungari morte illius audita, collecto per- „ magno exercitu, Maravianorum gentem, quam illorum au- „ xilio Arnolfus Imper. ſibi ſubdiderat, invadunt, ſibique „ vendicant „. Hoc falſum: nam anno 901. (uti modo dicebam) Moymirus pace cum Bojis facta, Regnum Moraviæ tenebat, quamquam Ungari eodem anno auſtralem ejus Regni partem, Carantaniam devaſtando, invaſiſſent. Videtur Conradus invaſionem Bojorum in Moraviam anno 900. factam, cum Ungarorum incurſione confundere. Pergit idem Conradus. „ Bajoariorum quoque fines occupant, caſtella diruunt, Ec- „ cleſias igni conſumunt, populos jugulant; & ut magis magiſ- „ que timeantur, interfectorum ſeſe ſanguine potant „. Et ad annum 901. „ Cujus (Ludovici ſcilicet) anno primo, Un- „ gari Bajoariam vaſtaverunt. Sed Ludovicus (*a*) gentis ſuæ „ depopulationem non ferens, magno exercitu coacto, juxta „ Lichum (*b*) fluvium cum eis pugnavit, & plus quam mil- „ le ex eis interfecit: quumque pugna uſque ad horam ſepti- „ mam jam protraheretur, & Regis victoria æſtimaretur, Un- „ gari callidi poſitis ex adverſo inſidiis, fugam ſimulant. „ Quos dum Regis milites, doli ignari, impetu validiſſimo „ inſequerentur, omni ex parte prodeunt inſidiæ, & quaſi vi- „ cti ipſi, victores interimunt. Rex ipſe e victore ſe victum „ eſſe miratur, fitque illi non opinatus gravior caſus. Un- „ gari vero ut rabiem perfidiæ ſuæ ſatiarent, Bajoariorum, „ Suevorum, Francorum Regna percurrunt, cunctaque va- „ ſtando incendunt.

Liutprandus lib. 2. cap. 2. narrat Hungarorum de Ludovico Germaniæ Rege, Arnulfi filio, victoriam: & cap. 4. & duobus ſequentibus, quæ geſta fuerint in Italia, quando eam Hungari invaſere. Emus Baronius hoc bellum Italicum in annum 902. differt, ut ibidem num. XVI. videre eſt. Regino vero illud in annum 901. rejicit. Verum Hermannus Contractus juxta editionem Piſtorianam, cladem Hungaricam anno

a Liutpoldi Comitis, & Richarii Epiſcopi nomina ſilentio premit Conradus.

b *Lichus*, al. *Lech*, fl. Vindeliciæ, Auguſtam pertranſiens, & in Danubium influens. Cellar. Geogr. ant. lib. 2. cap. 7. pag. 517.

no 900. recte affigit; & in editione Canisiana tam bellum Italicum, quam Bajoaricum eodem anno accurate copulat.

III. Antistitum Noricorum querelæ, quod Jo: IX. Papa unum Archiepiscopum, & duos Episcopos in diœcesi Pataviensi ordinasset, & quod Wichingus Nitriensis Episcopus ad Pataviensem Ecclesiam esset evectus.

Sed utramque cladem hoc anno (900.) Christianis illatam (verba hæc sunt Pagii ad eund. ann. num. 19.) extra omne dubium ponit Epistola Theotmari Salisburgensis Archiepiscopi & aliorum Episcoporum Bajoariæ ad Joannem IX. Papam data, quæ a quibusdam Joanni VIII. perperam inscribitur. Legitur Tomo IX. Concil. Labb pag. 498. ex eaque, quo in statu res hoc anno (900.) in Italia & Bajoaria fuerint, clare perspicitur. Continuator (*a*) Freherianus laudatus ad annum 898. ait: „ Engilmarus Pataviensis Episcopus obiit, in cujus locum Wi„ hingus quidam Alamannus contra instituta Patrum, prius „ Marahunensis ab Apostolico (*idest Joanne VIII. anno* 880. „ *Nitrensis Episcopus creatus, ut eo anno diximus*) destinatus „ Episcopus, Rege concedente (*idest, Arnulpho Imperatore* „ *ac Rege Germaniæ*) successit. Sed non multo post a Deotma„ ro Archiepiscopo (*nempe Salisburgensi*) cæterisque Suffra„ ganeis suis, contra voluntatem Regis, Canonicali judicio „ abjectus, ac Richardus ad eandem Sedem Episcopus in „ idipsum tempus ordinatus est „. Verum loco *Richardi*, & numero præcedenti, loco *Eucherii*, substituendus *Richarius*, ut appellatur in literis Theotmari, de quibus agimus, & in aliis, quarum mentionem facit Aventinus in Annal. Bojorum libr. 4.

„ Conquerebantur itaque Bajoarii, quod Joannes IX. „ *Wihingum*, seu *Wichinum* Episcopum Moravorum Nitriæ „ residentem, in Episcopatum Pataviensem transtulisset, & „ ex uno Episcopatu Pataviensi quinque fecisset, & hac occa„ sione de statu Bajoariæ & Italiæ verba faciunt. *Venerunt* „ (inquiunt) *ut ipsi promulgaverunt, de latere vestro tres* „ *Episcopi, videlicet Joannes Archiepiscopus, Benedictus &* „ *Daniel Episcopi, in terram Sclavorum, qui Maraci* (*idest*, „ *Moravi*) *dicuntur, quæ Regibus nostris & populo nostro*, „ *nobis quoque cum habitatoribus suis subacta fuerat, tam in* „ *cultu Christianæ religionis, quam in tributo substantiæ sæ*„ *cularis, quia exinde primum imbuti*. Paulo post. *Intrantes* „ *præ-*

a Ex contextu colligitur, ad annum potius 899. referenda esse, quæ a Freheriano ibi narrantur.

„ *prædicti Episcopi in nomine vestro, ut ipsi dixerunt, ordinaverunt in uno eodemque Episcopatu, unum Archiepiscopum (si tamen in alterius Episcopatu Archiepiscopus esse potest) & tres Suffraganeos ejus Episcopos, absque scientia Archiepiscopi, & consensu Episcopi, in cujus fuerunt diœcesi.* Porro hanc irruptionem hoc anno contigisse accurate notavit Hermannus Contractus in fusiori Chronico. Paucis interpositis. *Antecessor vester* (nempe Joannes VIII.) *Zventibaldo Duce impetrante* (qui in literis ejusdem Joannis VIII. a nobis suo loco memoratis *Sfentopulcrus* dicitur, quod invicte confirmat, Zventibaldum & Sfentopulcrum unius ejusdemque Principis nomen fuisse) *Wiebingum consecravit Episcopum, & nequaquam in illum Pataviensem Episcopatum eum transmisit, sed in quandam neophytam gentem, quam ipse Dux domuit bello, & ex Paganis Christianos esse patravit.* Post aliqua alia subjungunt. *Quod nos, præfati Sclavi* (nempe Moravi) *criminabantur, cum Ungaris fidem Catholicam violasse, & per canem seu lupum, aliasque nefandissimas & ethnicas res, sacramenta & pacem egisse, atque ut in Italiam transirent, pecuniam dedisse: si vobis coram posito, ratio inter nos agitaretur ante Deum, qui cuncta novit antequam fiant, & coram vobis, qui vicem ejus Apostolicam tenetis; eorum falsitas manifestaretur, & innocentia nostra probaretur. Quia enim Christianis nostris longe a nobis positis semper imminebant, & persecutione nimia affligebant, donavimus illis nullius pretiosæ pecuniam substantiæ, sed tantum nostra linea vestimenta, quatenus aliquatenus eorum feritatem molliremus, & ab eorum persecutione quiesceremus.* Denique post aliqua alia adversus Moravos dicta, scribunt. *Quando vero Ungaros Italiam intrasse comperimus, pacificare cum eisdem Sclavis, teste Deo, multum desideravimus, promittentes eis propter Deum omnipotentem, ad perfectum indulgere omnia mala contra nos nostrosque acta, & omnia reddere, quæ de suis nostros constaret habere, quatenus ex illis securos nos redderent, quandiu Longobardiam nobis intrare, & res S. Petri defendere, populumque Christianum divino adjutorio redimere liceret.* Dein concludunt, rogantque Pontificem, ut ex uno Episcopatu quinque non

„ fiant

„ fiant, neve Moravis fidem aliquam adhibeat. Ex quibus li-
„ quet, Hungarorum in Italiam & Bajoariam irruptionem hu-
„ jus anni (900.) initio factam, & Joannem IX. Papam men-
„ sibus saltem Maji & Junii adhuc in vivis fuisse. Hæc Pagius „.
Moravi accusabant Germanos, primo, quod Arnulphus contra ipsos anno 892. & 893. opera Hungarorum usus fuisset: Secundo, quod Ludovicus Arnulphi filius, primo Regni sui anno, ideſt 900., ab Hungaris victus, annuum illis tributum promisisset, uti mox ex H. Mutio patebit. Hatto Moguntinus Archiepiscopus in epist. ad Jo: IX. PP. data anno 900. de Moravis e contrario conqueritur, primo quod Francorum potestati rebelles, jactarent se Metropolitanum habere, adeoque Bavaris Episcopis seu Salisburgensi Archiepiscopo, non esse subjectos. Secundo dicebant de Bavaris, quod cum paganis, ideſt Hungaris, fœdus & pacem iniissent, & quod ipsi Pagani, consilio eorum, agerent tam multa nefaria & illicita.

Pergit Pagius ad ann. 900. num. xx. „ In eodem To. IX.
„ Concil. pag. 496. refertur epistola *Hattonis* Moguntini Ar-
„ chiepiscopi, ejusque Suffraganeorum ad Joannem IX. Pa-
„ pam, qua ei mortem Arnulphi, quæ exeunte anno superiori
„ (899.) contigit, & elevationem in Regium solium *Ludovici*
„ ejus filii communi omnium consensu in Comitiis Regni, quæ
„ initio hujus anni (900.) habita sunt, peractam significant;
„ dolentque, Maravenses sese jactare seorsum Metropolitanum
„ ab illo obtinuisse. Sed in illa epistola de invasione Hungaro-
„ rum mentionem non facit *Hatto*, ideoque ex ea tantum pro-
„ bari potest, Joannem IX. prioribus hujus anni mensibus ad-
„ huc superstitem fuisse. Verum eum saltem ad initium men-
„ sis Augusti vitam prorogasse, certo ostendit ejus ad Heri-
„ veum Remorum Archiepiscopum epistola ibid. pag. 483. re-
„ citata, in qua Joannes IX. respondet ad ejus consulta de
„ Northmannis nuper ad Fidem conversis, quorum alii bapti-
„ zati fuerant & rebaptizati, & post baptismum gentiliter vi-
„ xerant, qualiter illis consulendum sit .... Quare quum He-
„ riveus die sexta Mensis Julii præsentis anni (900.) Re-
„ mensis Archipræsul consecratus fuerit, Joannes IX. ante
„ initium Mensis Augusti ad ejus epistolam respondere vix
„ potuit.

Idem

IV. Post Hungaricam incursionem, Archiepiscopus & Episcopi a Jo: IX. in Moravia instituti; superstites fuere.

Idem Pagius de Bajoaria anno 900. ab Hungaris penitus devastata, sic scribit num. 25. „ Quoad Archiepiscopatum & „ tres Episcopatus in Parochia, seu ut nunc loquimur, dioecesi „ Pataviensi a Joanne IX. institutos, ii neque ab eodem „ Joanne, neque a Benedicto IV. (*ejus successore*) suppressi „ fuere, sed invasione Hungarorum hoc anno (900.) facta, „ non solum (*a*) Episcopatus illi, sed fere in partibus Bajoa- „ riæ remotioribus omnes Ecclesiæ extinctæ, ut testatur Aven- „ tinus lib. 4. pag. 286. qui legerat literas Benedicti VII. Papæ, „ quæ ad nos non pervenere. De Hungarorum enim Rege lo- „ quens, ait..... Superato Istro de improviso superfudit, „ Bojosque ulteriores ob fœdus factum, nihil mali suspicantes, „ proinde imparatos, aggreditur, fundit, trucidat, ducen- „ ta (*b*) quinquaginta amplius millia passuum longe lateque „ uno die Bajoariam infra (*c*) Anassum depopulatur: omnia „ ædificia incendit, vulgus inermeque cædit, nobilitatem vi- „ ros ac feminas in servitutem redigit, captivos abducit, Mo- „ nachos, Sacerdotes cum Templis comburit: adeo ut in Bo- „ joaria Orientali & Pannonia, maxima Bojorum provincia „ (ubi hactenus (*d*) quatuor fuerant Pontifices, quatuorque „ Ecclesiasticæ jurisdictiones, quas tunc Parochias, nunc dioe- „ ceses vocant, quæ Archimystæ Bojorum Laureacensi, Epi- „ scopo Bathavensi paruerant) ne una quidem ædes sacrata „ relicta fuerit, eaque Regni Bojoariæ pars, quæ ad eurum „ vergens, inde Austria dicta, ita deserta, ac in solitudinem „ redacta sit, ut nullum usque ad Ottonem Magnum, culto- „ rem Christianum habuerit. Verbis utor Benedicti VII. Pont. „ Max. quæ ad Henricum secundum Regulum Bojorum scri- „ psit... Paulo post subdit Aventinus „. Servantur in Biblio- „ thecis Bojorum publicis, Hattonis Archiepiscopi Moguntini, „ Theodomari Archimystæ Salisburgensis, Richarii Bathaven- „ sis,

a Hoc falsum: nam Episcopatus Moraviæ longo tempore post ann. 900. durarunt: uti mox patebit. Itaque de solis Bajoariæ remotioribus locis verba Bened. VII. unt intelligenda.

b Continuator Freherianus supra ad ann. 900. *Per 50. milliaria.*

c Freherian. *Anseum.*

d In epist. Antistitum Norici seu Bavariæ ad Jo: IX. Papam data anno 900. enumeratur *unus Archiepiscopatus Juvavensis*, & Episcopi V. videlicet *Frisingen. Eystaten. Sebonen. Ratisbonen.* & *Patavien.* adeoque pro IV. legendum VI. *Pontifices.*

„ ſis, Vandonis (*a*) Fruxinenſis, Erekenualdi Aichſtatenſis, „ Zachariæ Sabonenſis (quæ jam eſt Brixinenſis) Epiſcopi, „ epiſtolæ datæ ad Joannem IX. Pont. Max. in quibus,quæ ſcri- „ pſi, quæ ipſi præſentes ſenſerunt, quorum maxima pars fue- „ runt, pluſquam tragico more complorant „. Ita Aventinus. „ Epiſtola illa ab Hattone ad Jo: IX. ſcripta numquam lucem „ vidit: ea enim, de qua ſupra, data ab eo prioribus hujus an- „ ni menſibus, nullaque in ea de Hungarorum invaſione men- „ tio. Epiſtola vero Theotmari & Suffraganeorum extat To.IX. „ Concil. & de ea modo egimus.

V.
Hungaricæ cladis epocha diverſimnode a diverſis tradi- tur.

Hactenus Pagius, in unum eumdemque annum 900. cladem Italicam & Bajoaricam conferens. Verum diſtinguendæ (*b*) ſunt multiplices Hungarorum irruptiones. Quarum *prima* eſt in loca Pannoniæ vicina, quando ſcilicet anno 889. a finitimis ſibi populis qui Pecinaci vocantur, a propriis ſedibus expulſi, primo quidem Pannoniorum & Avarum ſolitudines pererrantes (ut ſcribit Annaliſta Metenſis) venatu ac piſcatione victum quotidianum quæritabant: Deinde Carantanorum, Marahenſium ac Bulgarum fines, crebris impulſionum infeſtationibus irrupere. *Secunda* Hungarorum irruptio, quando Arnulphus Germaniæ Rex, ut Zventibaldum Moraviæ Ducem ſubjugaret, anno 892. aſſumptis ſecum Francis, Bajoariis, Alamannis menſe Julio Moraviam veniens, ibi per quatuor hebdomadas (teſte Freheriano Continuatore) cum tanta multitudine, Ungaris (*c*) etiam ibidem ad ſe cum expeditione venientibus (miſſis etiam ad renovandam priſtinam cum Simeone Uladimiri filio Bulgarorum Rege pacem legatis) omnem illam regionem incendio devaſtavit. *Tertia* Hungarorum irruptio in Italiam, & Bajoariam anno 900. paulo poſt obitum Arnulphi Imperatoris: quæ tamen irruptio a nonnullis partim ad

a Leg. *Friſingenſis*. *Erchenpaldi Eyſtaten.* & adde: *Tuttonis Ratiſbonen.* Mihi certum eſt, Aventinum, ob oculos habuiſſe binas literas, unam ſcil. *Hattonis Moguntini* ad Jo:IX. & alteram Theotmari Salisburgenſis ac Suffraganeorum ad eund. Jo:IX. quæ exſtant Tom.IX. Concil. quidquid opinetur Pagius de inedita Hattonis epiſtola.

b Ab Andrea Dandulo ad an. 886. perperam confertur his verbis: „ Eodem tem- „ pore gens Ungarorum a Scythia egreſſa in Pannoniam primitus venit, & ejectis inde „ Avaribus, uſque hodie ibi manent „. Quum Pannoniam Hungari occuparunt, non Avares aut Hunnos ejecerunt, ſed illos ditioni ſuæ ſubmiſere.

c Hæc etiam irruptio a Pagio ex aliis Auctoribus ad ann. 893. narratur, nimirum non ad primum, ſed ad ſecundum annum initi ab Arnulpho adverſus Zventibaldum belli.

ad ann. 899., partim ad ann. 900. confertur. Ab aliis etiam anno 901. aut 902. aut 903. collocatur. Nam Epidannus Monachus S. Galli: „ Anno 899. Agareni (a) Italiam intra- „ verunt, & Langobardos bello vicerunt. Anno 900. Norici „ cum Agarenis pugnaverunt, & partem ex eis occiderunt „. Chronicon breve Monasterii S. Galli apud Duchesn. Tom. 3. pag. 470. „ Anno 899. Ungri Italiam invaserunt. Anno 900. „ Norici cum Hungris pugnaverunt, & partem ex eis occide- „ runt „. Hermannus Contractus ex edit. Christiani Urstisii, Francofurti 1585. „ Anno 899. Arnolphus Imper. moritur. „ Gentes Pannoniæ, quas Hungaros dicimus, Italiam depopu- „ lantur. Anno 900. Hungari Bajoariam ingrediuntur, & plus „ mille ex eis occiduntur. Anno 901. Hungari Carantaniam „ invadunt, & in sabbato commissa pugna occiduntur „. Marianus Scotus. „ An. 899. Hungari Italiam multum vastant. „ Hoc etiam anno Arnoldus (*Arnolfus scil.*) Imp. obiit tertio „ Kal. Decembris „. Chronicum Nonantulanum apud Ughell. Ital. Sacr. Tom. 2. de Episc. Mutin. „ Anno 899. venere Un- „ gari in Italiam de mense Augusti Ind. III. octavo Kal. Octo- „ bris: junxerunt se Christianis cum eis in bello ad fluvium „ Brentam, ubi multa millia Christianorum interfecta sunt ab „ eis, & alios focavere, & venerunt usque ad Nonantulam, „ & occidere Monachos, & incenderunt Monasterium, & Co- „ dices multos concremavere, atque omnem depopulati sunt „ locum. Prædictus Ven. Leopardus Abbas cum cunctis aliis „ Monachis fugere, & aliquandiu latuere „. Sigebertus, qui Arnulphi obitum ad ann. 902. perperam collocat, de Hungaris ad ann. 903. sic scribit: „ Hungarorum gens barbara, quæ „ quibusdam clusis remota, nec ad meridianam plagam, nec „ ad Occidentalem exeundi antea habuerat facultatem, per „ Arnulphum ruptis clusis emissa, quæ Arnulpho veniente „ (*lege vivente*) aliquantulum temperaverat rabiei suæ, mo- „ do eo mortuo per totam Galliam, Germaniam, Italiamque, „ ut fera tempestas, diffunditur. An. 904. Ludovicus Rex con- „ ferto cum Hungaris prelio miserabiliter vincitur. Anno 905. „ Hungari superioris Chr. anni victoria elati, Regnum Ludovici „ sub tributo redigunt „: Quæ tamen omnia ad an. 900. & 902. per-

a Sic *Vnnos Igros* hoc est *Vngaros*, vocat Epidannus. Ab aliis dicuntur *Turci*.

pertinent. Otto Frisingensis: „ Anno ab Incarn. Domini 901. „ Ludovicus Arnolfi filius in loco qui Forchaim dicitur, Rex „ creatur. *Et mox*. His diebus Ungari Longobardiam pervagantes, incolas terræ occurrentes sibi, sagittis perimunt, „ crudeliterque depopulata Provincia, ad propria revertuntur.

Annalista Metensis. „ Anno Dom. Incarn. 901. Gens „ Hungariorum, Langobardorum fines ingressa, cædibus, „ incendiis, ac rapinis crudeliter cuncta devastat, cujus violentiæ ac belluino furori quum terræ incolæ in unum agmen „ conglobati resistere conarentur, innumerabilis multitudo „ ictibus sagittarum periit. Quamplurimi Episcopi, & Comites trucidantur. Liutvvardus Episcopus Vercellensis Ecclesiæ, Caroli quondam Imperatoris familiarissimus, & Consiliarius a secreto, assumptis secum opibus atque incomparabilibus thesauris, quibus ultra quam æstimari potest abundabat, quum effugere eorum cruentam crudelitatem omnibus votis elaboraret, super eos inscius incidit, ac mox interficitur: opes quæ secum ferebantur, diripiuntur.

VI. Pagii, & Mutii verba de clade Hungarica.

Pagius ad ann. 902. num. 12. duplicem distinguit Hungarorum in Italiam excursionem: Prima, inquit, anno 900. contigit, uti supra descripta est. Altera anno 902. de qua sic scribit. „ Regino quidem ad annum 901. Hungarorum in Longobardiam ingressum, & Italiæ devastationem narrat. Sed „ licet ipse hoc tempore vixerit, eum tamen hac in re & in non „ paucis aliis errasse, certum esse debet; indeque, quod non „ semel alibi insinuavimus, intelligimus, Scriptoribus Synchronis in omnibus fidem adhibendam non esse. Baronius „ Hungaros hoc anno (902.) tam Bajoariam, quam Italiam „ depopulatos esse affirmat. Verum utramque cladem pertinere ad priores menses anni nongentesimi, rationibus ita „ evidentibus eo anno demonstravi, ut huic controversiæ finem me imposuisse existimem. Luitprandus lib. 2. cap. XI. „ narrat aliam Hungarorum in Italiam irruptionem, quæ eo „ anno, quo Ludovicus Imp. lumine privatus fuit, contigerit; „ ideoque hoc Christi anno (nempe 902.) Sigonius vero „ lib. 6. de Reg. Ital. qui priorem cladem Italicam in annum „ 901. confert, posteriorem hoc anno (902.) recitat: quod „ in

„ in causa fuit, cur Baronius utramque in hunc annum distu-
„ lerit „. Andreas Dandulus quemadmodum primum Hungarorum in Pannoniam adventum ex anno 889. ad annum 886. retrahit; ita eorumdem in Italiam irruptionem ad annum 906. differt. „ Hoc tempore (inquit) videlicet anno 906. Hunga-
„ rorum pagana & crudelissima gens in Italiam veniens, incen-
„ diis & rapinis cuncta devastans, maximam multitudinem
„ hominum interficiens, nonnullos etiam captivos reservavit.
„ Contra quos Berengarius Rex direxit exercitum xv. millium
„ hominum, & pauci ex eis reversi sunt. Hungari vero per-
„ transeuntes Tarvisium, Patavium, Brixiam, ceterosque fi-
„ nes, Papiam, & Mediolanum venerunt, & usque ad Mon-
„ tem Jovis, depopulantes cuncta. Hungari interea Venetias
„ introgressi cum equis atque pelliceis navibus, primam Civi-
„ tatem novam, fugiente populo, igne concremaverunt;
„ deinde Equilium, Finem, Clugiam, Caput Aggeris incen-
„ derunt, litoraque maris depopulaverunt; verum etiam
„ tentantes Rivoaltum, & Methamaucum ingredi per loca,
„ quæ Albiola vocantur, in die Passionis SS. Apostolorum Pe-
„ tri, & Pauli; Petrus Dux cum navali exercitu, Dei prote-
„ ctus auxilio, prædictos Hungaros in fugam vertit. Fuit
„ namque hæc persecutio in Italia uno anno continuo. Rex
„ igitur Berengarius datis obsidibus ac donis, prædictos Hun-
„ garos retrocedere fecit cum omni præda quam fecerant „.
Verum quum hæc a Dandulo narrentur, statim postquam Ludovicum Veronæ captum Berengarius excæcavit, videtur mendum cubare in anno 906. quo dicuntur Hungari *hoc tempore*, idest, quando ea excæcatio contigit, in Italiam excurrisse, & pro anno DCCCCVI. legendum DCCCCII. Id quod miror a Muratorio non fuisse observatum: nam is ad ann. quidem DCCCCII. narrat Ludovicum a Berengario oculis privatum: anno vero DCCCCVI. Dandulum sequutus, refert Hungarorum in Italiam & in Veneticam ditionem excursiones: mox statim addit:
„ *Solamente sappiamo per relazione di Liutprando lib. 2. cap. XI.*
„ *che dopo avere il Re Berengario riacquistato il Regno d'Italia*
„ *nell'anno precedente, e rimandato l'Imperador Lodovico in*
„ *Provenza con una tal memoria, che più non gli venne voglia*
„ *di ritornare in Italia*: Hungarorum interea rabies, quia
„ per

„ per Saxones, Francos, Svevos, Bajoarios nequibant, totam „ per Italiam nullis resistentibus dilatatur. Verum quia Be- „ rengarius firmiter suos milites habere fideles non poterat, „ amicos sibi Hungaros non mediocriter effecerat: datis vide- „ licet (ut Dandulus scribit) obsidibus ac donis „. Cur enim de Hungaris scribit Luitprandus, quia per Saxones, Francos, Svevos, Bojoarios nequibant, nisi quia a Ludovico Germaniæ Rege iidem Hungari donis datis amici facti fuerant? H. Mutius lib. 12. Germ. Chron. pag. 90. „ Primo ejus (Ludovici) Imperii „ anno Hungari Germaniam propter patrem mortuum: „ (nam vivente Arnulpho nihil aliquot annis tentarant con- „ tra Germanos) invadentes, vastantque usque in Bavariam. „ Quidam volunt, qnod ingentibus copiis totum Noricum „ agrum vastarint; & in Svevia aliquoties incolarum virtute „ præliis sanguinolentissimis victi & repulsi, tamen ad extre- „ mum superasse Svevos, eorumque regionem crudeliter in- „ cendio & ferro depopulatos usque ad ipsum Danubii fontem „ pervenisse, qui est caput Silvæ Hercyniæ. Quod tamen ve- „ rum non esse arbitror: neque enim in eo loco istis tempori- „ bus erant Germanorum res, & Ungarorum virtus tanta, „ ut eo usque credendum sit Ungaros pervenisse. Ludovicus „ Imperator (*a*) juvenis, magnis undique copiis coactis ob- „ viam properat; neque enim initio imperii sui voluit ferre „ suos & præter alias nationes sui imperii caros devastari. Ubi „ venit ad Lycum fluvium, cupidius, ut sunt juvenilis animi „ concitatiores, cum hoste dimicandum quamprimum quærit. „ Ungari sæpius acie instructa animum ejus ad pugnandum cu- „ pidum intelligentes, in quemdam depressiorem locum arbu- „ stisque sylvestrem insidias ponunt: cum reliqua exercitus „ parte expedita committunt prælium cum Imperatore: pu-

a Rex Germaniæ fuit, non Imperator: Coronam enim Imperialem a Rom. Pont. non accepit. Germanici Scriptores nomine Cæsaris ac Imperatoris donant quotquot Reges Germaniæ fuere a Ludovico Ludovici Pii Imperatoris filio, usque ad Ottonem I. qui ex Germaniæ Rege a Joanne XII. Papa anno 962. coronatus est Imperator. Verum jactanter hoc ab iis scriptum, quum alii interim Imperatores fuerint, præter duos, a Germaniæ Regibus diversi: Lotharii scil. Ludovicus II. Carolus Calvus, Carolus Crassius, Wido, Lambertus, Arnulphus, Ludovicus III. Berengarius: Post hujus mortem quæ anno 924. contigit (inquit Pagius) Imperium Occidentis vacavit usque ad ann. 962. quo Otto I. a Jo: XII. Papa coronatus est Imp. Augustus. Vide eund. Pagium ad ann. 912. num. 14. ubi Goldastum refellit qui Ludovicum hunc vocat *quartum hujus nominis Imperatorem*.

„ gnant fortiter Cæsariani: hostis paulatim cedit, se quantum „ potest fieri defendens recedendo: nostri nihil suspicantes „ periculi sequuntur cedentem, & in insidias ducentem ho- „ stem. Ubi ad locum insidiarum ventum est, prorumpunt „ ab omni parte insidiæ. Germani etsi non potuerunt non com- „ moveri re inopinata, tamen pugnarunt ita, ut diu anceps „ fuerit prælii eventus; sed qui in insidiis fuerunt, nimium suo „ impetu perruperant aciem Cæsaris; quare tandem fugere „ coacti sunt. Post hanc fugam, ita sunt hostium animi sublati „ ut totam Germaniam in sua manu esse putarint. Imperator „ ut pacem consequi posset, dedit privatim occulte hostium „ Ducibus magnam pecuniam, publice magnam etiam dedit, „ majorem se daturum promisit;annuum quoque tributum hosti- „ bus pollicitus est: ægreque inducti sunt, ut redierint domum. „ Ludovicus duxit uxorem (*a*) Lutgardam filiam Othonis Du- „ cis Saxonum. Dum regnavit hic Ludovicus, octo (*b*) Ponti- „ fices mortui sunt, regnavit vero solum 12. annos. Non multo „ post prælium jam dictum, Ungari contra pacta non contenti „ tributo annuo quod bona fide numerabatur quotannis a Lu- „ dovico, repetunt, majoribus viribus quam ante aggrediuntur „ Germaniam: cum quibus in Bavaria Germani bis congressi, bis „ superatos in Ungariam repulerunt. In postrema eorum fuga „ quidam volebant illos persequi usque in Ungariam,& illic cum „ illis ducere bellum;sed consilium non placuit omnibus: pleri- „ que enim maluerunt domi quiescere, quam hostem tam atro- „ cis animi sequi. Sed id evenit quod ii prædixerant qui eos per- „ sequendos censebant. Redibant enim tertio, & superatis „ mul-

---

a In Append. ad Annales Metenses ex lib. Annal. Witichindi Monachi. „ Ludo- „ vicus Rex filius Arnulphi Imperatoris, duxit uxorem nomine Liudgardam, soro- „ rem Brunonis ac magni Ducis Oddonis, quæ non multo post hæc vixit tempore. „ Quorum pater erat Liudolfus qui Romam profectus, transtulit in Saxoniam reli- „ quias B. Innocentii Papæ. Qui moriens reliquit filio suo Oddoni Ducatum totius „ Saxoniæ. Cetera „. Conradus tamen Urspergensis post ann. 912. *Ludovicus* (in- quit) quum *accepisset uxorem*, nomine Mathildam, sororem Brunonis ac Magni Ducis Ottonis, non multis post hæc vixerat annis.

b Ludovicus iste regnavit a die 2. Non Febr. an. 900. usque ad mensem circiter Jul. anni 911. quo decessit. Sed hoc temporis spatio, quod inter ann. 900. & 910. effluxit, sex tantum Pontifices fuere, nimirum, *Joannes IX.* ab anno 898. ad 900. *Benedictus IV.* a 900. ad 903. *Leo V.* anno 903. per duos menses. *Christophorus* a 903. ad 904. *Sergius III.* a 904. ad 911. extremo mense sextili. *Anastasius III.* ab anno 911. ad 913.

„ multis Germaniæ partibus, omnia impleverunt sanguine „ . Pergit Mutius enarrans, Ungarorum irruptionem in Thuringiam, Saxoniam, Sveviam, Bavariam, Lotharingiam, Gallias: deinde in Italiam, ubi commisso cum Berengario prælio, victoria potiti, Tarvisium diripuere, civitatem Venetorum novam incenderunt, Equilium Clodiamque diripuerunt: & sic furibundi pergentes ubique grassati sunt: tandem dato magno pondere auri & argenti a Berengario, Italia excedentes, reversi sunt unde venerant. Id quod a Mutio narratur factum, antequam Berengarius captum Veronæ Ludovicum III. excæcasset, hoc est, ante annum Chr. 902. quemadmodum Pagius & Muratorius ostendunt; etsi Regino, quem Baronius sequitur, Ludovici (*a*) expulsionem ex Italia ad ann. 904. refert, & Otto Frisingensis ad ann. ab *Incarn. Dom.* 905. sic scribit: „ Ludo- „ vicus Bosonis filius, Imperium adeptus, Berengarium expu- „ lit. Dumque toto Italico Regno pro arbitrii sui motu poti- „ retur, dimisso milite, cum paucis se Veronam contulit, „ ubi a civibus traditus, revocato Berengario, qui in Bajoa- „ ria exulabat, captus est, & luminibus orbatus. Berengarius „ exhinc Regnum Italiæ simul cum Romano Imperio tenuit. Et post pauca. „ Non multo post Ungari commisso cum Bajoa- „ riis bello, Ducem eorum Leopoldum, Arnolfi Ducis pa- „ trem, occidunt, ac inde per totum Regnum diffusi, Ale- „ manniam, Franciam, Saxoniam, Thuringiam percur- „ runt.

VII. Multiplex Hungarorum incursio.

Verùm hæc Ungarorum irruptio est diversa ab ea, quæ ante captum Ludovicum contigit. Multæ enim, ut summatim dicam, fuerunt Hungarorum excursiones. *Prima*, & *Secunda*, anno 900. & 902. uti supra dixi: Et quidem de hac secunda, sic Hermannus Contractus: *Anno 902. Hungari a Mariis occiduntur*: nimirum a *Bajoariis*. Chronicon S. Galli „ Anno 902. „ Ungares a Bajoariis ad prandium vocati, plures occiduntur. Hepidannus in Chronico. „ Anno 902. Agareni (idest, Un- „ gari.) a Bajoariis ad prandium vocati, ubi Rex eorum „ Chussol occisus est, & alii quamplurimi cum eo „ . Lam- „ ber-

a Immanis est Sigeberti Anachronismus, qui ad ann. 909. confert Hungarorum in Italiam sub Berengario irruptionem, & ad annum 911. Ludovici ex Italia expulsionem.

„ bertus Schafnaburgensis: *Anno 902. Sclavi vastaverunt Sa-*
„ *xoniam*. Conradus Abbas Urspergensis: *Anno 902. Ungari Carentaniam invadunt, & commissa in Sabbato Paschae pugna occiduntur*. Videntur itaque Ungari anno 902. primo quidem in Bajoariam & Carentaniam irrupisse; sed tam a Bajoariis, quam a Carentanis victi fugatique fuisse: deinde in Italiam invadentes, ea peregisse, quae supra sunt ad annum 902. descripta: postquam scilicet Ludovicus Bosonis a Berengario luminibus est privatus.

Aliae Hungarorum irruptiones ab anno 906. usque ad 910. sub Ludovico Germaniae Rege. Conradus Urspergensis: *Anno Dom. 906. Ungari a Moravis occiduntur. Berenger, Reginolt, & Gerhart germani fratres interficiuntur*. Id tamen factum ab Hermanno Contracto confertur ad ann. 902. his verbis: *Beringerus, Reginoltus, & Gerardus germani fratres occiduntur*. Fortasse tam Conradus quam Hermannus, confundunt tres istos fratres cum *Adalberto*, *Adalhardo & Heinrico*, de quibus Lambertus Schafnaburg. ad ann. 903. „ Adelbracht,
„ Eberhart, & Heinricus occisi sunt. „ Chron. S. Galli 903.
„ Reginah ... perint, & Keth ... germani tres occiduntur. & Metensis ad ann. 902. „ Adalbertus cum fratribus Adalhar-
„ do, & Heinrico, collecta valida manu, adversus Everhar-
„ dum, & Rodulphum fratres, de quibus paulo superius men-
„ tionem fecimus, ex castro, quod Babenberch dicitur, pro-
„ siliens, ad pugnam processit. Cujus impetum viriliter exci-
„ pientes, ferro aciem irrumpunt, obvios quosque terrae pro-
„ sternunt, nec ante desistunt, quam adversariorum agmen
„ fugam inire compellant. In quo certamine Heinricus inter-
„ fectus, & Adalhardus captus, & postmodum jussu Gebehar-
„ di decollatus est. Everhardus etiam multis vulneribus con-
„ fossus in praelio cecidit: ubi finito conflictu inter cadavera
„ occisorum a suis inventus, domum reportatur, & paucis
„ interpositis diebus ipse moritur.

Itaque rejecta ad ann. 902. quam ex Conrado retuli narratione: de anno 906. & seqq. haec habent alii Historici. Lambertus Schafnaburg. 906. „ Ungari vastaverunt Saxoniam. 908.
„ Luitboldus Dux Thuringor. occisus est ab Ungaris. 909. Bur-
„ chardus Dux Thuringor. occisus est ab Ungaris. 910. Ludovi-
„ cus

„ cus Rex pugnavit cum Ungaris & victus est. 911. Ungari vastaverunt Franciam „ . Sigebertus Gemblacen. *Anno 906. Hungari victos Græcos sub tributo redigunt.* 907. *Ungari Bulgaros victos tributarios sibi faciunt*, „ Continuator Reginonis ad ann. 907. *Bavari cum Hungaris congressi, multa cæde prostrati sunt*. Marianus Scotus. „ Anno 904. Sclavi vastaverunt „ Saxoniam. 907. Bajoarii ab Ungaris interficiuntur. 908. „ Ungari Saxoniam & Thuringiam vastant. Lupoldus Dux oc- „ cisus est ab Ungaris. Burchardus quoque Dux Thuringorum „ ab eisdem occisus est. Anno 909. Ungari Alamanniam va- „ stant. Bellum maximum Francorum cum Ungaris „, Hermannus Contractus juxta editionem Canisianam: 907. „ Bajoarii „ ab Hungaris interficiuntur. 908. Hungari Saxoniam & Thu- „ ringiam vastant. Liudpoldus occiditur. 909. Hungari Ala- „ manniam petunt. 910. Ungari Francos devincunt. 911. Bur- „ chardus Dux occiditur „ . Conradus Urspergensis. „ An- „ no 908. Bajoarii ab Ungaris interficiuntur. Anno 909. Un- „ gari Saxoniam & Thuringiam vastant. Anno 910. Ungari „ Alamanniam petunt. Anno 911. Franci pugnant cum Unga- „ ris „ . Sed tum Hermannus Contractus, tum continuator Reginonis, Francos ab Ungaris victos anno 910. scribunt: „ Franci in confinio Bavariæ & Franciæ Hungaris congressi, mi- „ serabiliter aut victi, aut fugati sunt „. Chronicon S. Galli: 908. „ Bajovariorum omnis exercitus ab Hungaris occiditur. 909. „ Ungri in Alamanniam. 910. Ungri cum Alamannis & Francis „ pugnaverunt, eosque vicerunt. Sed & Norici partem ex eis „ occiderunt „ . Idem habet Epidannus in chronico ad annum 908. 909. & 910.

VIII. Moraviæ Archiepiscopatus & Episcopatus sub Jo: VIII. & IX.

Dum hæc Hungari, post Arnulphi Imperatoris obitum, regnante in Germania Ludovico ejus filio agunt; Moravis videntur aliquandiu pepercisse, sive quod inducias cum illis pepigissent, sive quia Noricum prius & Italiam, itinere per Carinthiam directo, populari decrevissent; quidquid in contrarium dicat Conradus Urspergensis, qui ad ann. 899. scribit; Moraviam prius, deinde Bajoariam ab Ungaris fuisse vastatam. Verba ejus supra recitavi. Nemo enim alius, præter Conradum, hoc de Moravis factum narrat, quod Ungari anno 899. aut 900. de Bajoariis fecere: quinimo Hermannus Contractus, eodem

„ an-

anno 901. quo Hungari Carinthiam invadentes victi sunt, asserit, Regem Moraviæ Moymirum cum Ludovico Germaniæ Rege pacificatum fuisse: verba ejus mox recitabo. Præterea si eidem Conrado Urspergensi fides est adjungenda, *Moravi Hungaros anno 906. occiderunt*: quod & Hermannus Contractus habet ad ann. 902. his verbis: *Hungari a Mariis occiduntur*: adeoque, etiamsi detur eidem Conrado, Moravos anno 900. ab Hungaris fuisse subactos, certum tamen est, illos statim jugum excussisse, tum quia anno 901. pacem cum Ludovico Germaniæ Rege fecerunt; tum quia anno 902. juxta Hermannum, aut 906. secundum eundem Conradum, cæsos Hungaros e Moravia expulisse dicuntur: quamquam id quod de cæsis anno 902. aut 906. Hungaris narratur, alii scriptores non ad Moravos, sed ad Bajoarios referunt: ut supra ex Chron. S. Galli observavi. Postremo Episcopi Bajoariæ in laudata epistola ad Joannem Papam data, ut supra, anno 900., de Moravis sic scribunt, perinde ac si pax & summa tranquillitas in eorum regione florerent. „ Quando Ungaros (inquiunt) Italiam intrasse comperimus, pacificare cum iisdem Sclavis (*Moravis scil.*) teste „ Deo, multum desideravimus, promittentes eis propter „ Deum omnipotentem, ad perfectum indulgere omnia mala „ contra nos nostrosque acta, & omnia reddere, quæ de suis „ nostros constaret habere, quatenus ex illis (*Ungaris scil.*) „ securos nos redderent, quamdiu Longobardiam nobis intra- „ re, & res S. Petri defendere, populumque Christianum di- „ vino adjutorio redimere liceret „. Quando igitur Hungari Italiam populabantur, Bajoarii una cum Rege Ludovico, pacem inire cum Moravis desiderabant, tum ut securi ab Ungarorum invasione essent; tum ut possent Italos ac præsertim Apostolicam Sedem ejusque ditionem ab illorum insultibus (ut ajunt) eripere. Ergo Moravi aut inducias cum Hungaris tunc temporis colebant; aut certe Moravia ab illorum irruptionibus intacta fuerat. Hermannus Contractus ad annum 901. *eodem anno* (inquit) *Moimarius, & Isauricus cum Rege* (Ludovico nempe Arnulfi filio) *pacificantur*. Pax igitur inter Regem Ludovicum, & inter Moimirum Regem, ejusque adjutorem Isauricum Arbonis Comitis filium composita fuit, postquam scilicet Ludovicus Hungaros ex amicis expertus fuerat inimicos, quum nem-

nempe illi, qui Arnulpho regnante amicitiam Regum Germaniæ colere ambiebant, eo mortuo, in Bajoariam invaserunt.

Pax, inquam, inter Germaniæ Regem, & inter Moraviæ Principes sancita fuit; non tamen inter Bajoariæ Episcopos, & inter Episcopos Moraviæ. *Theotmarus* enim Juvavensis sive Salisburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, unacum Suffraganeis Valdone Frisingensi, Erchenpaldo Eystatensi, Zacharia Sebonensi, Tuttone Ratisbonensi, & Richario Pataviensi, in literis ad Joannem IX. Papam anno 900. datis, querebatur, ut supra dixi, quod Archiepiscopus in Moravia cum tribus Suffraganeis Episcopis institutus fuisset. Verba eorum supra retuli. Nunc quæ ad Moraviæ Episcopatus spectant, repetere juverit. *Venerunt* (inquiunt Norici seu Bavariæ Episcopi cum Metropolitano suo Salisburgensi) „ Venerunt, ut ipsi promulgaverunt, „ de latere vestro, tres Episcopi, videlicet, Joannes Archie- „ piscopus, Benedictus, & Daniel Episcopi, in terram Scla- „ vorum, qui Maraci (*Moravi*) dicuntur. *Et mox*. Est unus „ Episcopatus in quinque divisus. *Nimirum Pataviensis*: nam „ subjungunt: *Intrantes* enim prædicti Episcopi in nomine ve- „ stro, ut ipsi dixerunt, ordinaverunt in uno eodemque Epi- „ scopatu, unum Archiepiscopum (si tamen in alterius Epi- „ scopatu Archiepiscopus esse potest) & tres Suffraganeos ejus „ Episcopos; absque scientia Archiepiscopi (*Salisburgensis* „ *scil.*) & consensu Episcopi (*Pataviensis*) in cujus fuerunt „ Diœcesi „. Antistites Norici contendebant, totam Moraviam in Diœcesi Pataviensi esse comprehensam: adeoque Moravos omnes subesse debere tum Archiepiscopo Salisburgensi, tum etiam Episcopo Pataviensi, qui in locum Laureacensis quondam Archiepiscopi successerat. Verùm ab usque temporibus Adriani secundi Papæ, jam ordinatus fuerat *Moravis Episcopus Methodius*, & a Papa Joanne VIII. eidem Methodio ad Archiepiscopale fastigium promoto additus *Episcopus Nitriensis Wichinus*. Methodio autem circiter anno 899. aut mortuo aut Romam regresso, (ubi & obiisse dicitur,) quum *Engilmarus* quoque Episcopus Pataviensis eodem anno diem clausisset extremum, Joannes Papa IX. a *Moymaro* Principe rogatus, *Joannem* Archiepiscopum Moraviæ consecravit, necnon Episcopos *Benedi-*

ctum & *Danielem*: qui venientes in Moraviam, *Wichingum* tertium Episcopum e Nitriensi ad Pataviensem Ecclesiam auctoritate Pontificis transtulere: atque ita in una eademque Pataviensi sive Laureacensi Diœcesi (quæ olim, antequam scil. Moravi Christianam fidem fuissent amplexi, non modo totum Noricum, Bavariam scilicet, sed etiam Moraviam complectebatur) quinque Episcopi instituti dicuntur, videlicet, *Archiepiscopus Joannes*, *Daniel*, *Benedictus*, *&* *Wichinus* Episcopi; & quintus *Richarius*, qui in locum Engilmari defuncti a Theotmaro Archiepiscopo Juvavensi & Suffraganeis, ad Pataviensem Episcopatum elevatus fuerat, rejecto videlicet ab ipsis Bavaris Præsulibus Wichino, utpote Moravorum Antistite.

IX.
Benedictus VII. Leo VII. & Agapitus II. Orientalem Pannoniam Pataviensi, Occidentalem Salisburgensi assignaut.

Pilgrimus Laureacensis Ecclesiæ Præsul (*a*) in epist. ad Benedictum VII. Papam dat. anno 977. petens sibi Pallium Pontificium tamquam Archiepiscopo concedi, de Ungaris vicinisque Sclavis sic ait: „ Factum est ergo, ut pene cuncta Ungarorum natio sit prona ad percipiendum fidem sanctam; sed „ & aliæ Sclavorum provinciæ ad credendum promptæ: & est „ ibi messis quidem multa, operarii autem pauci. Inde quoque visum est, jam necessarium esse, quatenus sanctitas vestra illic jubeat aliquos ordinari Episcopos, quia & quondam „ Romanorum Gepidarumque tempore proprios (*b*) VII. „ Antistites eadem Orientalis Pannonia habuit & Moesia, meæ „ sanctæ Lauriacensi, cui ego indignus ministro, Ecclesiæ subjectos, quorum etiam quatuor, usquedum Ungari Regnum „ Bawariorum invaserunt, sicut præsenti cognitum est ætati, „ in Maravia manserunt „. Annuit Pontifex (*c*) in *epistola* ad *Robertum* Moguntin. *Diotricum* Treveren. *Adalbertum* Magdeburgen. *Gereonem* Colonien. *Fridericum* Juvaven. & *Adalda-*

a Extat Tom. XI. Concil. Labb. Edit. Venet. ann. 1710. pag. 958.

b *Septem Episcopi* in Orientali Pannonia extitisse dicuntur tam in Epist. Piligrimi ad Bened. VII. Papam, quam in epist. Bened. VII. ad Episcopos Germaniæ. Nimirum iidem ipsi qui nunc Salisburgensi, nunc Laureacensi Archimystæ subesse dicuntur, *Frisingensis* scil. *Eystaten. Sebonen.* seu Brixinen., *Ratisbonen*, & *Patavien.* quibus si addantur *Lauriacen.* & *Salisburgen.*, septem omnino consurgunt. In literis Eugenii II. Papæ dat. circa ann. 824. Wrolpho Archiepiscopo Laureacensi subjecti Episcopi numerantur quatuor, idest Rathiredus Favianen. Methodius Speculi julien. seu Soriguturen. Aleuvinus Nitravien. & Anno Vetuarien. Hos tamen quatuor Episcopos non sufficere idem Pontifex asserit; alios proinde ordinari, Vrolpho Archiepiscopo dat potestatem.

c Ibid. Tom. XI. pag. 960. & seq.

dagum Bremen. Archiepiscopos: necnon ad *Ottonem* Imp. Augustum, atque nepotem ejus *Henricum* Bawariorum Ducem, ceterosque Comites Galliæ atque Germaniæ, sic scribens: „ Quapropter dignum existimavimus assensum præbere con- „ gruis postulationibus Rmi Archiepiscopi, quas per probabi- „ les personas nobis intimavit, quatenus sibi Pallium, & Me- „ tropolitanum honorem Cathedræ suæ sanctæ Lauriacensi „ Ecclesiæ restitueremus, confinio Ungrorum adjacenti. *Et* „ *post pauca*. Hac ergo suadente ratione, quod prænominati „ sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscopi postulatio, anti- „ qua Apostolica authoritate commendatur; & præterea, quod „ quum justum esset, pariter etiam utile visum est, ut ad fru- „ ctificandas Deo gentes, ex novitiis cultoribus fidei Ungro- „ rum atque Maravorum, sive etiam aliis multis provinciis „ Sclavorum suæ Parochiæ finitimis, illic ordinatis Episcopis, „ secundum quod antiquitus dispositi erant, eis hunc consti- „ tueremus Archiepiscopum. Quoniam autem Salisburgensis „ Ecclesia Metropolis abusa est subjectione sanctæ Lauriacensis „ Ecclesiæ, Pontificii obliterata & attenuata sua dignitate ex „ devastatione Barbarorum, quam propterea perceptis Aposto- „ licis privilegiis nequaquam patimur privari, quum & priora „ sint Salzburgensibus, & ideo authoritativa vel authorabilio- „ ra.... unde ergo authoritate & potestate B. Petri Principis „ Apostolorum, atque exemplo Beatorum Pontificum, scilicet „ Prædecessorum nostrorum, eandem sanctam Laureacensem „ Ecclesiam, ejusque Rectores jam Archiepiscopos, amodo „ perpetim ab omni Salzburgensis Ecclesiæ ejusque Præsulum „ subjectione ac ditione absolvimus, & honore Metropolitano „ sublimamus: & sicut modernis temporibus sanctæ memoriæ „ Agapitus Papa terminos earundem Parochiarum ab invicem „ distinxit, sic & ipsi diffinimus: ita quoque, ut sancta Salz- „ burgensis Ecclesia Superioris Pannoniæ Episcopos habeat „ Suffraganeos, quibus usque huc sui Pontifices præesse vide- „ bantur, cum tanta talique diœcesi, quali hactenus in infe- „ riori usi sunt Pannonia: sancta autem Laureacensis Ecclesia, „ in inferioris Pannoniæ atque Moesiæ regiones, quarum pro- „ vinciæ sunt Bawaria atque Maravia, in quibus VII. Episco- „ porum Parochiæ antiquis temporibus continebantur, suique

„ Antiſtites Archiepiſcopalem deinceps habeant poteſtatem, „ cum tanta talique diœceſi, quali hactenus in ſuperiori uſi „ ſunt Pannonia.

Leo VII. qui ab anno *936.* ad *939.* Sedem Apoſtolicam rexit, in epiſt. ad *Gerhardum* Archiep. Lauriacenſem, ann. *937.* Pallio illum donat: (*a*) & in altera ad Epiſcopos *Egilolphum* Juvaven. *Iſingrimum* Ratisbonen. *Lantbertum* Frilingen. & *Viſundum* Sebonen. & ceteros per Galliam, Germaniam, Bawariam, & Alemaniam commorantes, aſſerit, ſe eidem Gerardo Laureacenſi Archiepiſcopo, vicem ſuam in cunctis eorum finibus commiſiſſe, in omnibus, quæ ad Eccleſiaſticum ordinem pertinent, jubetque, ut ei obedientes & adjutores ſint „ ut „ (inquiens) Eccleſiaſtica jura & Chriſtianitatis religio in veſtris partibus, quæ Paganorum incurſione, & malorum Chriſtianorum perſecutione corrupta & depravata eſſe videntur, „ Domino largiente, & B.Petro Apoſtolorum principe cooperante, ad rectitudinis normam valeant reformari: *additque*: „ Præter hæc Eberardo Duci Bavariorum noſtra authoritate „ injungimus, ut præfato Gerardo Archiepiſcopo in omnibus „ auxilium præſtet, ut ſuæ Eccleſiæ ſtatus & rectitudo, ac proprius vigor ad integrum culmen, & priſcum decorem ſuo „ juvamine valeat pervenire.

Poſtremo Agapitus Papa II.qui ab an.*946.*ad *956.* ſedit, in epiſt. ad eundem (*b*) *Gerardum* Laureacenſem Archiep., *Hademaro* Fuldenſi Abbate ſuggerente, jurgia inter ipſum Gerardum & inter *Heroldum* Archiep.Salisburgenſem propter ſuſceptum in una provincia ab utroque Archiepiſcopo Pallium, exorta fuiſſe: ut ea contentio componeretur, Salisburgenſi quidem Occidentalem Pannoniam attribuit; Laureacenſi autem, utpote antiquiori, Orientalem Pannoniam & regiones Avarorum, Moravorum, & Sclavorum. „ Laureacenſem (inquit) urbem „ antiquitus Metropolitanam fore, & Archiepiſcopi ſedem, „ cui ſanctitas tua præeſſe dignoſcitur, ſicut in Privilegiis au„ thenticis ad nos uſque a Te directis legimus, ita quoque in„ ventis quibuſdam exemplaribus chartæ vetuſtate admodum „ attritis in Archivio S. Petri reperimus. Hanc etiam in exor„ dio

a Tom. cit. Concil. pag. 820. & 821.
b Tom. cit. Concil. pag. 844.

„ dio nascentis Ecclesiæ & immanissima Christianorum persecutione, a Doctoribus istius sedis, catholicæ fidei novimus „ rudimenta percepisse; & exinde a succedentibus prædicato„ ribus in Superioris atque Inferioris Pannoniæ provincias, „ ejusdem fidei emanasse gratiam. Quibus etiam duabus Pro„ vinciis, illarumque Pontificibus usque ad tempora Hunno„ rum non alius, quam sanctæ Lauriacensis præfuit Archiepi„ scopus: quorum barbarica feritas non solum prædictam Lau„ riacensem civitatem, verum etiam in circuitu adjacentes re„ giones depopulavit, atque funditus desolavit. Inde quidem „ contigit, ut Episcopi hac necessitate compulsi, sede illa de„ serta atque alio translata, simul etiam Archiepiscopalem „ ipsius sedis desererent honorem. Modernis autem, nec mul„ tum retro elapsis temporibus, vacante ab Apostolico Vicario „ Bawariorum Regno, Arno primus sanctæ Salzburgensis Ec„ clesiæ (*anno* 798.) subrogatur Archiepiscopus. Hæc testatur „ annosa memorialis sacri scrinii historia. Modo autem (*anno* „ *scil.* 946. *quo Pontifex hæc ad Gerardum scribebat*) mortali„ bus propitiante Christo, ab hostibus sanctæ Lauriacensis Ec„ clesiæ quiete, & inhabitandi securitate concessa, non alibi „ quam ibidem Fraternitatis tuæ Cathedram oportet haberi. „ Quapropter reinthronizamus te eidem Ecclesiæ, sanctorum „ Patrum videlicet prædecessorum nostrorum, sed & beatæ „ memoriæ Domini Leonis Papæ (VII.) a quo excellentia tua „ Pallio ac Privilegio donata est, sanctiones atque statuta exe„ quentes „. Et post pauca. „ Hisque ex amussi ita ad justi„ tiam reintegratis decrevimus rixas vestras & dissensiones „ præfata ex causa derivatas dirimere..... Constat quidem, „ quod canonice singulis Provinciis singuli ordinantur Metro„ politani. Proinde distribuere atque determinare ita vobis „ Parochias, bonum & pacificum æstimamus; ut divisis duabus „ Noricæ regionis Provinciis, Heroldo Archiepiscopo Occi„ dentalis Pannoniæ cura committatur & custodia; Tibi autem „ successoribusque tuis, propter emeritam antiquitatem san„ ctæ Lauriacensis Ecclesiæ, cui jure juniorum reverentia assur„ git, in benedictionis & sedis ordine prælatis atque præposi„ tis, providentiam Orientalis Pannoniæ, regionemque Ava„ rorum atque Maraharorum (*Moravorum*) sed & Sclavorum,

„ qui

,, qui modo Christiani, vel adhuc per Baptisma Christo lucrandi sunt, circumquaque manentium, credimus, nostramque Apostolicam vicem in illis partibus prædicandi, & pro arbitrio vestro ubi opus est Episcopos constituendi, omniaque disponere atque ordinare, tali authoritate atque potestate delegamus, ac si ipsi præsentes affuissemus.

X. Expenditur Antistitum Noricorum ad Jo. IX. Papam Epistola, qua contendunt, Maraventem Ecclesiam Pataviensi fuisse subjectam.

Ex quibus documentis palam fit, post Hungarorum in Bavariam irruptiones, non modo constitutas in Norico Episcopales sedes, sed etiam Moravicos Episcopatus non defecisse. Nam in Norico quidem seu Bavaria, anno 900. 937. 946. & 977. vigebant Antistites in Ecclesiis hisce sedentes, *Salisburgensi* nempe, *Frisingen. Eystaten. Sebonen. Ratisbonen.* & *Laureacensi*, seu *Pataviensi*: In Moravia autem, *Archiepiscopus* unus, cum *tribus Episcopis* anno 900. dicuntur instituti: quos tamen sibi subjici debere, contendebat Salisburgensis Archiepiscopus unacum suis Suffraganeis. Sed & *Hatto* Moguntinus Archipræsul Bavaris Antistitibus adversus Moravos suppetias ferens sic scribit ad Joannem IX. Papam anno 900. ,, Insuper etiam pietati vestræ intimamus, quod fratres & Coëpiscopi nostri Bavvarienses, se apud nos conquerentes, & alta suspiria trahentes gemebant, qualiter Maravenses populi, Francorum potestati rebelles, jactent se ab illorum consortio esse divisos, & seorsum Metropolitano gloriantur a Vestra concessione esse sublimatos, quum nunquam Metropolitana sedes inter illos haberetur, sed semper illorum Provinciæ & Diœcesi cohærerent... Unde poscimus, ut vestra consolatio illorum mœrorem ad lætitiam reformet, & semper talia membra summo capiti, quod estis vos, se gaudeant adhærere. Illi autem Maravenses, ut nostris auribus illatum est, in occasionem superbiæ suæ assumunt, quia a vestra concessione dicunt se Metropolitanum suscipere, & singulariter degentes, aliorum Episcoporum consortia refutant,,. At vero tam Germaniæ, quam Bavariæ Antistites splendide falluntur, dum ajunt, Maravensem populum nunquam *Metropolitanum* habuisse, sed semper fuisse Provinciæ Bavariæ, idest Laureacensi sive Salisburgensi Archiepiscopo subjectum. Subjectus quidem fuerat circa annum 824. quando nempe Eugenius II. Pontifex in literis inscriptis *Rathfredo Favianensi*, *Methodio* *Spe-*

Speculi Julienſi, ſeu *Soriguturenſi*, *Alevvino Nitravien. Annoni Vetuarien. Epiſcopis*, ſimul etiam Tuttundo & Moymaro Ducibus, optimatibus, exercitibuſque plebis Huniæ quæ & Avaria dicitur, & Moraviæ, de Urolpho Laureacenſi Archiepiſcopo ſic ſcribebat: „ Is ad Apoſtolorum limina orationis cauſa „ veniens, novam Eccleſiam noſtris Apoſtolicis benedictionibus informandam ſubnixe commendavit, quia (*quam*) Domino auxiliante catholice gubernandam in veſtris partibus „ ſuſcepit: in quibus etiam quond. Romanor. quoque Gepidarumque ætate, ut lectione certum eſt, in ſeptem Epiſcoporum „ Parochias Anteceſſores ſui jure Metropolitano obtinuerunt „ Diœceſini... Quem nos doctiſſimum Divini oraculi Miniſtrum ſaluti veſtræ cognoſcentes per omnia neceſſarium... „ ab hac Sancta Romana Matre Eccleſia, Vobiſque Rectorem „ tranſmiſimus, atque in præfatis regionibus Huniæ, quæ & „ Avaria appellatur, ſed & Moraviæ, Provinciarum quoque „ Pannoniæ ſive Moeſiæ, Apoſtolicam vicem noſtram, & Diœceſim atque jus Eccleſiaſticum exercendi, & uſum ac poteſtatem Anteceſſorum ſuorum, videlicet Sanctæ Lauriacenſis Eccleſiæ Archiepiſcoporum, ſibi ſucceſſoribuſque ſuis canonica auctoritate committimus „. Subjecti etiam Juvavenſibus Præſulibus fuerunt ab illis ordinati Slavorum Epiſcopi *Theodoricus*, *Otho*, & *Oſvvaldus*, quorum hic poſtremus anno 871. vivebat, quum fragmentum illud *de converſione Bojorum* & *Carentanorum* exaratum eſt, quando ſcil. *Methodius* Slavonici ſermonis uſum in rebus ſacris apud Moravos introduxit. Verum quando idem Sanctus *Methodius*, poſtquam ſub Raſtice Moymari ſucceſſore, Moravorum Rege, eam gentem partim ad Chriſti Fidem adduxiſſet, partim inventis a fratre ſuo Cyrillo Slavonicis literis ſacra doctrina inbuiſſet, ab Hadriano II. Papa anno 868. Epiſcopus Moravorum ordinatus, & a Joanne VIII. Papa Sventopulco Raſticis ſucceſſore petente, an. 880. Archiepiſcopali dignitate inſignitus fuit, tunc conſequenter ab omni Archiepiſcoporum Laureacenſis aut Salisburgenſis juriſdictione eſt exemptus; ſubjectum nimirum ſibi habens *Wichinum*, ab eodem Joanne VIII. Epiſcopum Nitrienſem conſecratum cum facultate alios Epiſcopos in locis in quibus honorifice debent & poſſent exiſtere, conſecrandi. Recole Pontificias Joan-

Joannis VIII. Epiſtolas. Nam Epiſtola 194. ad Tuventarum de Maravia, dat. Ind. XII. an. Chr. 879. ait Pontifex: „ Quia „ vero audivimus, quia Methodius veſter Archiepiſcopus, ab „ Anteceſſore noſtro Hadriano ſcilicet Papa ordinatus, vobiſ- „ que directus, aliter doceat, quam coram Sede Apoſtolica „ ſe credere verbis, & literis profeſſus eſt, valde miramur: „ tamen propter hoc direximus illi, ut abſque omni occaſione „ ad nos venire procuret „. Epiſtola 195. dat. ut ſupra, *Reverendiſſimo Methodio Archiepiſcopo Pannonienſis Eccleſiæ*; præcipit ut ad ſe veniat, *ut veraciter* (inquit) *cognoſcamus doctrinam tuam*. Miſſas Sclavonica lingua celebrari prohibet; „ Jam literis noſtris per Paulum Epiſcopum Anconitanum tibi „ directis, prohibuimus, ne in ea lingua (Sclavina ſcil.) ſa- „ cra Miſſarum ſolemnia celebrares, ſed vel in Latina vel in „ Græca, lingua „. Epiſt. 247. ad *Sſentopulcrum glorioſum Comitem*, dat. *menſe Junio Indict. XIII.* anno Chr. 880. oſtendit Methodium Archiepiſcopum orthodoxam fidem fuiſſe profeſſum, cujus jura & privilegia confirmat. „ Induſtriæ tuæ no- „ tum eſſe volumus, quoniam confratre noſtro Methodio Re- „ verendiſſimo Archiepiſcopo Sanctæ Eccleſiæ Moravenſis, „ unacum Semiſiſno fideli tuo, ad limina Sanctorum Apoſtolo- „ rum Petri & Pauli, noſtramque Pontificalem præſentiam ve- „ niente &c. Igitur hunc Methodium Ven. Archiepiſcopum ve- „ ſtrum interrogavimus coram poſitis fratribus noſtris Epiſco- „ pis, ſi orthodoxæ fidei Symbolum ita crederet, & inter ſa- „ cra Miſſarum ſolemnia caneret, ſicuti Sanctam Romanam „ Eccleſiam tenere .. conſtat. Nos autem illum in omnibus „ Eccleſiaſticis doctrinis & utilitatibus orthodoxum & profi- „ cuum eſſe reperientes, vobis iterum ad regendam commiſ- „ ſam ſibi Eccleſiam Dei remiſimus, quem veluti Paſtorem „ proprium ut digno honore & reverentia lætaque mente reci- „ piatis jubemus: quia noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis præce- „ pto, Archiepiſcopatus (*a*) ei privilegium confirmavimus, „ & in

a Pagius ad ann. 880. num. 5. „ Moraviæ Principatus & juriſdictio Metropolica „ in eo conſtituta, complectebatur Pannoniam uſque ad Dravum fluvium, popu- „ loſque inibi habitantes Methodius ad Chriſti fidem perduxerat „. Omnis quidem illos populos erudierat Methodius; non tamen omnes illos ad Chriſti fidem adduxerat: nam ante Methodium non pauci jam Chriſti fidem ſuſceperant. Pergit Pagius. „ Hinc

„ & in perpetuum, Deo juvante, firmum manere ſtatuimus; „ ſicuti Anteceſſorum noſtrorum auctoritate, omnium Eccleſiarum Dei jura & privilegia ſtatuta & firmata conſiſtunt: „ ita ſane, ut juxta canonicam traditionem, omnium negotiorum Eccleſiaſticorum curam habeat ipſe, & ea velut Deo „ contemplante diſpenſet. Nam populus Domini illi commiſſus eſt, & pro animabus eorum hic redditurus erit rationem. „ Ipſum quoque Presbyterum, nomine Wichinum, quem nobis direxiſti, electum Epiſcopum conſecravimus Sanctæ Eccleſiæ Nitrenſis, quem ſuo Archiepiſcopo in omnibus obedientem, ſicuti Sancti Canones docent, eſſe jubemus. Et „ volumus, ut pariter cum ipſius Archiepiſcopi conſenſu & „ providentia, alterum nobis apto tempore utilem Presbyterum vel Diaconum dirigas, quem ſimiliter in alia Eccleſia, „ in qua Epiſcopalem Sedem noveris eſſe neceſſariam, ordinemus Epiſcopum: ut cum his duobus a nobis ordinatis Epiſcopis præfatus Archiepiſcopus veſter, juxta Decretum Apoſtolicum, per alia loca, in quibus Epiſcopi honorifice debent & poſſunt exiſtere, poſtmodum valeat ordinare. Preſbyteros vero, Diaconos, ſeu cujuſcumque Ordinis Clericos, „ ſive Sclavos, ſive cujuſlibet gentis, qui intra Provinciæ tuæ „ fines conſiſtunt, præcipimus eſſe ſubjectos & obedientes in „ omnibus jamdicto Confratri noſtro, Archiepiſcopo veſtro, „ ut nihil omnino præter ejus conſcientiam agant „. Concedit denique, ut Divina officia recitari poſſint Sclavonica lingua, dummodo Evangelium Latina prius recitetur. Utrum vero, poſtquam *Methodius Archiepiſcopus & Vvichinus Epiſcopus* in Moraviam anno 880. rediere, alter Presbyter aut Diaconus, conſenſu ipſius Methodii & approbatione Sventopulchi Regis, Romam ad Joannem VIII. Papam, aut ad ejus Succeſſores, *Marinum, Hadrianum III., Stephanum V., & Formoſum*,

„ Hinc in Epiſt. Joannis Papæ 195. Methodius dicitur *Archiepiſcopus Pannonienſis* „ *Eccleſiæ*: & in Epiſt. cit. 247. *Rmus Archiepiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Morabenſis*. „ In ead. Epiſt. Joannes PP. *Archiepiſcopatus Vvelehradienſis* in Moravia a S. Cyrillo inſtituti jura confirmat „. Hoc falſum. Nulla enim ejus Archiepiſcopatus mentio occurrit in ea Epiſtola, ſed in alia num. 75. dicitur, quod Georgius quidam Epiſcopus conſecravit *Sergium Eunuchum, Vvelegradi Epiſcopum*. Porro Vvelehradium jamdiu everſum, e cujus florentiſſimæ urbis ruderibus, *Hradiſta*, ſeu *Hradiſtium*, vulgo *Hradiſch*, ſitum ad fl. Moravum, ſex leucis ab Olomucio in Auſtrum diſtans, dicitur ſurrexiſſe.

(qui ab anno 882. ad 896. ſederunt) directus fuerit, ut in alia Moraviæ Eccleſia ordinaretur a Summo Pontifice Epiſcopus, ut nempe cum iſto & cum Wichino Romæ ordinatis Epiſcopis Methodius Archiepiſcopus poſſet deinceps alios in Moravia ordinare Epiſcopos, ubi neceſſitas exiſteret; mihi eſt incompertum. Certo tamen certius eſt, paulo poſt obitum Sventopulchi Moraviæ Regis, a Joanne IX. Pontifice circa annum 899. conſecratos fuiſſe atque in Moraviam directos (quos ſupra dixi) *Joannem Archiepiſcopum*, & *Benedictum* atque *Danielem Epiſcopos*, quum *Vvichinus* è Nitrienſi ad Patavienſem Eccleſiam translatus eſſet, quumque *Methodius* aut jam deceſſiſſet, aut abdicato Archiepiſcopatu, in Urbem ſeſe recepiſſet. Id enim oſtendunt literæ Præſulum Bavarienſium a nobis ſupra indicatæ, ſcriptæ ad eundem Joannem IX. Papam anno Chriſti 900. in quibus diſerta eorum quatuor Moraviæ Præſulum fit mentio: altum autem de Methodio ſilentium. Quidquid igitur Bajoarii illi Præſules unacum Hattone Moguntino Archiepiſcopo contra Archiepiſcopatum Moravenſem, pro juribus Metropolitanæ Salisburgenſis tuendis dicant, falſi convincuntur ex hactenus dictis, quum ſatis conſtet uſque ab anno 880. Moraviæ tamquam Provinciæ a Bavaria diverſæ Archiepiſcopum cum Epiſcopis a Joanne VIII. Pontifice conceſſum fuiſſe.

XI. Dubravii circa Hungarorum irruptionem allucinationes.

Dubravius hiſtoriæ Boëmicæ libro quarto exeunte, in ea quæ ſupra deſcripta eſt, **Hungarorum** irruptione, ſcribit Hungaros a Bohemorum Duce Uratislao juſſos fuiſſe, illata Moravis damna reparare. „ Longo dein ſatis tempore (inquit) „ domi foriſque rebus quietis, ſubito nunciatur, Hunnos, vel, „ (ut nunc vocant) Hungaros, dum Alamaniam Saxoniamque „ petunt, in fines Moraviæ deflexiſſe, ibidemque incolas po- „ pulatione & omni rapinarum genere miſeranda calamitate „ affeciſſe. In re adeo inopinata haud potuit Uratislaus per „ tempus occurrere, opemque ferre Moravis; ſed paulo poſt „ contractis in Bojemia copiis, Moravos quoque armatos ſe „ expectare juſſit, ut communibus viribus, minore cum pe- „ riculo, hoſtem invaderent, vindictamque de injuria illa ab illo „ caperent. Agmina ducentibus in Pannoniam, Legati Hun- „ garorum in via ſe offerunt, (abhorrebant, videlicet, in di- „ ſceſſu ſuorum a bello Hungari) Uratislaum magnopere oran-

„ tes,

„ tes, ne longius cum exercitu suo progrediatur, paratos se „ esse ad damna sarcienda, quæ ipsis ignaris sint Moravis illata „ a popularibus suis, quos illi ad Germanos, non autem Mo- „ ravos vexandos miserint. Jussi pecuniam adnumerare, qua „ & stipendium militi exsolvi, & res quæ inter populandum „ amissæ erant, redimi possent: tum Moravis quoque impe- „ ratum, ut silvas Pannoniæ adversas succiderent, viarûmque „ aditus omnes extra unam militarem ut includerent, ne sic „ impune hostis incautos assultaret. Interim Hungari in Ger- „ manica expeditione, multo suorum sanguine audaciam suam „ expiaverunt. Siquidem Henricus Saxo, quem sibi Germani „ quemadmodum Itali Berengarium, creaverant Regem, in- „ genti clade strageque illos affecit, ac magna ex parte inso- „ lentes illorum in Germaniam excursiones coërcuit repres- „ sitque „. Pergit alia Uratislai Bohemiæ Ducis gesta enarrans, antequam is, relicto duobus filiis, Vincislao & Bolislao, bipertito Bohemiæ Ducatu, è vivis excessisset. Obiit autem, juxta communem Scriptorum calculum, anno Christi circiter 916. Unde arguitur prima Dubravii allucinatio, qui, vivente Uratislao, idest ante annum 916., Hungaros tradit ab Henrico Saxone, Germaniæ Rege, ingenti clade fuisse affectos. Atqui Henricus iste, Ottonis Saxoniæ Ducis filius, nonnisi anno 919. (post mortem scil. Conradi Regis, quæ x. *Kal. Januarii* anni exeuntis 918. contigit) Rex Germaniæ inauguratus, anno demum 934. *Hungaros* (ut inquit Continuator Reginonis & Conradus Abbas Urspergensis) *multa cæde prostravit*, *plureſque ex eis comprehendit*: quæ sunt etiam Cosmæ Pragensis verba ad eundem annum 934. Atque hæc prima est immanisque Dubravii allucinatio. Altera non minor, dum ait, *Henricum Germani*, *quemadmodum Itali Berengarium*, *sibi creaverunt Regem*, Uratislao nempe Bohemiæ Ducatum tenente. Verum Henricus quidem, ut modo dicebam, non ante annum 919. Rex Germaniæ creatus est, tertio scilicet aut quarto post Uratislai obitum anno. Berengarius vero usque ab anno 888. Italiæ Rex proclamatus fuerat, quadragesimo sexto nempe anno, antequam memoratam de Hungaris victoriam Henricus reportasset. Tertia ejusdem Scriptoris allucinatio, dum Bohemos asserit Hungaris imperasse, ut damna Moravis illata resarcirent.

rent. Adeo enim Bohemi Moravis non favebant, ut, quo anno Ungari primum, imperato Germanis tributo, in Italiam irrupere, hoc eſt, anno Chriſti 900. „ Eodem anno Bajoarii „ (teſte Freheriano Fuldenſium Annalium Continuatore) „ per Boëmaniam, ipſis Boëmis ſecum aſſumptis, Regnum „ Maravorum cuncti per tres hebdomadas devaſtantes irru- „ perint.

XII. Thuroczii ſphalmata circa Hungaricam hiſtoriam recenſentur ac refelluntur.

Thuroczius quum Ungaros ſuos in Pannoniam anno Chriſti 744. veniſſe, enormi anachroniſmo ſcripſiſſet, de iiſdem conſequenter Par. 2. cap. 23. ſubjungit: „ Poſtquam autem „ Zwatopolug per Hungaros, ut ſuperius dicitur, eſt necatus, „ & Hungari deſcenderunt in Pannoniam: per ſex annos eo- „ rum arma & equos meliorare curaverunt. Anno igitur ſe- „ ptimo Moraviam & Bohemiam, in quibus eo tempore Dux „ Uratislaus regnare videbatur, crudeliter ſpoliaverunt. Exin- „ de cum victoria redeuntes, treugis ordinatis cum præfato „ Duce, uno anno quieverunt. Poſthæc Carinthiam hoſtiliter „ adeuntes, ultra caſtrum Leopach Dux Moraviæ Gothfridus „ nominatus, & Dux Carinthiæ Eberhardus, necnon Grego- „ rius Aquilegiæ Patriarcha ipſis occurrentes, inſimul atroci- „ ter pugnaverunt. Et quamvis ex Hungaris plures ibi ceci- „ diſſent; tamen ambos Duces Hungari occiderunt: Patriar- „ cha tantum per fugam evadente. Abinde ſpoliata Carin- „ thia, Carniola, & Stiria, cum maxima præda ſunt reverſi. „ Cæſar igitur Conradus audiens, quod Hungari Imperii ſui „ confinia intraſſent, Duceſque memoratos occidiſſent; de- „ crevit venire in Hungariam. Et quum exiſſet de Italia, ve- „ niſſetque Auguſtam Sveviæ civitatem, ut deinde in Pan- „ noniam, invaſurus Hungaros, deſcenderet, inter Romanos „ bellum generatum eſt interea inteſtinum, propter quod „ ipſum retrocedere oportebat. Inter hæc Hungari immobi- „ liter annis tribus ad nullas partes perrexerunt. Anno autem „ quarto (*pergit idem Thuroczius cap.* 24.) Hungari Bulgariam „ invaſerunt, & ex ea theſaurum & armenta innumerabilia „ abduxere: caſtra ipſorum occupantes & civitates eorum „ deſtruentes, quæ, Domino concedente, & nunc habent & „ poſſident: Poſtquam autem memorata Regna devicerunt, „ per Forum Julii uſque in Marchiam Longobardiæ intrave- „ runt,

„ runt, ubi civitatem Paduam igne ac gladio consumpserunt.
„ Exhinc intrantes Lombardiam, Liuthar Vercellinæ civitatis Episcopum Imperatoris Caroli Consiliarium fidelissimum
„ occidentes, ex ipsius Ecclesia thesaurum maximum rapuerunt; totamque pene Lombardiam spoliantes, cum maximo
„ spolio in Pannoniam cum victoria redierunt. Posthæc decem
„ annis repausantes, anno undecimo Saxoniam, Thuringiam,
„ Sveviam, Francosque Orientales, & Burgundos demoliti,
„ in confiniis Bavariæ ultra castrum Abah citra Danubium,
„ Alemannorum exercitus ipsos in reditu oneratos invaserunt
„ ex abrupto, quos Hungari in fugam turpiter converterunt,
„ cæsis multis millibus ex eisdem. In quo quidem conflictu ex
„ Hungaris tria millia virorum perierunt: qui vero evaserunt,
„ ad propria redeuntes, annis sedecim immobiliter in Hungaria permanserunt „. Nunc, ut narrata a Thuroczio in annos suos digerantur, Hungari, juxta ejus supputationem, anno 744. in Pannoniam advenientes, Zvatopolugum necarunt. Per sex annos quiescentes, anno septimo (idest 751.) Moraviam & Bohemiam spoliarunt. Anno uno treugis ordinatis, anno 753. Carinthiam hostiliter adiere, cæsis Gothfrido & Eberardo Ducibus, Gregorio Patriarcha Aquilejæ per fugam evadente: Conrado Cæsare volente quidem arma in eos movere, sed ob Italicos tumultus impedito. Annis tribus quum quievissent, quarto anno, idest 757. Bulgariam diripuere: mox incursionem in Italiam fecere. Decennio repausantes, anno undecimo, hoc est, 768. Saxoniam, Thuringiam, Franciam Orientalem & Burgundiam vastaverunt; post hæc annis sedecim immobiliter in Hungaria permanentes. Regnante per Alemanniam Conrado Primo, decimo octavo anno (*Chr.* 786.) Hungari egressi, quibusdam partibus Theutoniæ devastatis, quum ad urbem Augustam pervenissent, Ulrico Episcopo cum Civibus & Sveviæ primatibus resistentibus, tandem quum Hungari eandem obsiderent civitatem, obstinati nolentes de urbe recedere; missis Nunciis ad Conradum memoratum, ut celeriter urbanis succurreret, idem non omisit venire. Hungaris igitur se incaute circa obsidionem civitatis gerentibus, Alemannicus & Italicus exercitus illos invasit ex abrupto: ut si fugere voluissent, non potuissent, ex una parte fluvio

vio, ab altera vero exercitibus prædictis circumvallantibus, ficut muris, illosque constringentibus. Sic itaque arctati ab hostibus, quidam captivati ab eis, aliqui crudeliter sunt necati. In quo loco Leel, & Bulchu, illustres capitanei, captivati sunt, & ducti ad Cæsarem (*hic dicitur Leel, ipsum Cæsarem sic fortiter in fronte cum tuba percussisse, ut illo solo ictu Imperator moreretur:*) detentique sunt sine mora, & Ratisponæ patibulo suffocati. Alius autem exercitus Hungarorum, in quo erant bene virorum armatorum quadraginta millia, castra metatus est longe ab Augusta civitate, qui sentientes socios suos tam crudeliter, arctari captivari & occidi, seorsim in quandam silvam se receperunt, expectantes, ut se ab invicem Imperatoris exercitus separaret. Et dum major pars Cæsaris exercitus iret versus Rhenum, Hungari in campo quodam illos invadentes, sagittis primitus illorum equos occiderunt, tota die ipsos nec descendere, nec quoquam fugere permittendo. Tandem vero dum se movere non possent, captivari se dederunt: cum quibus socios suos Ratisponæ detentos redemerunt. Ipsi vero exinde reversi, Rheno trajecto Lotharingiam vastantes, Erhardum Ducem Lotharingiæ & Bertoldum Ducem Brabantiæ occiderunt: inde vero Galliam atrociter affligentes, Metense, Trevirense, Aquisgranense territorium igne devastarunt: deinde per abrupta montium Senonensium populos exterminantes, viam sibi gladio aperientes paraverunt, Segusam Taurinumque urbes destruentes: montesque præfatos perforantes, planum Lombardiæ quum vidissent, totam pene provinciam concitis cursibus vastavere, & ita ad proprium Regnum reversi, annis viginti (usque ad annum 896.) immobiles in Regno permanserunt. Vigesimo autem primo anno 807. egressi, Bulgariam intraverunt, & inde Hydropolim (*Adrianopolim*) venientes, ipsa expugnata, Constantinopolim tandem obsederunt (*ubi duellum Græci cum Hungaro describitur*) Recedentes autem Hungari de obsidione civitatis, depopulati sunt totam Græciam, haurientes ex ea aurum, gemmas, & armenta infinita: sicque ad propria sunt reversi. Communitas itaque Hungarorum cum suis Capitaneis sive Ducibus, hæc & alia hujusmodi, usque ad tempora Toxum Ducis gessisse perhibetur. Porro Thoxum ge-

genuit Geycham & Michaëlem. Michaël vero genuit Calvum, Ladislaum, & Vazul. Geycha vero, divino præmonitus oraculo, Anno Dom. Incarn. nongentesimo sexagesimo nono, quemadmodum in Legenda S. Stephani Regis scriptum est, genuit Sanctum Stephanum Regem ex Sarholt filia Gyulæ. Hactenus Thuroczius.

Viden, ut Thuroczius, ab anno 897. ad annum 969. saltu plusquam giganteo progreditur? Sed neque, si Hungarorum prima in Pannonias irruptio ab anno 744. quo illam idem Thuroczius perperam collocat, in annum 889. quo revera contigit, transferatur, recte procedit distributa ab ipso in annos 63. (quot ab anno 744. ad 807. effluxere) Hungaricarum in varias Germaniæ, Galliæ & Italiæ incursionum narratio. Nam Primo, quæ Hungari ab anno 889. ad annum 911. gessere, sunt a nobis supra ex accuratis Scriptoribus recitata.

Secundo. Thuroczius perperam asserit, Uratislaum in Moravia & Bohemia regnasse: Moraviam enim post Zventibaldum patrem, tenuere filii Moymirus & Zventiboldus, deinde solus Moymirus ejecto fratre: uti supra dixi.

Tertio. Incursionem Hungarorum in Carinthiam, quæ anno 902. contigit, quando ii victi fugatique sunt, & alteram eorundem in Saxoniam & Thuringiam invasionem, qua Luitboldus & Burchardus Duces anno 907. cæsi fuere, Thuroczius unam eandemque facit, & pro Liutboldo *Gotfridum* Moraviæ, pro *Burchardo* Eberardum Carinthiæ Ducem substituit. Nimirum sequutus Andream Dandulum, qui in chronico hocipsum habet de Hungaris, sed suppresso Patriarchæ Aquilejensis nomine, idque inter annum 912. quo Ursus Particiacus Venetiarum Dux creatus est, & inter annum 921. quo Rodulphus Italiæ Regnum occupavit, factum narrat, in hæc verba. „ Hungari hoc (a) tempore Pannoniam ingressi, Moraviam „ & Bohemiam invadentes spoliaverunt, interfecto eorum „ Duce: postea dum Carinthiam invadunt, ultra castrum Leopater nomine, Dux Gotifredus Duxque Heberardus (b) „ cum Aquilegiensi Patriarcha illis occurrunt. In eo prælio „ uterque Dux occiditur; Patriarcha vero fuga salvatus est: „ ex

a Cod. Vat. MSS. 5286. fol. 79. pag. 2.
b Perperam apud Murat. Tom. XII. Rer. Ital. *Hardus*.

„ exinde ſpoliata Carinthia & Stiria, cum maxima præda „ Bulgariam ſpoliant „. In Catalogo Patriarcharum Aquilejenſium & Gradenſium ab anno 890. uſque ad annum 930. nullus occurrit Patriarcha *Gregorius*: ſed *Aquilejenſes* quidem (*a*) fuere *Fridericus* (*b*) *ab anno* 884. *ad* 897. *Leo* ad ann. 909. *Urſus* ab anno 932. *Gradenſes* (*c*) autem, *Victor*, ab anno circiter 878. *Georgius* anno 896. *Vitalis*, anno 897. *Dominicus* anno 900. *Laurentius* anno 908. *Marinus* anno 921. ad annum 953. Quum autem dicat Dandulus, Hungaris in Moraviam & Bohemiam ingreſſis, cæſum fuiſſe eorum *Ducem*: non *Uratiſlaum* Bohemiæ Ducem deſignat, uti male opinatur Thuroczius: nam Uratiſlaum in lectulo ſuo obiiſſe, Scriptores omnes rerum Bohemicarum tradunt: ſed *Moymirum* Moraviæ ultimum Ducem indicat, qui aut eodem anno 907. quo Luitpoldus & Burchardus, in bello Hungarico interiit, aut certe non multo poſt ſuperſtes fuit.

Quarto. *Conradus* poſt mortem Ludovici filii Arnulphi, anno 911. Rex Germaniæ electus, neque Cæſar fuit, neque in rebus Italicis aut Romanis ſeſe immiſcuit. Scriptores rer. Germanicarum neoterici errant, dum Ludovicos Germaniæ Reges, & Conradum & Heinricum Aucupem vocant *Cæſares & Imperatores*: non enim Imperiali corona donati fuere, neque a Romanis Pontificibus aut eorum juſſu ab aliis *Cæſares inuncti*. Hinc Pagius ad annum 912. num. 14. *electus itaque Conradus* (inquit) *qui oneri Reip. pares vires attulit. Goldaſtus Tom.* 3. *Conſtit. Imper. Ludovicum iſtum* (*Arnulphi filium, qui anno* 911. *obierat*) *quartum hujus nominis Imperatorem appellat, qua in re aliquos ſectatores habuit. Sed certum eſſe debet, nullum appellatum fuiſſe Imperatorem Romanorum, qui a Pontifice Romano coronam Imperialem non acceperit. Edictum de Ritu manumiſſionis, quod ipſemet pag.* 300. *in medium profert, ejus opinionem jugulat: in eo enim Ludovicus ait: Hludovicus Divina favente gratia Rex &c.* In fine: *Data* 11. *Kal. Jun. Anno Incarn. Domini* DCCCCVI. *Indict.* IX. *Anno Regni Do-*

a Ughell. Ital. Sacr. Tom. 5. pag. 42.
b Hic dicitur, Hunnis in Pannoniam delatis, regionemque Forojulienſem jam ingreſſis ita reſtitiſſe, ut hoſtibus victis, Italiam pacatam reddiderit.
c Ughell. Tom. 5. pag. 1107.

Domini Hludovici VII. Actum in Rotwila feliciter. Plura alia hujusmodi Ludovici Regis, filii Arnulfi, Diplomata referuntur apud Hundium in Metrop. Salisburgensi Tom. 1. & 2. in quibus Rex appellatur, & data diplomata dicuntur, Primum, Tom. 1. pag. 351. *Dat.* XIV. *Kalend. Februar. Anno Dom.* 900. (leg. 901.) *Ind.* IV. *Anno Regni Ludovici* (a) *primo*, *Act. in civit. Ratispona*. Secundum pag. 352. *Dat.* II. *Id. Aug. Anno Incarn. Dom.* 903. *Indict.* VI. *Anno Regni Ludovici Serenissimi Regis* (IV.) *Act. Ottinga curte Regia*. Tertium Tom. 2. pag. 20. *Dat.* XVII. *Kal. Mart. Anno Incarn. Dom.* 905. *Indict.* V. (VIII.) *Anno vero* VII. (VI.) *Regis Ludovici Act. Regino civit.* Quartum ibid. *Dat.* III. *Kal. Maji Anno Dom. Incarn.* 905. *Ind.* VIII. *Anno vero Regni Pii Regis Ludovici* VII. (leg. VI.) *Actum Regino civitate*. Hoc ipsum de Conrado Germaniæ Rege ostendit Pagius loc. cit. ubi probat & ipsum *Regem* tantum, non *Imperatorem* fuisse, & anno 911. Ludovico successisse. *Porro* (inquit) *quum Willelmus Heda in Hist. Episcop. Ultrajectensium pag.* 73. *refert Chartam Conradi Regis*, *quæ dicitur* data VII. Idus Julii, Anno Inc. Dom. 914. Ind. 2. Anno Regni Conradi gloriosissimi Regis tertio; *apparet*, *eum anno* 911. *post diem* IX. *Julii in solium Regium evectum esse*. Errat proinde Otto Frisingensis dum lib. 6. cap. XVI. de Conrado in locum demortui Ludovici Regis suffecto sic scribit: „ Anno ab Inc. Dom. 913.
„ Conradus, Conradi, quem Albertus occiderat, filius, con-
„ silio præfati Ducis Ottonis, consensu omnium, Orientalis
„ Franciæ Rex creatur. Errant quoque Lambertus Schafna-
„ burgensis & Sigebertus Gemblacensis, qui tam Ludovici obi-
„ tum, quàm Conradi inaugurationem ad annum 912. confe-
„ runt. Recte tamen Sigebertus de utroque Rege scribit: „ Lu-
„ dovicus Rex Germaniæ moritur, qui propter tyrannorum in
„ Italia insolentiam & multam malorum ingruentiam non me-
„ ruit Imperialem benedictionem. Cui succedens Conradus
„ regnavit annis VII. (*imo* VIII.) qui & ipse caruit benedictio-
„ ne Imperiali.

Quinto, *Liutharius* seu *Liutwardus*, Vercellensis Ecclesiæ Episcopus, quem Thuroczius *Liuthar* vocat eumque sub Con-

a Mortuo Arnulpho patre 3. Kal. Decemb. anno 899. successit filius Ludovicus 2. *Non. Febr. anno* 900. Vide Marianum Scotum.

rado Cæſare ab Hungaris occiſum aſſerit, ad annum 911. quo Conradus poſt Ludovici obitum Rex Germaniæ creatus eſt, non pervenit, ſed cædes ejus anno 901. facta eſt, ſcribente Reginone: „ Anno Dom. Inc. 901. gens Hungarorum, Lan-
„ gobardorum fines ingreſſa, cædibus, incendiis, ac rapinis
„ crudeliter cuncta devaſtat. Cujus violentiæ ac belluino furori
„ quum terræ incolæ in unum agmen conglobati reſiſtere cona-
„ rentur, innumerabilis multitudo ictibus ſagittarum periit,
„ quamplurimi Epiſcopi & Comites trucidantur. Ludwardus
„ Epiſcopus Vercellenſis Eccleſiæ, Caroli quondam Imperato-
„ ris familiariſſimus & conſiliarius a ſecreto, aſſumptis ſecum
„ opibus atque incomparabilibus theſauris, quibus ultra quam
„ æſtimari poteſt abundabat, quum effugere eorum cruentam
„ ferocitatem omnibus votis elaboraret, ſuper eos inſcius inci-
„ dit, ac mox interficitur: opes quæ ſecum ferebantur, diri-
„ piuntur.

Sexto denique, non Regnante Conrado primo, uti Thuroczius autumat cap. 25., ſed Ludovico Rege, Conradi deceſſore, & anno quidem ejus primo, Chriſti 901., Auguſtæ urbis obſidio, bellumque cum Hungaris ad Lichum fl. commiſſum contigit, quod ſupra ex Conrado Abbate Urſpergenſi deſcripſi: Quo quidem anno Ulricus, ſive Uldaricus, nondum erat Auguſtæ Epiſcopus, quemadmodum perperam aſſerit Thuroczius: is enim anno 908. in Monaſterio S. Galli Salomone hujus nominis III. Conſtantienſem Eccleſiam regente, eruditus, mox ab Adalberone Auguſtenſi Antiſtite anno 910. inſtructus, demum poſt Hiltini Epiſcopi obitum exeunte anno 923. Auguſtæ Epiſcopus ordinatus eſt, ſic ſcribente Gerardo (*a*) Presbytero in ejus vita num. VII. „ Poſt XV. annos defuncto Hil-
„ tino Epiſcopo, machinatione nepotis ſui Burchardi Ducis,
„ & aliorum propinquorum ſuorum, Heinrico Regi (*nempe*
„ *Germaniæ, qui Conrado ſucceſſerat anno* 919.) præſenta-
„ tus, ejuſque ſublimitati nota facta eſt deceſſio Epiſcopi, ſup-
„ plicatumque eſt, ut præfato domino Udalrico Epiſcopalis
„ poteſtas ab eo concederetur. Rex vero intuens hilaritatem
„ ſtaturæ illius, & comperiens doctrinæ ſuæ ſcientiam, petitioni
„ co-

a Apud Mabillon. Sæc. V. Benedict. & Pagium ad ann. 924. Num. 3. & 4. ubi legendum monet, *poſt* X. *annos Hiltino defuncto &c.*

„ eorum assensum præbens, Regio more in manus eum accepit, munereque Pontificatus honoravit. His vero ita peractis hilari animo de Rege revertentes, & ad Augustam pervenientes, secundum Regis edictum potestativa manu investituram Episcopatus sibi perfecerunt. Succedente vero tempore nativitatis Domini, in die solemnitatis Innocentum consuetudinario ritu ordinatio ejus peracta est „. Hinc Hermannus Contractus ad ann. 924. „ Sanctus Uldaricus Augustæ Vindelicæ Episcopus ordinatus, mira pietate & religione præfuit annis quinquaginta „: Nam annum a Nativitate Christi ubique inchoat.

XIII. Hansizii narratio de Hungarorum irruptionibus probatur.

Omissis igitur de Hungarica irruptione Thuroczianis commentis, juverit eam hoc loco ex Hansizii Commentariis ab anno 906. ad 912. summatim describere. Sic igitur Hansizius Tom. 1. Germ. sacr. pag. 183. & seqq. in Burchardo Pataviensi Episcopo. „ Anno 906. Ludovico Rege ex Conventu Triburiensi reduce, Burchardo Pataviensi, & Theodmaro Salisburgensi mandata fuit cognitio de querelis provincialium, quæ ob vectigalium intemperantiam extiterant. Isti conventu apud Rasfeleſtadium coacto, personam illic Regis sustinuere, tamquam viri, in quorum æquitate & sapientia universi acquiescerent: negotium vectigalium revocavere ad eas leges, quas olim Ludovicus & Carolomannus eo in genere sanciverat „. Quarum sententiam, quia ad Bojos, Bohemos, Slavos, Venedos, Moravos pertinent, ex Aventino accipe. „ Bojus salem domum transvehens, nihil pendit. Boji, Slavi, bobus, caballis, clitellis ut victum emant commeantes, immunes sunt. Naves Francorum nihil præstant. Venedi, qui de Rugiis Bojemis (a) mercandi gratia veniunt, de clitella scutatum unum tribuunt; de mancipio, caballis venditis, saicam unam. Venedi vero in Bojaria incolentes ementes, vendentes nihil tribuunt. Siquis ad Moraviam navigat, de nave solidum solvat „. Hinc colligitur, Bajoariam & Bohemiam incolentes, immunes fuisse, utpote Regi Ludovico immediate subjectos: secus Venedos, & Moravos, quibus adhuc proprii Duces præerant. Pergit Hansizius. „ His negotiis immorantem Burchardum, curæ belli cum Hungaris ge-

 „ ren-

a Fort. Bojemiam.

„ rendi adverterunt. Ludovicus Rex in annum sequentem „ (907.) expeditionem decrevit. Ad eam Episcopi Bavariæ „ omnes, (si Aventino fides) aggregavere sese. Promotus „ exercitus ultra Anasum amnem, Luitboldo Duce cum fre- „ quentissima Bojorum nobilitate. Rex cum Episcopo Bur- „ chardo apud Anasinam civitatem & S. Florianum substiterat: „ ubi xv. Kal. Jul. ad preces Dietmari Archiepiscopi, Luitpolt, „ & Isingrini Illustrium Comitum, ob devastationem Diœce- „ sis à paganis factam, Burchardo confirmavit Ottingam Epi- „ scopi proprietatem anno 907. Ind. 10. Regni Ludovici Invi- „ ctissimi Regis VIII. Actum ad S. Florianum „. Ergo tam Isingrinus Comes, quam Moymirus Moraviæ Dux, anno 907. xv.Kal.Jul. favore & gratia Ludovici Germaniæ Regis fruebantur. „ Exercitu adversum Hungaros (prosequitur Hansizius) „ educto, res infelicissime gesta est. Copiæ omnes triduana „ cæde confectæ. Hoste nempe vicino dormiebatur; quum „ post diem nonam Augusti manus Hungarorum, concubia no- „ cte Danubio tranato, sopitos invadit, & Ducem Luitpol- „ dum cum Isengrino & immani multitudine trucidat: quæ la- „ niena biduo sequenti continuata. Interiisse scribit Aventi- „ nus undeviginti Bojorum Dynastas, quorum nomina recen- „ set. In his ipse numerat Theodmarum Salisburgensem, Za- „ chariam Sabionensem, Attonem Frisingensem Episcopos: „ Burchardum Pataviensem absentia servavit, nam ad officium „ & consilia Regis Ludovici apud Anasum, quod jam dixi, „ restiterat „. Cladem istam ad annum 907. melioris notæ Scriptores conferunt (a), Regino continuatus, & Hermannus Contractus, atque uno consensu Chronographi Salzburgenses, excepto Canisiano, qui id ad ann. 902. adscripsit; quem falli certum est, ex pluribus diplomatum subscriptionibus, quæ post annum 902. *ad vicem Theodmari* factæ sunt, quorum diplomatum postremum est, quo Ludovicus Rex „ ob preces „ Dietmari Archiepiscopi, Luitpolt, & Isingrini illustrium Co- „ mitum, Burckardo Pataviensi confirmavit Ottingam Episco- „ pi proprietatem. Dat. xv. Kal. Jul. Anno 907. Ind. x. Regni „ Hludovici invictissimi Regis VIII. Actum ad S. Florianum „. Unde colligitur diploma datum esse tempore, quo fiebat expedi-

a Verba hæc sunt Hansizii Tom. 2. Germ. sacr. pag. 142.

ditio ſupradicta: neque enim conſtat Ludovicum Regem alio quopiam tempore apud S. Florianum, Monaſterium Anaſo vicinum, egiſſe. Quare & Annales Hildeſienſes erroris manifeſti ſunt, qui ad ann. 908. *Luitboldum Ducem cum aliis multis interfectum eſſe ab Hungaris* tradiderunt. Error autem irrepſit in Chronica Salzburgenſia, quæ quum ad ann. 907. recte referant „ Bavari ab Hungaris occiduntur, & Liutpoldus Dux pa- „ ter Arnolfi Ducis „ tamen ad ann. 897. notatum reliquerunt „ Dietmarum Archiepiſcopum, Ottonem, & Zachariam „ Epiſcopos in bello Ungarico occiſos eſſe „; quum certum ſit, iſtos eadem clade, qua Luitpoldum Ducem, interiiſſe. Videtur itaque peccatum librarii, literam numeralem x., ante poſtremum inſerentis, ſic, ut ſcripſerit, DCCCXCVII. loco DCCCCVII. Error etiam eſt apud Dukerum hiſtoricum Salzburgenſem, qui *Ottonem* vocat Epiſcopum Patavienſem, quum fuerit Friſingenſis.

„ Reliquiæ cladis (*a*) paucula ad Regem redierunt, „ quos ipſos Hungari inſecuti, Regem copias, quas retenta- „ rat, educentem ad pugnam callide prolectum in inſidias in „ nemore diſpoſitas, præcipitant, eique cum Epiſcopo Bur- „ cardo vix licuit ſalvo Bataviam fugere. Sed hoſtis in veſti- „ giis hærens, calente victoriæ terrore, ſolenne ſuum in op- „ pida, monaſteria, loca ſacra Bataviæ, quam late patet, „ exercuit. Enumerat ea buſta nominatim Aventinus, & cla- „ dem inter alia memorat Otingæ. Illud tamen Hundius ait, „ tota reliqua Bavaria per Hungaros miſere vaſtata, quin & re- „ liquis omnibus Otingæ ædificiis, ſolam ædiculam B. V. Ma- „ riæ ſingulari Dei providentia fuiſſe ſervatam. Sed hic an- „ nus (907.) initium modo calamitatum fecit: nam anni qui „ ſecuti ſunt, fecere eam peſtem propemodum familiarem. „ Hungari namque victoria anni ſuperioris elati, nova in Ba- „ variam incurſione Regnum Ludovici, ut ait (*b*) Sigeber- „ tus, ſub tributo redigunt (anno 908.) Saxoniam (*c*) & „ Thu-

a Hanſiz. Tom. I. pag. 185.

b Hæc apud Sigebertum ad ann 905. leguntur: Hungari ſuperioris anni victoria elati, Regnum Ludovici ſub tributo redigunt. Et ad ann 906. dicitur: *Hungari victos Græcos ſub tributo redigunt*. Et ad ann. 907. *Hungari Bulgares victos tributarios ſibi faciunt*.

c Regino continuatus ad ann. 908.

„ Thuringiam vaſtant. Rurſum anno inſequenti (nempe 909.)
„ Bavariam vectigalem emenſi pedem primum (*a*) in Ale-
„ maniam inferunt; eandem mox anno 910. repetunt. Apud
„ Auguſtam (*b*) Vindelicorum celebre commiſſum eſt præ-
„ lium, Ludovico rurſus fatale, miſerabili Svevorum & Bava-
„ rorum cæde, quam Liutprandus triſti leſſo perſequitur. Fu-
„ mabant omnia, & quod eatenus ſpiraverat, ab irritatis vi-
„ ctoribus exitio datum. Ergo nihil in Bavaria ſupererat, quod
„ in annum ſequentem haurirent. Itum igitur in Francos,
„ quos hodie Francones appellamus, qua regione eundem in
„ modum eraſa, cumulum malorum addidit Ludovici Regis
„ mors, quæ contigit ante menſem Julium anni 911., hærede
„ nullo relicto. Eo fato ſtirps Carolingica, quæ rerum eouſ-
„ que in Bojaria primum, deinde in cuncta Germania potie-
„ batur, exaruit. Germania ſibi Conradum legit Franconem.
„ Bavariæ limiti præpoſitus Arnolphus, Luitpoldi Marchionis
„ olim Orientalis filius, qui initium præfecturæ inſigni de Hun-
„ garis victoria conſecravit. Redierant enim anno 912. in Ba-
„ variam more ſuo; quos Arnolphus apud Oenum fluvium na-
„ ctus, internecioni dedit: triginta tantum, ut ait Hepidan-
„ nus, ad nuncium victoriæ ſervatis „. Hæc Hanſizius. Ve-
rum ad annum 912. continuator Reginonis ſic habet: *Hungari
iterum, nullo reſiſtente, Franciam & Thuringiam vaſtave-
runt*. Et ad ann. 913. „ Hungari partes Alemaniæ vaſtaverunt,
„ & juxta in (*oenum*) fluvium a Bavaris & Alemannis occiſi
„ ſunt „. Hoc ipſum ſcribit Marianus Scotus: „ Anno 913.
„ Ungari Alamanniam vaſtant: ſed a Bajoariis & Alamannis
„ maxima cæde ſternuntur „. Epidannus: „ Anno 913. Aga-
„ reni (ſic Ungros vocat) Alamanniam intraverunt. Erchan-
„ ger, & Pertholt frater ejus, & Vodalrichus Comes auxiliante
„ illis nepote eorum Arnolfo optimo Duce Bajoariorum, totum
„ exercitum eorum juxta Ine fluvium penitus occiderunt, niſi
„ XXX.

---

a Idem ad ann. 909. Hungari Alemanniam ingreſſi ſunt.

b Conradus Urſperg. ad ann. 901. At Regino continuatus ad ann. 910. „ Fran-
„ ci in confinio Bavariæ & Franciæ Hungaris congreſſi miſerabiliter aut victi aut fu-
„ gati ſunt: in quo prælio Gebelhardus Comes interiit, relictis duobus filiis ſuis
„ adhuc pueris, Udone & Herimanno, qui poſtea clari & nobiles in Francia exti-
„ terunt.

„ xxx. viros „. Sic & Annales S. Galli ad ann. 913. „ Ungri in „ Alamanniam: quibus per Bavariam redeuntibus, Arnolphus „ filius Liupoldi, & Erchanger cum Perahtoldo & Adalrico, „ cum eis pugnaverunt, & eos ſuperarunt „. Sigebertus vero tradit, Hungaros hujuſmodi cum Berengario fuiſſe fœderatos. „ Anno 915. (inquit) Hungari Berengario confœderati, „ Alemanniam vaſtant, & a Bajoariis & Alemannis graviter „ cæduntur.

XIV. Moraviæ Regnum poſt cladem Hungaricam incolume.

Communis eſt Scriptorum ſententia, Moraviæ Regnum ab Hungaris fuiſſe deletum. At circa annum, inter eos non convenit. Metenſis Annaliſta, ut ſupradictum eſt, ad ann. 894. rem indefinitam relinquit, ſic ſcribens: „ Circa hæc tempora „ Zventibolch Rex Marahenſium Sclavorum, vir inter ſuos „ prudentiſſimus & ingenio callidiſſimus, diem clauſit extre„ mum: cujus Regnum filii ejus pauco tempore infeliciter te„ nuerunt, Hungaris omnia uſque ad ſolum depopulantibus „. Ita & Porphyrogenitus Adminiſtr. Imp. cap. 41. „ Poſt hujus „ Sphendoploci mortem, anno uno in pace exacto, orto dein„ de diſſidio & bello civili, invadentes Turci, funditus eos „ (*Moravos nempe*,) exſtirparunt, regionemque eorum oc„ cuparunt, quam in hodiernum uſque diem (*ideſt, uſque ad* „ *ann. Chr.* 949.) incolunt: quæque ſupererat multitudo, „ diſſipata confugit ad finitimas gentes, nimirum ad Bulgaros, „ Turcos, Chrobatos, & ad reliquas nationes. *Et cap.* 42. A „ Theſſalonica uſque ad Danubium flumen, in quo urbs Bele„ grada, octo dierum iter eſt, ſiquis non feſtinanter, ſed in„ terquieſcens, proficiſcatur. Et habitant quidem trans Da„ nubium flumen Turci in terra Moraviæ, *ϰαὶ ϰατοιϰῦσι μὲν οἱ* „ *τῦρϰοι πέραθεν τῦ Δανύβεως ποταμῦ εἰς τὴν τῆς Μοραβίας γῆν*, „ atque etiam inter Danubium & Sabam fluvios, *ἀλλὰ ϰαὶ ἔνθεν* „ *μέσον τῦ Δανύβεως, ϰαὶ τῦ Σάβα ποταμῦ*. *Et cap.* 40. *de* „ *iiſdem Turcis dixerat*: A Pacinacis pulſi Turci & profugien„ tes, ſedes poſuerunt illic, ubi nunc habitant. In hoc autem „ loco antiqua quædam monimenta ſuperſunt, inter quæ Pons „ Trajani Imperatoris ad initia Turciæ: & Belegrada, quæ trium „ dierum itinere ab ipſo Ponte diſtat, ubi turris eſt Sancti ac „ Magni Conſtantini Imperatoris: & rurſus ad curſum fluminis „ extat Sirmium, quod Belegrada abeſt duorum dierum iti-

„ ne-

„ nere: inde magna Moravia baptiſmo carens, quam Turci „ deſeruerunt, cujuſque princeps olim fuit Sphendoplocus „. In Græco textu ſic legitur: *καὶ ἀπὸ τοῦ ἐκεῖσε ἡ μεγάλη Μοραβία ἡ ἀβάπτιστος, ἣν καὶ ἐξήλειψαν οἱ τοῦρκοι: ἧς ἦρχε τὸ πρότερον ὁ Σφενδοπλόκος*. Ubi Latinus Interpres, pro *deſeruerunt*, habet, *devaſtarunt*. Et *vaſtarunt* quidem, quando Turci in Moraviam irrupere: ſed eam vaſtatam, poſtea *deſeruerunt*, *dereliquerunt*, inde recedentes, aut potius a Bojis expulſi: nam teſte Reginonis Continuatore „ anno 944. Hungari a Carantanis tanta cæde maſtantur, ut nunquam a noſtratibus „ antea taliter infirmarentur „ & Hermannus Contractus ad annum antecedentem ſcribit: „ Ungari Bajoarios invadentes, pugna cum eis commiſſa, terga verterunt „: Epidannus quoque ad anno 943. „ Omnis Agarenorum (Ungrorum) exercitus a Bajoariis occiſus eſt. „ Chronicon denique Salisburgenſe ad ann. 942. Hungari in Bavaria in Trungau a Bertoldo Duce occiſi ſunt „. Hoc igitur proſpero armorum contra Hungaros ſucceſſu, quum quies & ſecuritas Pannoniæ trans, & Norico cis Danubium, qua parte Laureacum & Pataviam ſpectant, conceſſa eſſet, Agapitus Pontifex, deſertam ab Hungaris Moraviam paſtorali curæ Gerardi Laureacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi committit diplomate dato poſt menſem Junium anni 946. in quo, poſtquam Eccleſiam Laureacenſem olim per utramque Pannoniam fuiſſe Metropolitanam, ſede poſtea propter Hunnos deſerta honorem etiam Archiepiſcopalem deſertum narraſſet, de reſtituta nuper quiete ſic ſubjungit: „ Modo autem, mortalibus propitiante Chriſto, ab hoſtibus „ Sanctæ Lauriacenſis Eccleſiæ quiete, & inhabitandi ſecuritate conceſſa, non alibi quam ibidem, Fraternitatis tuæ Cathedram oportet haberi „. Tum ortam inter Herolſum Salisburgenſem & Gerardum Laureacenſem Archiepiſcopos circa Provinciæ Metropolitanæ fines controverſiam componens, Gerardo Orientalem Pannoniam, Hunnorumque, Moravorum & Sclavorum curam commendat, inquiens: „ Proinde diſtribuere atque determinare ita vobis Parochias, bonum & pacificum æſtimamus: ut diviſis duabus Noricæ regionis provinciis, Heroldo Archiepiſcopo, Occidentalis Pannoniæ cura committatur & cuſtodia; tibi autem, ſucceſſoribuſque

„ tuis,

„ tuis, propter emeritam antiquitatem Sanctæ Laureacensis „ Ecclesiæ, cui jure juniorum reverentia assurgit, in benedi- „ ctionis & sedis ordine prælatis atque præpositis, providen- „ tiam Orientalis Pannoniæ, regionemque Avarorum, atque „ Maraharorum, sed & Sclavorum, qui modo Christiani, vel „ adhuc per Baptisma Christo lucrandi sunt, circumquaque „ manentium, credimus; nostramque Apostolicam vicem in „ illis partibus prædicandi, & pro arbitrio vestro, ubi opus est, „ Episcopos constituendi, omniaque disponere atque ordinare, „ tali auctoritate atque potestate delegamus, ac si ipsi præsen- „ tes affuissemus „. In his literis decernit Pontifex, ut regio omnis, quam Danubius usque ad Dravi ostium stringit, item provinciæ Slavicæ & Pannonia ulterior ad Orientem porrecta, hoc quidem tempore partim a Christianis inhabitata, partim baptismo carens, ad Laureacensium ditionem spectarent. Atque hoc sibi vult Porphyrogenitus, dum magnam Moraviam, & Baptismo carentem vocat, & a Turcis, idest, Ungaris desertam. Nam, ut idem Purpuratus scriptor alibi dixerat, postquam Hungari Moraviæ Regnum occuparunt, pars Moravorum confugit ad vicinas gentes, Bulgaros scil., Turcos, Chrobatos, Bojos, Bohemos, & Polonos: pars in patria remansit Hungaris commixti, & plerumque baptismo carentes: Proinde ea Moravici Regni eversio non videtur facta per Hungaros nisi anno 907. quo, uti supra dictum est, exercitu Bojorum adversus Hungaros educto, res infelicissime gesta est, copiæ omnes triduana cæde confectæ. Aventinus lib. 4. Annalium Bojorum, eam cladem ad ann. 907. fusius enarrans, ex universis (inquit) Bojariæ provinciis vires fuisse adversus Hungaros contractas „ ex Nariscis, Boëthis, Chamabis, Vindelicis, No- „ ricis, Vennonibus, Athesinis, Stiriis, Venedis, Charinis, „ Carnis „: in bello autem cecidisse scribit præter *Liutpoldum* Austriaci limitis Ducem, XIX. alios dynastas, quorum hæc sunt nomina „ Piligrinus, Dietpoldus, Hebbo, Eysen- „ grinus, Hathecus, Bero, Rudmundus, Leitfridus, Wal- „ therus, Arebertus, Babo, Iringus, Gundboldus, Eysen- „ grinus, Hathocus, Meginwardus, Ratholdus, Eyscngri- „ nus, Albertus „. Moravos quidem silentio premit, eorumque Regem Moymirum non nominat. Verum quum *Ve-*

nedos, & *Eysengrinum* memorat, proculdubio illos ipsos intelligit, de quibus Hermannus Contractus ad ann. 901. scripsit: *Moimirus* & *Isauricus* (hoc est, Isingrinus) *cum Rege* (Ludovico scilicet) *reconciliantur*. Neque vero Ungari ex Orientali & inferiori Pannonia, in Bajoariam invadere, idque prælium ad Anasum fluvium committere potuissent, nisi per Moraviæ Regnum, in quo Hunnia seu Avaria continebatur, transiissent.

CAPUT VI.

Bulgarorum Reges Simeon & Petrus: Germanorum Conradus, & Henricus Auceps. Hungari factam cum Henrico ad novennium pacem rumpunt, & ab eodem profligantur. Idem Henricus Bohemos, Slavos, Abotritos, & Nortmannos subigit.

I. Commissum ab Hungaris cum Græcis & Bulgaris prælium.

SIGEBERTUS Gemblacensis ad annum 906. de Hungaris sic scribit: *Hungari victos Græcos sub tributo redigunt*. Et ad annum sequentem: *Hungari Bulgaros victos, tributarios sibi faciunt*. Utrumque falsum. Nam, ut supra narravi, *Hungari* quidem ab Imperatore Constantinopolitano adversus Bulgaros conducti, anno 889. *Arpade & Cusane ducibus*, trajecto Danubio, totam, ut scribit Leo Grammaticus, Bulgariam captivam fecere: verum accitis in suum auxilium Pacinacitis, Bulgari instaurato certamine, familias Hungarorum, qui ad regionis ipsorum custodiam remanserant, invadentes, omnino perdiderunt, ita ut Hungari e priori bello revertentes, regionemque suam desertam videntes, coacti fuerint in Pannonia sedes ponere. *Bulgari* vero quum in primo prælio succubuissent, in secundo adversus Græcos inito, victoriam reportarunt: id quod tamen ab anno 889. ad 893. factum, demonstravi, tametsi a Continuatore Annalium Fuldensium narretur ad annum 896. At vero certum est neque anno 906. Græcos victos ab Hungaris, neque anno 907. Bulgaros sub tributo ab iisdem Hungaris, uti Sigebertus asserit, redactos fuisse. Byzantini historici ad annum 934. Hungarorum impressionem in Græcum Imperium describunt. Cedrenus p. 629.

„ Men-

„ Menſe Aprili Indict. VII. Turci facta impreſſione, occidua „ omnia uſque ad Urbem populantur. Miſſus Patricius Theo- „ phanes Protoveſtiarius, cum iis pacem componit, Roma- „ no, ut captivos reciperet, nulli rei parcente „. Primam hanc Turcorum expeditionem vocant Continuator Porphyrogeniti in Romano Lacapeno num. 37. & Simeon Logotheta num. 47. Non igitur ullam aliam Hungari contra Græcos antea ſuſceperant: nam Gyla, qui Hungaris in Tranſylvania præerat, Græcorum amicitiam ſemper coluit. At Bulca-chan unacum Toxo eam, quæ ſupra narrata eſt, expeditionem adverſus Græcos ſuſcepit: quemadmodum Tomo ſequenti fuſius edisſeram.

II. Simeon Bulgarorum Rex Conſtantinopolim obſidet, & pace facta recedit.

Continuator Theophanis in Vita Alexandri Imperatoris, qui mortuo Leoni Sapienti fratri, menſe Majo die XI., anno Chr. 911. ſucceſſit, de Bulgaris ſic ſcribit: „ Simeon Bulgariæ „ Princeps, miſſis ad Alexandrum Legatis, de pace ſignificat: „ illi ſe ſtudere, ut & ſe ille demereatur ac colat, velut Leo- „ ne Imperatore. Alexander dementia ac inſipientia actus, „ Legatos contumelioſe dimittit, miniſque adhibitis, quibus „ incuſſurum ſe Simeoni terrorem exiſtimaverit. Soluta ergo „ pace, Simeon arma movere adverſus Chriſtianos ſatagebat „. Idem habent alii Scriptores Byzantini, Scylitzes fol. 51. pag. 2. Cedrenus pag. 608. Zonaras pag. 146. Simeon Logotheta in Alexandro num. 3., & Leo Grammaticus pag. 488. adduntque: „ Sexta Junii, anno 912., Alexander pranſus, lotus, & ine- „ briatus, a ſomno ad ludum pilæ ſe contulit: & oborto viſce- „ rum ob cibi ingeſti abundantiam & ebrietatem dolore, in „ Palatium reverſus, multo per nares & pudenda ſanguine „ egeſto, poſtridie deceſſit: tutoribus relictis Nicolao Patriar- „ cha, Stephano Magiſtro, Joanne Magiſtro & aliis, translato „ in Conſtantinum Leonis fratris filium Imperio „. Quam nactus Simeon Bulgarorum Rex occaſionem, recta cum univerſis copiis Conſtantinopolim contendit, & ſub menſem Auguſtum anno 912. urbem obſidione cingit: ſed pace utcumque confecta, præclariſque muneribus donatis, domum rediit. Cedrenus pag. 611. „ Dum hæc in Urbe geruntur, interim Simeon Bul- „ garorum Princeps gravi cum exercitu (*Auguſto menſe*) (*a*) „ in

(a) Simeon Logoth. num. 5.

„ in Romanorum ditionem invadit, & ad Constantinopolim „ venit, atque a Blachernis usque ad auream portam castra po- „ nit; magnamque spem conceperat urbis potiundæ. Sed ut „ certior factus est de murorum firmitate, & multitudine propu- „ gnatorum, & saxa jactantium, & machinarum balistarumque „ abundantia, repudiata spe, ad Hebdomum recedit, pacifi- „ cationemque poscit. Id fuit multo gratissimum tutoribus; „ missusque est a Simeone Magister ipsius Theodorus, & de „ pace habitum colloquium. Multis ultro citroque commuta- „ tis verbis, Patriarcha cum reliquis Tutoribus deducunt Im- „ peratorem in Blachernense Palatium: datisque idoneis obsi- „ dibus, eodem ad convivium Imperatoris Simeonem reci- „ piunt: ubi quidem caput Patriarchæ Bulgarus Princeps sub- „ misit, & ab eo comprecationem obtinuit, capiti (ut fertur) „ Simeonis imponente suum Epirrhiptarium ἀντὶ στεφάνου, „ loco coronæ (*a*). Post convivium, pacis (*b*) conditioni- „ bus compositis, Simeon ejusque liberi donati, domum „ abierunt.

III. Commissa a Simeone Bulgarorum Rege cum Græcis ad Acheloum pugna.

Pax ista anno tantum 913. duravit: nam anno sequenti rupta est, seu verius, continuatum bellum. Cedrenus pag. 611. „ Ceterum Simeone Thraciam populante, Augusta (*Zoe Constantini mater*) cum Proceribus consultat, quo pacto ejus „ impressiones compesceret. Ibi Joannes Bogas promittit, „ si Patricio honore insigniretur, se Patzinacas contra eum ad- „ ducturum: impetratoque quod petebat, acceptis donis, ad „ eos se confert, pactum icit, acceptisqae obsidibus, pollici- „ tis Patzinacis se Istro trajecto, bellum facturos. Adrianopo- „ lim autem Simeoni per plures dies frustra oppugnanti, Pan- „ cratucas quidam (*c*) Armenius, cui inter alios urbis ejus „ custo-

a Scylitzes fol. 52. p. 2. Epirrhiptarium calyptræ species, qua caput & humeri teguntur: Cucullus Monachorum & Præsulum Græcorum.

b Zonaras pag. 184. „ Sed quum ei (Simeoni) pacis conditiones displicerent, „ discessit sine pactionibus, muneribus & ipse, & ejus liberi donati „. Ita & Leo Grammaticus pag. 490. „ Simeon & ejus filii in patriam reversi sunt, ad invicem „ discordes ob prælatæ pacis conditiones. Non igitur rupta pax est anno sequenti: „ sed bellum continuatum.

c Simeon Logoth. „ Mense Septembri Indictione tertia, Pancutraces Armenius „ Adrianopolim Simeoni prodidit. Haud diu post missus Basilius Patricius cum mul- „ tis muneribus, eam recepit „. Errat in Indictione: nam anno 912. mense Septembri currebat Indictio *prima* non *tertia*. Pagius Simeonem Logothetam secutus, Adria-

„ custodia fuerat commissa, auro corruptus prodit. Paulo post „ missi ab Augusta Basilius Patricius Canicleo præfectus, & Nicetas Eladicus, eam (*a*) auro ac pecunia recuperarunt. „ Zoë porro continentes Simeonis incursiones non ferens, „ eumque reprimere cupiens, re cum Senatu deliberata, statuit pacem cum Saracenis componere, Orientalesque deinde omnes exercitus in Occidentem transportare: hisque cum „ Occidentalibus copiis conjunctis, bellum in Bulgaros movere, eosque exscindere. Proinde in Syriam missi Joannes Radenus Patricius, & Michaëlus Toxaras, pactum cum Saracenis icerunt. Augusta Saracenorum jam secura, militibus „ rogas (sic vocatur pecuniæ distributio) dari, Leonemque „ Phocam Magistrum ac Scholarum Domesticum exercitus in „ Bulgaros ducere jubet. Omnibus in unum conductis exercitibus ac cohortibus ad Diabasim (locus id nomen a transitu „ habet, estque planities ampla, & recipiendo exercitui sufficiens) Palatii primarius Sacerdos (ipsi Protopapam vocant) „ missus cum venerandis Lignis, omnes in genua procumbere „ jussit, & jurare, se usque ad mortem una perseveraturos. „ Dicto sacramento, in Bulgaros exercitus omnes moverunt. „ Cohortem Excubitorum ducebat Joannes Grapson, vir bellicosus, probatæque multis præliis virtutis. Cohortem Icanatorum dictam Olbianus Marules vir insignis: Romanus & „ Leo Argyri filii, ac Bardas Phocas aliis præerant cohortibus. „ Aderat iis & Melias Magister cum Armeniis plurimique „ alii provincialium Duces. Comitabatur etiam Constantinus „ Libycus Patriacus, veluti Consiliarius Leonis Domestici Scholarum. Sexto Augusti die (Indict. 2.) (*b*) pugna inter Romanos & Bulgaros commissa est ad Castellum Acheloum, „ pulsique & magna cæde prostrati sunt Bulgari. Ibi quum „ Domesticus Scholarum plurimo sudore madens, animoque „ desi-

Adriannpolim anno 914. a Bulgaris captam scribit, receptamque a Græcis. Verum quum mense Augusto anni 912. Simeon adversus Adrianopolim copias eduxisset, mensis Septembris, quo id factum narratur, ad eundem annum 912. spectat, non ad annum 914.

a Leo Gramm. p.491. „ Cum donis multis ad Simeonem missi sunt, qui urbem „ iterum in suam potestatem receperunt.

b Perperam apud Scylitzem, *Ind. V.* nam anno 914. mense Augusto adhuc in cursu erat *Indict. II.* Leo Grammat. pag.492. sic habet; *die Augusti* 20. *Ind.V.* utrumque falsum.

„ deficiens, ad quemdam fontem ex equo descendisset, ut „ sudorem elueret, ac se recrearet: equus forte abrupto vinculo se proripit, ac sessoris vacuus per exercitum discurrit. „ Quem ut agnovere milites, occubuisse Domesticum rati, „ metu animis consternatis, ab insecutione hostium destiterunt: quidam etiam retro sese averterunt. Quod ex sublimi cernens Simeon (neque enim effuse & ordinibus dissipatis fugam faciebat) suos Romanis immisit. Romani jam ante animos dejecti & paventes, hostem subito irruere videntes, statim terga dederunt. Fuga ea periculosissima fuit, „ aliis sese invicem conculcantibus, aliis ab hoste cæsis: Leo „ Domesticus fuga in Mesembriam evasit. Non multitudo tantum militaris tunc periit, sed & Duces innumeri, atque ordinum ductores. Occisus est etiam Constantinus Libycus, „ & Excubitorum Dux Joannes Grapson. Missus fuerat Romanus Lacapenus Patricius, rei navalis Drungarius, cum „ tota classe, jussus litus legere, & auxilio esse Leoni, & a „ Boga adductos ad opem Romanis ferendam Patzinacas trajicere. Ei cum Boga incidit contentio: quam animadvertentes „ Patzinacæ, domum redierunt, ad irritumque eorum reciderunt suppetiæ. Sunt qui aliam Romanis fugæ cladisque „ causam fuisse dicant. Etenim quum Simeonem Phocas pulsum persequeretur, subito ad eum fuisse allatum nuncium, „ Drungarium rei navalis cum universa classe abire, animo „ occupandi Imperii. Quo nuncio attonitum eum, ut qui „ summam rerum sibi deposceret, omissa insectatione hostium, „ in castra, veri discendi causa, rediisse: diditum ex eo rumorem, fugisse Domesticum: ideoque milites fortitudinis „ oblitos fugam fecisse. Simeonem, qui opportuno loco stans, „ exitum certaminis opperiebatur, hoc animadverso, effuse in „ Romanos irruisse, itaque victoriam iis pulsis cæterisque reparasse. Sive hoc, sive illo modo res gesta sit, Romani certe ea, quam retulimus, affecti sunt clade. Quumque superstites ei in urbem rediissent, Romani, & Bogæ agitata „ est controversia: eoque periculi deductus Drungarius, ut „ Judices ei oculos effodiendos esse pronunciaverint, quod ob „ incuriam, aut potius malitia ductus, Patzinacas non trajecisset, quodque ex fuga reversos, non ad se collegisset. Eru-

„ tique

„ tique fuissent ei oculi, nisi Stephanus Magister, unus Tutorum Imperatoris, & Constantinus Gongyles Patricius, qui apud Augustam largiter poterant, eum eripuissent. Simeon autem victoria elatus ac ferociens, ad urbem omni cum suo exercitu properavit. Rursum igitur Leo Phocas Scholarum Domesticus, & Joannes Hetæriarcha (sodalitatis Dux) ac Nicolaus Constantini Ducæ filius milites, quos tum in promptu habebant, adversus eum educunt: & apud Catasyrtas (loci hoc est nomen) in cohortem quandam Bulgarorum incidentes, prædatum egressam, eam adoriuntur, nulloque negotio profligant: mox recentem aliam ingruentem fortiter subsistentes, pugnam acrem ac diu durantem obeunt, Bulgarosque fundunt. Cecidit ea in pugna Nicolaus Ducæ filius heroice pugnans, qui & causam vincendi Romanis præbuit. Hic tum rerum bellicarum status erat „. Baronius num.4. & Cangius in Familiis Dalmaticis cap.6. num.20. commissam a Græcis cum Simeone Bulgarorum Rege ad Acheloum sive fluvium sive castellum pugnam, ad annum Chr. 917. eo conferunt, quod Leo Grammaticus pag.492. de ea sic scribit: „ Mense itaque Augusti die vigesimo, Indictione quinta, ad Acheloum fluvium Bulgaros inter & Romanos bellum commissum est „. Cetera ut supra ex Cedreno, & aliis. Verum tam in hoc Auctore, quam in aliis Byzantinis, *Indictiones* & *dies mensium* per hæc tempora corrupti: uti mox patebit, ubi de altera Constantinopolitana obsidione sermo erit.

IV. Res Constantinopolitanæ sub initia Imperatorum Romani Senioris, & Constantini Porphyrogeniti.

Cedrenus, postquam de Bulgarico, ut supra, bello disseruisset, pag.617. de Constantini Porphyrogeniti conjugio hæc habet: „ Quinta sacri jejunii septimana Imperator Helenam, Romani filiam, arrha data sibi conjugio copulat: ac tertia Galilææ, cum ea coronatur a Nicolao Patriarcha: & Romanum Imperatori patrem designat, Hetæriarchæ dignitatem pro eo in filium ejus Christophorum transferens. *Et pag.619.* Septembris mensis die 24. Romano Cæsaris dignitas delata est: & mense Decembri, Imperatorio est redimitus diademate a Patriarcha Nicolao, permissu Imperatoris: coronatus autem die sacrorum Luminum, uxorem quoque suam Theodoram coronat, & mense Majo, die Pentecostæ sacro, filium etiam suum Christophorum „. Hæc totidem verbis Scy-

Scylitzes fol.55. Simeon quoque Logotheta : „ Mense Aprili „ (inquit) nuptialis contractus arrhabo a Constantino Imper. „ Helenæ Romani filiæ traditur, tertioque Galilææ (*hebdomadæ scil. Paschæ*) nuptiales corollas a Nicolao Patriarcha „ recipit. *Et post pauca* : Mensis Septembris die 24. Romanus „ Cæsaris dignitate ornatur: mensisque Decembris die 17. Indict.8. anno 6458. a Constantino & Nicolao Patriarcha, Augustali corona donatur: eodemque die ejusden mensis, Indict. 8., Christophorus Romani Imperatoris filius Imperator declaratus, ipse quoque die sancto Pentecostes ab Imp. „ Constantino Augustus appellatus „. Zonaras longe clarius pag.187. „ Romani porro filia Helena Imperatori Constantino „ desponsa, tertia feria Paschatis nuptiæ celebratæ sunt. Romanus vero vigesima quarta die Septembris, ad Cæsaris dignitatem est evectus, & in Decembri, Imperiali diademate „ ornatus a Patriarcha Nicolao, permissu Constantini scilicet. „ Romanus Lacapenus iis honoribus non contentus, paulo post „ uxorem quoque suam Theodoram diademate ornat: deinde „ & filium Christophorum „. Proinde an. quidem 919. die 27. April. feria tertia Paschæ nuptiæ Constantini & Helenæ celebratæ, & Romanus factus Βασιλειοπάτωρ, & filius Christophorus Hetæriarches: die 24. Septem. idem Romanus creatus Cæsar: die 17. Decembris, idem Romanus coronatus Imperator, ejusque filius Cæsar: Anno vero 920. Theodora Romani uxor die 6. Junii Augusta coronata: mense autem Majo, in die Pentecostes, Christophorus coronatus Imperator Augustus. Quamobrem loco anni Mundi 6458. (uti perperam legitur apud Simeonem Logothetam) reponendus annus 6428. a Kalendis Septembris anni 919. inchoatus. Leo Grammaticus pag.495. „ Julio mense, Indict. 8. (*adeoque anno* 920.) die Dominico, „ totius Ecclesiæ a Romano inita est concordia, cunctis Metropolitis & Clericis, qui a Nicolai & Euthymii partibus „ divisis steterant, animis (*propter quartas Leonis Imperatoris* „ *nuptias*) in consensionem redeuntibus „. Duravit ea divisio per annos xv., ab anno scil. 906. quo Zoë a Leone Imper. cum solemni pompa uxor accepta. Incertus Continuator Theophanis in Vita Romani Lacapeni num.9. „ Mensis Februarii „ die 20.. Ind. 10. (*anno* 922.) Theodora Romani conjux „ mori-

„ moritur. Eodem mense coronatur Sophia Christophori Im-
„ peratoris uxor.

V. Aliud Bulgarorum sub Simeone adversus Græcos prælium: & pax deinceps sancita.

Hæc præmittenda fuere, ut Bulgarici belli, quod mox narrabitur, epocha confirmetur. Scylitzes & Cedrenus post relatam Græcorum Præsulum circa quartas nuptias dissidentium concordiam anno 920. initam; ante Theodoræ Augustæ obitum, qui anno 922. contigit, Bulgaricam incursionem sic describunt. „ Mortuo Adralepto Scholarum Domestico, Pothus
„ Argyrus sufficitur. Is, Bulgaris grassando usque ad Catasyr-
„ tas progressis, copias contra eos educit: castrisque ad Ther-
„ mopolim positis, Michaëlum cohortis Præfectum, Patricii
„ Moroleonis filium, speculatum emittit: qui improviso in
„ Barbaricas delapsus insidias, quum fugæ locus non esset,
„ vim parat: multisque Bulgaris dejectis ac pulsis, accepto
„ lethali vulnere, Constantinopolim redit, pauloque post
„ moritur „. Et post detectas compressasque, quæ structæ fuerant in Romanum, insidias: „ At Simeon iterum magnum
„ contra Romanos emittit exercitum, Duce Chagano, uno
„ suorum procerum, & Minico equisonum Principe; mandat-
„ que, ut recta ad urbem contendant. Romanus de eorum
„ adventu certior factus, metuensque, ne ii pulcherrima urbi
„ propinquorum locorum palatia & ædificia incendio vasta-
„ rent, Joannem Rectorem cum Leone & Potho Argyris ob-
„ viam ire jubet, exercitum ducentes validum ex Imperato-
„ riis sodalitatibus & cohortibus aliis contractum. Adfuit iis
„ etiam Alexius Patricius & Drungarius rei navalis, & Mose-
„ les cum suis. Quinta jejuniorum septimana, exercitu in pla-
„ nitie Pegarum instructo substiterunt. Ibi Bulgaris se subito
„ prodentibus, & obscura cum vociferatione ac magno impe-
„ tu irruentibus, Rector Joannes fugam facit: ac Patricius
„ Photinus Platypodis filius pro eo pugnans, aliique haud
„ pauci obtruncantur. Rector ægre servatus, in celocem eva-
„ sit. Idem facere volens Alexius Drungarius, quum ascende-
„ re nequiret, de scalis celocis in mare decidit cum Proto-
„ mandatore, & suffocatus est. Leo & Pothus Argyri in ca-
„ stellum fuga se receperunt. Reliqua multitudo partim ho-
„ stium manus dum effugere volunt, in mare pereunt, alii
„ ferro necantur, quidam capiuntur. Bulgari nemine prohi-

„ bente, Pegense Palatium, totumque Stenum incendio vastant „. Mox recitata ad Februarium anni 922. Theodoræ Augustæ morte, pergit: „ Rursum deinde Bulgari impressione facta, usque ad Palatium Theodoræ Augustæ pervenerunt, idque nemine defendente cremaverunt. Romanus convivio sumptuose instructo, ad id Duces militiarum ordinum vocavit, interque hos Sacticium cohortis Excubitorum Præfectum. Procedente Convivio, illatus est de Bulgaris sermo: & Imperatore multa ad calefaciendos animos, adque virtutem concitandos idonea locuto, cohortatoque eos, ut fortiter in hostem irent, ac pro sua propugnarent patria, universi alacrem suam operam in defendendis Christianis promiserunt. Postridie prima luce armatus Sacticius Bulgaros a tergo subsecutus est: ingressusque eorum castra, plerisque prædatum per agros vagantibus, omnes qui in castris erant, occidit. Ex iis qui effugerant Bulgari re cognita, in castra redeunt, commissaque pugna, ipsi integri viribus defatigatos antegresso prælio Romanos fundunt, Sacticio cum paucis aliis eorum impetum fortiter sustinentibus. Atque is quum aliquandiu præclare pugnasset, multosque hostium dejecisset, quum premeretur, equo habenas laxat, ac fugæ se dat. In cujusdam autem amnis transitu equus in cœno quum hæsisset, Bulgari eum assequuntur, vulnusque in anum & femur mortiferum accipit. Equo tamen è cœno evulso industria famulorum, atque iis modo fugientibus, modo ad ingruentium Bulgarorum depulsionem se vertentibus, usque ad Blachernas evadit: positusque in templo τῆς ἁγίας σορῦ, Sancti (*a*) *Loculi*, proxima nocte vitam cum morte commutat, magno luctu non Imperatori modo, sed & universo exercitui ac populo Romanorum relicto „. Narrata deinde Barbæ Boilæ, Adriani Chaldæi & Tatzatæ Armenii in Chaldia defectione per Joannem Curcuam Scholarum Domesticum, Cæsareæ tum degentem compressa, prosequitur pag. 622. „ Interim.

a Interpres Latinus, *Sancti Sepulcri*: non recte. In templo enim Blachernensi non erat *Sepulcrum Domini*; sed Deiparæ *Palliolum*, de quo Continuator Porphyrogeniti in Romano Lacapeno num. 15. „ Veniens autem Imperator cum Nicolao „ Patriarcha, in sacrum ingressus Loculum, manusque in preces extendit „. Et mox: „ Sacra igitur reserata Arcula, in qua venerandum Sanctæ Dei Genitricis „ Palliolum ὠμοφόριον, repositum erat, eoque Imperator sublato, Cetera.

„ terim Simeon Bulgarorum Princeps Adrianopolim vallo fossaque cingit & obsidet, ac magno studio oppugnat. Præerat ei urbi Leo Patricius, quem ob præproperum in hostes impetum, vocabant Moroleonem, quasi stultum leonem. Is oppugnationem fortiter sustinebat, & modo Bulgaros irruentes de muro profligabat, modo portis apertis, in eos acerrimum impetum dabat, facileque pellebat. Sed oppidani cibo deficiente, ac fame graviter premente, quum alimentorum aliunde parandorum spes nulla affulgeret, penuria moti, urbem, se, ducemque Bulgaris tradiderunt. Simeon Leonem nactus, & recordatus, quanta is mala Bulgaris intulisset, innumeris suppliciorum formis excruciatum, tandem acerba morte necavit: Bulgaricoque in urbe relicto præsidio discessit. Hoc præsidium audito contra se venire Romanum exercitum, urrbe relicta fugit: atque sic Adrianopolis a Romanis est recepta. Mense Septembri, Indictione secunda (*lege* (*a*) XII.) Simeon Bulgarorum Princeps cum omnibus copiis expeditionem contra Constantinopolim (*b*) suscipit: populatusque Macedoniam, & in Thraciam incendiis grassatus, obviis quibusque vastatis, proxime Blachernas castra ponit. Inde postulat, ut ad se mittantur Nicolaus Patriarcha, aliique Procerum, de componenda pace collocuturi. Datis mutuo obsidibus, ut ab insidiis omnia tuta essent, ac Patriarcha juramentis fidente, quæsitum est, qui Senatores cum eo exire deberent. Delecti Patricius Michaëlus Stypiota, & Joannes Mysticus ac tum gubernandarum rerum socius: (Nam Joannes Rector apud Imperatorem delatus criminis, jam tum Palatio discesserat, inque suo Monasterio Monachus factus erat:) Quum Legati ad Simeonem venissent, ac de pace essent collocuti, ita eos Bulgarus dimisit, ut ostenderet, se ipsius Imperatoris congressum expetere, quem pro certo habebat, virum esse prudentem atque veracem. Pergratum id fuit Romano, misitque illico,

a Nam supra pag. 621. antecesserat Theodoræ Augustæ mors *die* 20. *Febr. Ind.* x. & sequitur pag. 624. mors Nicolai Patriarchæ *die* 15. *Maii, Indict.* XIII.

b Hanc Constantinopolitanam obsidionem a Simeone Bulgarorum Rege factam, Thuroczius Par. 2. cap. 26. perperam ad suos Hungaros traducit, quibus & Adrianopolim captam tribuit, quam urbem ipse Hydropolim vocat: idque factum Toxo Duce asserit, patre nimirum Geysæ, patris Sancti Stephani Regis Hungarorum.

„ qui in litore Coſmidii in mare tutiſſimum egreſſui è nave locum pararent, ut eo Imperatoria triremis appellere poſſet. Eum undique munitionibus circumdedit: ac in medio juſſit tabulatum attolli, in quo erant collocuturi. Interim Simeon miſſis ſuis, Templum Deiparæ, τὸν ἐν τῇ πηγῇ, in Pege (*ad Fontem*) incendit, a Juſtiniano conditum. Sed & vicina circum omnia igne vaſtabat: ſatiſque apparebat, pacem ei cordi non eſſe. Romanus cum Patriarcha templum Blachernenſe, & ἐν τῇ ἁγίᾳ σορῷ Sanctum Loculum ingreſſus, Deum comprecatus, accepto Deiparæ (a) Humerali, τὸ ὠμοφόριον τῆς θεοτόκου λαβὼν, templo exiit. Quumque & ſe diligenter armaſſet, & comitatum ſuum decenter ornaſſet, ad definitum locum ſe contulit. Acta hęc nona die Decembris. Eodem venit & Simeon, adducens variis ordinibus, ac formis multitudinem diſtinctam: alii namque erant aureis ſcutis ornati, & aureis haſtis; alii argenteis clypeis, alii æreis, alii aliorum colorum, prout cuique viſum fuerat: Ii in medium ſui Simeonem recipiebant, ac Romana voce Regem conſalutabant. Omnes Proceres, & Civium multitudo, quæ gererentur, de muris ſpectabant. Prior Romanus locum exſcenſionis dictum occupavit, & Simeonem expectavit. Datis ultro citroque obſidibus, Bulgari quum locum diligenter perveſtigaſſent, nequis dolus aut inſidiæ laterent, Simeonem equo deſcendere juſſerunt, & ad Imperatorem intrare. Ibi quum ſe mutuo conſalutaſſent, de pace colloqui cœperunt. Ac ferunt Romanum hæc verba ad Bulgarum feciſſe: Hominem te eſſe Chriſtianum & pium audivi; ſed facta tua famæ minime reſpondent. Si enim revera es Chriſtianus, finem tandem fac cædium, & fundendi ſanguinis inſontis, pacemque cum nobis Chriſtianis Chriſtianus & ipſe compone, neque fac, ut dextræ Chriſtianorum polluantur ſanguine eundem Chriſtum colentium. Homo & ipſe es, mortem opperiens, & reſurrectionem, & judicium, ac dignam vita acta mercedem. Hodie vivis, & cras in pulverem diſſolveris. Si divitiarum cupiditas te ad hæc agenda impellit, ego ad ſatietatem uſque te iis opplebo. Tantum pacem amplectere, & concordiam dilige, ut ipſe quoque vi-

„ tam

---

a Vide ſupra in not. ad ἁγίαν σορὸν,

,, tam pacatam degas ac incruentam, & tandem Christiani de-
,, sinant contra se invicem arma ferre. His verbis, hacque
,, submissione Imperatoris ad verecundiam ductus Simeon,
,, promisit se pacem facturum: & peracta salutatione discessum
,, est, quum quidem magnificentissima dona Simeoni Impera-
,, tor dedisset. Dignum est relatu prodigium, quod tunc ac-
,, cidit. Nam ferunt, colloquentibus Principibus, duas Aqui-
,, las supra eos volitasse, & cum clangore se conjunxisse: mox-
,, que divulsas fuisse, ita ut altera ad urbem, altera in Thra-
,, ciam avolaret. Id, qui augurio aliquid tribuebant, signum
,, inauspicatum interpretati sunt, & infecta pace discessum iri
,, judicarunt. Simeon ad suos reversus, Proceribus modera-
,, tionem Imperatoris & liberalitatem narravit.

VI. Simeonis infelix cum Chrobatis prælium. Ei mortuo succedit filius Petrus Bulgarorū Rex: qui contractis cum Maria Christophori Cæsaris filia nuptiis, fœdus cum Romano Seniore & Constantino Porphyrogenito firmat.

Demum pag. 625. Majo (a) mense, Indictione xv.
,, Simeon Bulgarorum princeps in Chrobatos duxit; ab iisque
,, in angustiis montium prælio victus, omnem suum amisit
,, exercitum. Morte ejus, Bulgariæ dominium ad Petrum re-
,, diit, filium ejus ex secunda uxore, sorore Georgii Susurbu-
,, li, quem & tutorem suis liberis Simeon constituit. Nam Mi-
,, chaëlum idem ex priore sibi natum conjuge, vivens adhuc,
,, monachum fecerat. Vicinæ igitur gentes, Turci, Servi,
,, Chrobatæ, atque alii, audita Simeonis morte, Bulgaros bel-
,, lo petere statuebant. Sed & fame graviter premebantur Bul-
,, gari, & locustæ fruges eorum depopulabantur atque absume-
,, bant. Itaque Bulgaris cum aliarum gentium, tum Romano-
,, rum præcipue in se expeditionem metuentibus, Petrus re
,, cum suis deliberata, in Romanos bellum suscipit, ut iis ter-
,, rorem incuteret. Quumque in Macedoniam pervenisset, au-
,, dito, Imperatorem Romanum contra se cum exercitu profi-
,, cisci, ipse, & Georgius liberorum Simeonis tutor, occulte
,, Monachum cum literis mittunt, quibus continebatur, cu-
,, pere Bulgaros cum Romanis pacem ac fœdus conjungere: ac,
,, si Romanis ita videretur, nuptiis inter gentes contractis id
,, firmari. Iis literis acceptis, Romanus quum rem quamma-
,, xime probaret, statim celoce emisit Theodosium quemdam
,, Mo-

a Incertus continuator Porphyrogeniti in Romano Lacapeno num. xx. hoc ipsum habet de Simeonis morte: & num. xxii. & seq. de Petro Rege Bulgaror. ejusque cum *Maria Imperatoris filia* nuptiis.

„ Monachum & Conſtantinum Rhodium Clericum aulicum,
„ qui in Meſembria cum Bulgaris de pace colloquerentur. Quo
„ in colloquio quum res commode eſſet tractata, legati per
„ continentem in urbem redierunt, comitante Stephano, cu-
„ jus magnum erat inter Bulgaros nomen; eoſque ſubſecutus
„ eſt Georgius Suſurbulus, aliique illuſtres aliquot Viri. Hi
„ ut cum Imperatore congreſſi, filiam Chriſtophori Cæſaris
„ (*a*) Mariam viderunt, eamque (erat enim formæ præſtan-
„ tiſſimæ) magnopere probaverunt: pacta pace, Petrum miſ-
„ ſis literis abſque mora venire juſſerunt. Miſſus eſt etiam Ni-
„ cetas Magiſter, filii Romani Socer, qui Petro obviam iret,
„ eumque Conſtantinopolim deduceret. Ubi ad Blachernas
„ venit Petrus, Imperator triremi eodem vectus, eum exce-
„ pit, ac ſalutavit, & honorifice tractavit: iiſque inter ſe uti
„ ex re erat collocutis, pacta pacis & Matrimonii compoſita
„ ſunt, in omnibus iis Protoveſtiario Theophane medium ſe
„ ferente. Octobris die octava, Patriarcha Stephanus cum
„ Protoveſtiario Theophane & univerſo Senatu egreſſus, con-
„ jugium Petri & Mariæ in Templo Deiparæ τῆς πηγῆς ad Fon-
„ tem, ſacrum fauſtumque eſſe juſſit. Sponſam comitantibus
„ Theophane & Suſurbulo, Nuptiis magnifice & ſumptuoſo
„ cum ſplendore confectis. Protoveſtiarius cum filia Cæſaris
„ urbem intravit. Tertium a nuptiis convivium inſtituit Impe-
„ rator ad Fontem in loco, ubi e navibus exire ſolebant, ſtan-
„ te Imperatoria celoce in eo loco; adhibuitque convivio Pe-
„ trum, Conſtantinum Imperatorem, ac Chriſtophorum. Ibi
„ haud leviter tumultuati ſunt Bulgari, Chriſtophorum Con-
„ ſtantino in fauſtis acclamationibus præponi debere conten-
„ dentes, eorumque petitioni Imperator morem geſſit. Omni-
„ bus peractis quæ in tali re fieri ſolent, Maria cum ſuo marito
„ ſolvit, & in Bulgariam iter iniit, deducta a parentibus & Pro-
„ toveſtiario uſque ad Hebdomum. Hoc pacto res in urbe actæ.

VII. Series Bulgarici belli; & reliqua ad Simeonem ejuſque filios ſpectantia.

Rerum narratarum ſeries poſtulat, ut nunc tandem ſuo quæque anno adſcribantur. Prima igitur Bulgarorum impreſſio uſque in Palatium Pegenſe, in qua Joannes Rector, Leo, & Po-

a Male vocatur a Cedreno *Cæſar* Chriſtophorus: jam enim antea *Imperator* coronatus fuerat. Rectius proinde Continuator Porphyrogeniti in Romano Lacapeno num. XXII. & XXIII. τὴν θυγατέρα βασιλέως Χριστοφόρου Μαρίαν appellat.

Potus Argyri fuga evaserunt, Photinus & Alexius periere, *ad ann.* 921. referenda est. Obsidio autem Constantinopolitana, Adrianopolis oppugnatio, colloquium Simeonis cum Romano Imp., & pax inter utrumque firmata, hæc, inquam, omnia a mense Septembri Indictione XII. anni 923. ad mensem Decembrem ejusdem anni contigere. Mors vero Simeonis Bulgarorum Regis *mense Majo die* 27. *Indict.* XV. *anno* 927. A Petro denique filio Simeonis, cui in Regnum successit, pax cum Græcis composita, & nuptiæ ejusdem cum Maria Christophori filia in Pegana Deiparæ Ecclesia celebratæ *die* 8. *Octobris ejusdem anni* 927. *Indictione* I. a Kalendis Septembris inchoata. Hinc recte advertit Pagius ad ann. 917. num. IV. & ad annum 927. num. VI. in Leone Grammatico, Simeone Logotheta, Cedreno aliisque Auctoribus Græcis *Indictiones* per hæc tempora esse corruptas: „ quod evidenter (inquit) ostendit mors Nicolai „ Patriarchæ quam consignant die 15. mensis Maji, Indict. III. „ quamvis ex eorum calculo constet, eum Indict. XIII. animam Deo reddidisse, anno scil. 925. Quare quum hi Scri„ ptores hanc Bulgaricam irruptionem (*Constantinopolitanam* „ *scil. obsidionem*) immediate ante mortem Nicolai referant, „ certum est, eam non *Indict.* II. sed *Indict.* XII. contigisse. „ Quod etiam ostendunt quæ antea ab illis narrata sunt. Nam „ antequam de illa Bulgarica irruptione verba faciant, ajunt, „ *Februario mense Indictione* X. Theodoram Romani Impera„ toris uxorem mortuam esse. Quare quæ sequitur, Indictio „ fuit XII. non vero secunda. Adhæc narrata Nicolai morte, „ memorant statim Indictionem XV., ideoque obiit Nicolaus „ Patriarcha *Indict.* XIII. non vero *Ind.* III., uti Combefisius „ in margine ad Annales Simeonis Logothetæ pag. 485. ubi de „ Nicolao loquitur, perperam notavit „. Cangius igitur in Familiis Dalmaticis cap. 6. num. XX. quum ad hanc Indictionum in Auctoribus Byzantinis corruptionem animum non advertisset, obsidionem Constantinopolitanam pacisque tractationem cum anno Chr. 928. Ind. II. a Kalendis Septembris notato copulavit; quum tamen Nicolaus Patriarcha qui colloquio de pace interfuit, triennio antea vivere desiisset: Simeonis insuper Bulgariæ Regis mortem, & Bulgarorum cum Græcis pacem in *ann.* 932. male differt, & in *Ind.* V., quum tamen certum esse debeat, Simeon-

meonem *menſe Majo*, *currente Indictione* xv. mortuum eſſe, & conjugium illud Petri cum Maria *menſe Octobri Indictione prima* inchoata, peractum.

Luitprandus lib. 3. cap. 8. de Simeone Bulgarorum Rege hæc ſcribit :,, Hunc Simeonem ἡμίαργον *ideſt*, Semigræcum eſſe ,, ajebant, eo quod a pueritia Byzantii Demoſthenis Rethoricam ,, Ariſtotelisque Syllogiſmos didicerit. Poſt hæc autem relictis ,, artium ſtudiis, ut ajunt, converſationis Sanctæ habitum ,, ſumſit. Verùm paulo poſt regnandi cupiditate deceptus, ex ,, placida Monaſterii quiete ad ſeculi procellam tranſiit, elegit- ,, que potius apoſtatam Julianum, quam beatiſsimum Petrum ,, cœleſtis Regni clavigerum imitari ,, . Sigebertus ad annum 926.,, Simeon Bulgar, qui & ex philoſopho Monachus, ,, ex Monacho miles factus, dominabatur Bulgaris, Græcos ,, graviter atterit; ſed Romanus Græcorum Imperator ejus ,, inſaniam facto fœdere mitigavit ,, . Nimirum, ita, uti ſupra ex Byzantina Hiſtoria narratum eſt. Bis nuptias iniit; ac ex priore quidem conjuge prodiit *Michaël*, quem monachum attondit. Ex altera, quæ ſoror fuit Georgii Suſurbuli, quem & tutorem liberis ſuis Simeon conſtituit, nati *Petrus*, qui patri in regiam dignitatem ſucceſsit: *Joannes*, & *Michael*, quem *Beniaminum* vocat Anonymus Combefiſianus. Addunt Liutprandus l. 3. c. 8. & Albericus in Chron. MSS. ad annum 967. alium præterea Simeonis filium *Bajanum* (qui fortaſſe *Beniaminus* Combefiſiani eſt) qui adeo didiciſſe artem magicam ferebatur, ut ex homine lupum & quamcumque aliam vellet feram faceret. Teſtatur *Joannes Aſanes* Bulgarorum Rex in Epiſtola ad Innocentium III. Papam pag. 54. Actorum ejuſdem Pontificis, *Simeonem*, *Petrum*, *&* *Samuelem*, Bulgariæ Reges ,, coro- ,, nam Imperii, & Patriarchalem benedictionem a Sanctiſsima ,, Dei Romana Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede, ac Principe ,, Apoſtolorum Petro accepiſſe ,,. Recole a nobis obſervata ſupra hoc T. 3. Par. 1. c. III. Sect. XIII. ubi de Bulgariæ Rege, & Archiepiſcopis a Græcorum Eccleſiaſtica juriſdictione ad Romanam Eccleſiam ſub Simeone Rege confugientibus. Quæ vero Porphyrogenitus de Serviis & Chrobatis, deque Preſiamo, Michaële Boriſe, & Simeone Bulgarorum Regibus cap. 31. & 32. narrat, ea recitabo, ubi de Dalmatia & Illyrico ſermo erit.

Ad

VIII. Hungarorum irruptiones post Conradi Germaniæ Regis obitum. Seditiones in Bajoaria, & Germania.

Ad Hungaros redeo. Anno 915. Continuator Reginonis. Ungari totam Alemanniam igne & gladio vastaverunt; sed Thuringiam & Saxoniam pervaserunt & usque ad Fuldam Monasterium pervenerunt anno 916. Et anno 917. Ungari per Alemaniam in Alsatiam & usque ad fines Lothariensis Regni pervenerunt. Hermannus Contractus ex editione Canisiana ad hunc annum: „ Ungarii pervasa, ut cæperant, Alamannia, Basileam „ urbem destruunt; indeque Alsatia vastata, Lotharii Regnum „ multa mala facientes, invadunt „. Sed quod de Basilea dicitur, id ad annum 918. conferunt Conradus Urspergensis & Marianus Scotus: quo anno *Conradus Rex Germaniæ* obiit, & Henricus Saxo Rex electus est, ut scribunt Hepidannus in suis Annalibus, Chronographus S. Galli, Hermannus, & Marianus Scotus, qui addit Conradum obiisse x. *Kal. Januarii*: proinde a Conrado Urspergensi & a Continuature Reginonis, mors ejusdem Conradi ad annum 919. refertur: utpote qui a Nativitate Domini, quam biduo obitus Conradi antecessit, annum inchoare solent.

Seditiones in Conradum Regem excitatas describit ex Francorum Annalibus Hansizius Tom. I. pag. 187. his verbis: „ Primum Erchangerus cum fratre (*a*) Burchardo Alemaniam „ invaserunt. Saxones & Thuringi cum Duce suo Henrico ni„ hilo meliores. Arnolphus quoque (*Liutpoldi filius*) in Bava„ ria tumebat, regium nomen, quod sub Carolingis erat, re„ vocare contendens. Adversum hos non ferro tantum, sed „ etiam armis Ecclesiasticis pugnatum. Communione fidelium „ proscriptos esse seu ab Joanne decimo Papa, seu ab Anastasio „ ejus decessore, colligitur ex concilio Altheimensi, quod „ (*b*) habitum est (*in inferiori Bavaria inter Salisburgum & „ Dingolvingam*) anno 916. XII. Kal. Octobris. Erchange„ rus demum cum fratre Bertholdo ad deditionem spe pactio„ nis venientes, Conrado jubente, apud Villam Adingam „ decollantur XII. Kal. Febr. anno 917. quo perculsus Arnul„ fus, seu armis expulsus, quod multi scripsere, seu metu

 „ paris

a Leg. *Bertholdo* ut infra.

b Aventinus Annal. Bojor. l. 4. coactum hoc concilium apud Althaim in pago Rhetiæ scribit, anno 916. Ind. 4. XII. Kal. Octob. decretumque sic „ Erchingerus, „ Bertholdus, Burckardus, Arnulphus, quod nostro decreto non steterunt ... in „ numero impiorum habentor „. Verum anno 916. XII. Kal. Octob. in cursu erat *Indictio* v. a Septembri inchoata.

„ paris ſupplicii, quod res ipſa ſuadere videtur, fuga ſibi conſu-
„ luit ad Hungaros, apud quos eo, & ſequenti anno hæſit uſque
„ ad mortem Conradi. Scio rebellionem Arnulfi anterius a qui-
„ buſdam (*a*) adſignatam; ſed nobis favet Continuator Re-
„ ginonis, qui anno 917., relato Erchangeri & Bertholdi ſup-
„ plicio, ſubjicit: Arnolfus Dux Bawariorum Regi rebellat.
Aventinus lib. 4. rem aliter de Arnulpho narrat. *Conventu*, in-
quit, *peracto*, (ideſt Althaimenſi concilio habito die 20. Sept.
anno 916.) „ Conradus in Bajoariam adverſus Arnulphum cum
„ exercitu tranſitum facit, caſtra Reginoburgio admovet. Ar-
„ nulphus ſive vim ejus ferre non valens, ſive ne civili bello
„ diſsidentibus, Ugri ingruerent, Juvaviam ſecedit, ibique
„ ſe continuit. Conradus Reginoburgium acceptus, Bojos ſi-
„ bi ſacramentum dicere jubet: Vindelicos, Nariſcos occu-
„ pat. Nonis Octobribus Reginoburgii concilium procerum &
„ Epiſcoporum cogit. Ibi Arnulphus proſcribitur... Poſthæc
„ Conradus Bojariam in tutelam tradit Eberhardo fratri ſuo,
„ & contra Erchingerum & Berchtoldum proficiſcitur, reda-
„ ctoſque in poteſtatem, Aldingæ ſecuri percuti jubet. Inte-
„ rea Arnulphus e Juvavia erumpit, Eberhardum Bojaria pel-
„ lit, Reginoburgium & Bojos recipit. Quod quum Conrado
„ nunciatum eſſet, hoſtili rurſus animo in Bojos caſtra movet,
„ Arnulphum Reginoburgii obſidet. At is eruptione facta eva-
„ ſit, & ad Alpes Noricas Charinaſque fugam capeſsit. Conra-
„ dus deinde Reginoburgium ad deditionem facile cogit; Bo-
„ joariaque in obſequium redacta, in Franciam redit, in He-
„ rueldenſi Monaſterio Natalem D. Joannis (*b*) celebrat:
„ ſequenti anno (*adeoque* 918.) morbo confectus, quum
„ deſperaſſet ſalutem, convocatis proceribus Francorum, Hain-
„ ricum regulum Saxoniæ, nepotem ex filia Luitgarda Impe-
„ ratoris Arnulphi, ſucceſſorem deſignat „. Non ergo ad
Hungaros Arnulphus profugit, juxta Aventinum; quamquam
veteres Scriptores ad unum contra ſcribant. Con-

a Sigebertus ad ann. 914. „ Contra Conradum Regem, potentiores Regni prin-
„ cipes rebellionem meditati, ſcilicet Arnoldus de Bajoaria, Burchardus de Sve-
„ via, Everardus de Francia, Gilebertus de Lotharingia, & horum omnium præ-
„ cellentior Henricus de Saxonia & Thuringia, tam ſapientia, quam fortitudine
„ Regis ad gratiam ejus reducuntur. Solus Arnoldus ad Hungaros cum uxore, & fi-
„ liis fugiens, uſque ad mortem Regis ibi manſit.

b Anno 917.

Conrado mortuo, Arnulfus ad Bajoariam rediit, auxilio (ut tradit Hansizius tom. 1. pag. 188.) *Rudigeri* cognomento *Pechlarn*, cui præfectura limitis (*a*) Orientalis commissa erat. Conradus Urspergensis: „ Arnulfus Dux cum uxore & filiis ab Ungaria rediens, honorifice a Bajoariis suscipitur, nec solùm suscipitur, sed etiam ut Rex fiat, vehementer ab eis exoratur. Rex autem Heinricus quum inter omnes Regni principes sibi obtemperantes, Arnolphum solum resistere cerneret, collecto exercitu prævalido, in Bajoariam tetendit, eumque juxta quosdam in præsidio urbis Ratisponæ obsedit. Quod ille videns, seque Regi resistere non sufficere perpendens, portis apertis egressus est ad Regem, tradens semetipsum cum omni regno suo & honorifice susceptus, ab eo amicus Regis appellatus est. *Luitprandus l. 2. c. 7.* Rex Heinricus quum obtemperare suis omnes jussionibus, Arnoldumque solum resistere cerneret, prævalido collecto exercitu, in Bajoariam tendit. Quod Arnoldus ut audivit, ejus non passus est præstolari adventum „. Subjungitur Henrici Regis cum Arnolpho Duce colloquium: quo peracto, Bajoarii dicuntur suasisse Arnolpho, ut Regi sese subjiceret „ ea tamen conditione, si sibi hoc, quod Decessores ejus non habuere, concederet, scilicet, ut totius Bajoariæ Pontifices suæ potestati subjacerent, unoque defuncto, alterum sibi ordinare liceret. Connivens igitur huic, suorum consilio, miles Heinrici efficitur, & ab eo, ut dictum est, concessis sibi totius Bajoariæ Pontificibus honoratur „. Hæc Conradus & Luitprandus. Otto quoque Frisingensis: „ Circa idem tempus Arnolphus Bajoariorum Dux, morte Conradi Regis comperta, ex Hungaria in patriam revertitur; regnareque gestiens, tandem a Rege relictis sibi terræ suæ Ecclesiis, in pacem vocatur.

a Hansiz. tom. 1. pag. 189. Qui post Rudigerum Pechlariensem, Marchiones Bajoariæ dicti sint, hos recenset: Bertholdum scil. Arnulphi fratrem; Ratonem seu Rassonem Andecensem: Henricum Othonis Magni & Brunonis Coloniensis fratrem, una & Ducem Bavariorum & Marchionem. Videtur itaque hoc tempore Ducatus Bojariæ & Marcha non habuisse distinctos Principes, donec Henricus iste, qui fuit hujus nominis secundus, custodiam limitis Orientalis traderet cuidam Burchardo, cujus meminit Otto II. Imp. in literis Piligrino datis anno 973. quique in diplomate Ottonis III. appellatur „ præfectus Pagi Bojorum qui Osterricha vocatur „. Post hunc Burchardum Marcha illa commissa est Leopoldo primo stirpis Babenbergicæ: quem Leopoldum constat ex diplomate Ottonis III. jam fuisse Austriæ Marchionem anno 985. Uti idem Hansiz. tom. cit. pag. 207.

„ catur. Hic eſt Arnolphus, qui Eccleſias & Monaſteria Bajoa„ riæ crudeliter deſtruxit, ac poſſeſſiones earum militibus di„ ſtribuit „. Sigebertus ad ann. 920. „ Henricus Rex contra „ Arnoldum ab Hungaris regreſſum, cum exercitu in Bajoa„ riam profectus, cum virtute & ſapientia ſua ad gratiam ſuam „ inflexit „ nulla facta conceſſarum ei totius Bajoariæ Eccleſiarum mentione. Eam poteſtatem Arnulphus ſibi eo vindicaſſe videtur, quod ab Henrico Rege Dominus Bajoariæ dictus eſset. „ Non ſolum Bojariæ Regnum locupletiſsimum (ajebat Henri„ cus ad Arnolphum apud Aventinum) Nariſcos, Alemannos, „ Chamabos, Boëthos, Sudinos, Iliſſos, Marcomannos, „ Quados, Vindelicos, Noricos, Auſtriacos, Tyrollios, „ Atheſinos, Vennonas, Stirios, Charinos, Venedos, Car„ nos, Pannonios tibi, ſicuti poſſides, permitto: verum ſa„ cratarum ædium quoque, opum Eccleſiaſticarum, Epiſco„ porum, Sacerdotum, Myſtarum, Monachorum, Antiſti„ tum, omnium curatorem te eſſe jubeo & patronum. Illos „ tibi in clientulos dico: modo nomen Regis inutile abdicato. Ex corrupto enim eorum temporum more, Monaſteria & alia hujuſmodi in beneficium Reges ſuis militibus tradebant. Sic Aventinus loc. cit. „ Reges illo ſeculo in demortuorum Epiſco„ porum locum, in Senatum Pontificum, Præſulum quoſcum„ que libuit, allegebant. Eam cooptationem Pontificum, Præ„ ſulum, Myſtarum, Monachorum, Heinricus in Arnulphum „ tranſtulit: eaque poteſtas Sacerdotes creandi, beneficium „ poſthac Arnulphi fuit „. Nimirum abſolutam in Bajoariam poteſtatem, Arnulpho ab Henrico conceſſam, cetera omnia per fas & neſas conſequebantur. Reprehenditur enim a Scriptoribus Arnulphus, quod ea poteſtate intemperantius uſus fuerit.

IX. Henricus Auceps Germaniæ Rex pacem cum Hungaris ad novennium facit. Eos poſt novennium in ditionem Germanicam irrumpentes profligat.

Henricus, genere Saxo, filius Ottonis Saxoniæ Ducis, *Auceps* dictus, eo quod aucupio delectaretur, regnavit in Germania ab anno exeunte 918. uſque ad VI. Nonas (*a*) Julii anni 936. quo deceſſit. Auctor anonymus vitæ B. Mathildis, juſſu S. Henrici Imperatoris ſcriptæ, & a Bollando ad XIV. Martii recitatæ, de Henrico Rege ſic ſcribit: „ Danos, Sclavos Boë-

a Ita Continuator Reginonis, Hermannus Contractus, Flodoardus, Conradus Urſpergenſis. At Marianus Scotus mortem Henrici confert ad IV. *Non. Jul. anni* 936. Sigebertus autem ad ann. 937.

„ Boëmanos, Bajowarios, ceteraque quamplurima regna, quæ „ suis antecessoribus non fuerant subdita, suo subjugavit do- „ minatui „. Hyperbolice dictum: nam Ludovicus Pii filius Germaniæ Rex regna hæc omnia in sua ditione tenebat. Præterea sub hoc Henrico Hungari Pannoniam occupabant. Hansizius tom. 1. pag. 188. „ Itaque excussa dehinc Arnolfo regii „ nominis seu absoluti dominatus ambitione, pax quidem do- „ mi fuit (*in Bajoaria scilicet*); sed ab Hungaris res turbu- „ lentæ, qui Noricum infra Anasum, idest, potiorem Dioece- „ sis Pataviensis partem jam deglutierant; imo, ut Hundius in „ pervetusto Poëta vernaculo, qui hoc seculo gesta Hungaro- „ rum conscribebat, legit, Hungari per hæc tempora, nempe „ perfidia Rudigeri Pechlariensis, etiam Austriam supra Ana- „ sum tenebant, & viciniam late populabantur; donec circa „ annum 943. a Bertolfo Bojariæ Duce profligati, longius se „ abstulerunt „. Conradus Urspergensis: „ Ungari audien- „ tes Chunradi Imperatoris (*a*) mortem, & Heinrici in Re- „ gnum successionem, probare volentes, an novus Rex solita „ vellet tributa persolvere, totam Saxoniam percurrentes, „ urbes & oppida incendio dedere, tantamque cædem ubique „ fecerunt, ut depopulationem ultimam comminarentur. Rex „ autem erat in præsidio urbis, quæ dicitur Werlahon; rudi- „ que adhuc militi & publico bello insueto, contra tam sævam „ gentem non credebat. Contigit autem quemdam ex prin- „ cipibus Ungarorum capi, vinctumque Regi adduci, quem „ ipsi in tantum dilexerant, ut innumera auri & argenti pro „ eo pondera offerrent. Rex autem spernens aurum, expo- „ stulat

a Conradum, & Henricum vocat Imperatores, quum coronati a Romano Pontifice non fuerint, neque nomen Imperatoris adhibuerint. Fabulam insuper addit Urspergensis, ad ann. 920. de Henrico scribens: „ cui quum unctio & diadema offerretur a Summo Pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non sprevit, nec tamen suscepit „. Otto quoque Frisingensis lib. 1. cap. 17. „ Henricus oblatam sibi „ a Summo Pontifice dignitatem, renuisse perhibetur „. Quis tamen ille *Herigerus* Papa? An Stephanus VIII. Germanus, qui annitente Ottone Germaniæ Rege, Pontifex creatus dicitur? At vero in tempora Henrici non convenit Stephani hujus Pontificatus: nam ab anno 939. ad 942. in Cathedra S. Petri sedit. Itaque hoc etiam Urspergensi inter fabulas adscribendum est, quod ad Romanum Pontificem detorsit ea, quæ de Archiepiscopo Moguntino Herigero dicere debuerat: Is enim Herigerus post Hildeberti obitum ab anno 912. ad 924. Moguntinæ sedi præfuit, teste Lamberto Schafnaburgensi, & aliis. Continuator Reginonis, ejus obitum ad ann. 926. collocat.

„ ſtulat pacem: tandem ad novem annos obtinuit firmam pacis „ conditionem „. Otto Friſingenſis lib.6. cap.18. „ Poſt hoc „ (ideſt, poſtquam Henricus cum Arnulfo pacem fecit) Henricus Ungaros more ſuo irrumpere volentes, in Saxonia incredibili cæde ſtravit, titulumque victoriæ in palatio Mersburgk, quæ & Martinopolis, pingi fecit „. Hæc Hungarorum irruptio ad annum 925. referenda eſt, quo anno Martyrium Sanctæ Wiboradæ contigit. Victoria autem de illis ab Henrico relata anno ſequenti fuit. Hermannus Contractus juxta editionem Caniſianam. „ Anno 925. Hungariis jam Alamanniam vaſtando pervagantibus, & ad cœnobium quoque „ S. Galli pervenientibus, Wiborada Virgo incluſa, fracta „ cella, a quodam ex eis perempta, & martyrio coronata: Racheldiſque contectalis ejus illæſa divinitus conſervata eſt „. Pagius ad hunc ann. num.2. Martyrium S. Wiboradæ accurate deſcriptum ab Hartmanno Monacho S. Galli in ejus Vita a Bollando ad diem 2. Menſis Maji, & a Mabillonio ſec. v. Benedict. recitata. In ea num. 24. & ſeqq. dicitur, Wiboradæ quæ apud S. Gallum jam ante annum 908. recluſa vivebat, revelatum eſſe „ ſævam gentem Hungarorum anno futuro in „ Kalendis Maji, aliis terris pervagatis & devaſtatis, ad Monaſterium S. Galli perventuram: & in eadem revelatione „ oſtenſum eſt illi, quod per martyrii gloriam, ipſis Paganis „ eam vulnerantibus, & certaminis præmia in cœleſti beatitudine percipere deberet „. Hæc revelatio anno 924. Sanctæ Wiboradæ facta. Paulo poſt ſubdit Hartmannus: „ Quumque illius anni circulus vergeretur, & tempus Maji menſis, „ Sanctæ Virgini per viſionem oſtenſum appropinquaret; ſubito fama terras pervolante nunciatur, Paganos tota provincia „ Bajoariorum eſſe diffuſos; ſed corda hominum, peccatis exigentibus, quominus exitium evadere poſſent, quum, heu! „ dura ſemper eſſent ad credendum; iterum atque iterum „ fama percrebreſcente de adventu Paganorum, antea credere „ noluerunt, quam ſæviens interitus, gladio imminente, hanc „ etiam provinciam uſque ad Lacum Potamicum gens barbara „ circumſepſit, plures & innumeros occidit, cuncta villarum „ officia circumquaque ignis incendio devaſtavit „. Refert poſtea Hartmannus, Engilbertum Abbatem, quum jam caſtellum

lum quoddam Monasterio proximum valde firmasset, præcipuos quosdam ex suis Monachis ad Wiboradam misisse, quatenus cum illa tractarent, ut se de clausula educere pateretur; sed ea inducias usque ad sequentem diem postulavit. Sequenti die nuncii iterato advenientes, Barbaros advenisse proclamant; & illico Abbas ad eam venit; sed mansiunculam sibi a Deoconcessam relinquere noluit. Interea Barbari ad locum, ubi erat, accedunt, & Sanctam Virginem ante altariolum stantem & devotis precibus Deo se commendantem, spoliaverunt vestibus: sicque omni tegmine præter cilicium ablato, libratis ascibolis, tria capiti vulnera Sanctæ Virgini & Martyri infligunt, perimuntque. Continuator (*a*) Reginonis. „ Anno 926. Hungari totam Franciam, Alsatiam, Galliam, & Alemaniam, „ igne & gladio vastaverunt. Burchardus Dux Alemaniæ in Italia occiditur. Herimanno Ducatus Alemaniæ committitur, „ qui (an viduam?) Widam Burchardi duxit uxorem „. At Sigebertus Hungaricam irruptionem relatamque de iis victoriam anno non suo collocat. nam anno 922. sic scribit: „ Hungaris „ Franciam, Alsatiam, Alamanniam, Saxoniamque depopulantibus, Henricus Rex juxta urbem Mersburch congressus, „ vovens Deo pro adipiscenda victoria se hæresim Simoniacam de regno suo eradicaturum, inæstimabili cæde eos usque „ ad internecionem pene delevit „. Et Anno 924. „ Rex Henricus pacem cum Hungaris in novem annis firmat „. Nimirum usque ad annum 934. quo anno (ut Urspergensis Abbas scribit) *Henricus Hungaros interfecit*. „ Marianus Scotus. Anno 934. Ungari ab exercitu regis Henrici occisi sunt, & multi quoque ex ipsis comprehensi sunt „. Sigebertus quoque: „ Anno 934. Hungari tributum a Saxonibus repetentes, ab „ exercitu Regis Henrici occiduntur aut capiuntur, eisque „ usque ad internecionem deletis, tributum quod repetebatur, Deo pro gratiarum actione in Ecclesiis & pauperibus „ exsolvitur „. Continuator (*b*) Reginonis: *Anno 934. Heinricus Rex Hungaros multa cæde prostravit, pluresque ex eis*

---

a Hoc ipsum Marianus Scotus ad ann. 926.

b Idem ad ann. 933. hæc de Ungaris præmiserat. Hungari per Orientales Francos & in Alemania multis civitatibus igne & gladio consumptis, juxta Wormatiam Rheno transito usque ad mare Oceanum Galliam devastantes, per Italiam redierunt,

eis comprehendit. Hermannus Contractus ad ann. Henrici 14. *Henricus Hungaros in Svirbia interfecit*. Pagius anno 934. n. 1. ex Vvitichindo eam Henrici Germaniæ Regis de Hungaris victoriam fuse enarrat. Frodoardus in Chron. „ Anno 933. Hungari se in tres partes dividunt, quorum pars una Italiam petit, alia terram Heinrici trans Rhenum invadit. Contra quos profectus Heinricus cum Bajoariis & Saxonibus, ceterisque quibusdam sibi subjectis omnibus, omnes usque ad internecionem sternit: quorum triginta sex millia cæsa referuntur præter eos, quos absorbuit fluvius, & qui vivi capti sunt. *Et ad ann.* 935. Hungari per Burgundiam diffunduntur, prædisque, incendiis ac cædibus, non tamen diu, debacchati, comperto Rodulphi Regis adventu, in Italiam transmeant „. Chronicon Hildensheimense. *Anno 934. Heinricus Rex in Wocronin cum exercitu fuit*. Lambertus. *Heinricus Rex Wcronin cum exercitu fugat*. Continuator Reginonis post verba de Hungaris superius recitata, addit: „ Eodem anno Sclavos, qui Uncrani vocantur, hostiliter invasit & vicit, sibique tributarios fecit „. Hos Sclavos Vvitichindus lib. 1. *Ucbros* appellat: nimirum *Ungros*, sive Hungaros: sic enim a diversis diversimode appellari solent: adeoque Hungari sunt, quos *Vucronin* Hildesheimensis & Lambertus vocant. Aventinus lib. 4. victoriam Henrici de Hungaris sic describit. „ Iisdem diebus, finitis induciis, Ugri tributum a Rege nostro exposcunt. Hainricus illis canem villaticum, auribus, cauda mutilum, scabie sordidum reddi jubet, se aliud tributum populo falsorum Deorum cultori pendere pernegat. Inde apud Teutonas (*a*) fabulam, Ugris canem imperitasse, ortam crediderim. Ugri tam insigni contumelia irritati, arma capiunt, dolo copias augent: equitum propemodum innumerabilis turba majorem etiam, quam pro numero, speciem præbens; relictis Bojis, cum quibus & Arnulpho, ut vicinis, pacem initam pridem persancte servabant, per Franciam, Sclavos, Svevos, Turogos, interiora Saxoniæ, ubi Rex versabatur, penetrat. „ Cun-

a Imo ea fabula inde orta, quod Princeps Ugrorum, proprio idiomate *Chan* dicitur: quo vocabulo Teutones, linguæ Hungaricæ ignari, *Canem* significari putarunt.

„ Cuncta præda, incendiis, rapina, luctu complet, passim diffunditur: centum amplius millia fuisse perhibentur. Hainricus votum nuncupat, si victoria potiatur, se nundinas sacrorum ex Germania sublaturum promittit: nactusque nebulosum diem, subito inopinatos, palantes hostes invadit, sternit, cædit, terga vertere cogit. Qui fugam dedere, a colonis passim trucidati sunt. Ceteris deletis, septem dumtaxat servati, quos auribus, manibus, naribus truncatos Rex ad confinia Ungariæ deducit: & ite (inquit) & nunciate vestris popularibus, ut de cætero domi se contineant, nec aliena appetant, neque ad ea loca, ubi hujusmodi in eos carnificina exercetur, ultro accedant. Ugri in posterum, vivente Hainrico, Germania manus abstinuere: Græcis, Bulgaribusque in Moesiis confidentibus negotium exhibuere. Hainricus triumphans, Christo Domino Deoque nostro honorem habet, supplicatione decreta, grates Summo Imperatori ceterisque cælitibus agit, paterque patriæ consalutatur „. Hæc ab Aventino Rhetorice dicam, an Poëtice scripta. Hungarorum Duces erant *Toxus*, & *Bulogudes*, sive *Bulc-chan*, de quibus ad annum 955. redibit sermo.

Ceterum, ut cum Hungaris alias gentes ab Henrico domitas conjungam, continuator Reginonis ad ann. 921. „ Interim Henricus Rex stabiliendæ paci & reprimendæ Sclavorum sævitiæ fortiter insistit. Anno 928. Heinricus Rex Boëmos hostiliter invasit, & præstante Deo fortiter superavit. Anno 931. Heinricus Rex Regem Abotridorum & Regem Danorum effecit Christianos. X. Henrici Aucupis prælia cum Hungaris, Bohemis, Dalmatis, Slavis Abotritis, & Danis.

Hermannus Contractus. Anno Regni Henrici 12. Henricus Rex Boëmiam petit. Anno 13. Henricus Regem Abroditarum & Nortmannorum Christianum fecit.

Lambertus Schafnaburgen. Anno 931. Heinricus Rex Abotritos subegit.

Marianus Scotus. Anno 930. Ind. 4. Henricus Rex Regem Obricorum, & Nortmannorum efficit Christianos.

Sigebertus. Anno 921. Ziptinæus Dux Boëmiæ, ad Christi fidem conversus, juste & religiose in Boëmia principatur, & post eum Watizlaus filius ejus justitia & sanctitate præclarus, cui frater suus Bolizlaus nimis adversabatur. Anno 925. Rex Hen-

Henricus urbem Sclavorum Brennaburch capit, & victis Sclavis tributum imponit. Anno 928. Rex Henricus Gana urbem Dalmatiæ capit, & Dalmatis tributum imponit. Anno 930. Wenzeslaus princeps Boëmiæ a Rege Henrico in Praga urbe obsessus, se & urbem Regi dedit, & impositam Boëmiæ multam tributi pecuniam solvit. Anno 931. Henricus Rex Reges Normannorum & Abroditarum Christianos facit. Redarii usque ad 200. millia hominum conspirantes contra Henricum Regem rebellant, & regnum ejus graviter infestant, & vicinas gentes ad bellandum animant. Sed a ducibus Regis Bernardo & Tictmaro gravi bello victi omnes pene moriuntur, aut fugientes in mare vicinum demerguntur. Et hoc facto vicinæ gentes a rebellione deterrentur. Anno 935. Rex Henricus Danos, qui per piraticam Frisones incursabant, vincit, & tributarios facit, & Chuipiam regem eorum baptizari fecit.

Conradus Urspergensis post narratam pacem cum Hungaris ad novennium, ut supra, firmatam:,, In quibus induciis primum ex agrariis militibus nonum quemque eligens, in urbibus habitare fecit, ut cæteris octo cum familiaribus suis habitacula construeret, frugumque omnium tertiam partem exciperet ac servaret; cæteri vero octo seminarent & meterent, frugesque nono colligerent, suisque in locis ponerent. Concilia & omnes conventus ac convivia in urbibus celebrari voluit, quatenus in pace discerent, quid in hostium adventu facere debuissent. Vilia aut nulla extra urbes erant munia. Tali lege ac disciplina quum cives assuefaceret, repente irruit super Sclavos qui dicuntur Hevelli, & multis eos præliis fatigans, demum hieme asperrima castris super glaciem positis, urbem quæ dicitur Brennaburg, fame, ferro & frigore cepit: & cum illa urbe omni regione potitus, signa vertit contra Dalmatiam, adversus quam jam olim pater suus reliquit & militiam: & obsidens urbem, quæ dicitur Grana, vicesimo tandem die cepit eam. Præda urbis militibus tradita, puberes omnes interfecti, pueri ac puellæ servatæ sunt captivitati. Posthæc adiit Bragam, Boëmorum urbem, Regemque ejus accepit in deditionem, qui erat pater Bolizlai, qui quandiu vixit, Regi fidelis & utilis fuit. Boëmia itaque tributaria facta, Rex reversus est in Saxoniam.

,, Igi-

„ Igitur induciarum tempore transacto, Legati Ungarorum „ pro solitis muneribus Regem adierunt; sed ab eo spreti in „ terram suam vacui reversi sunt. Quum enim haberet mili- „ tem equestri jam prælio probatum, contra hostes antiquos „ præsumpsit inire certamen. Hæc audientes Avares (*sic Un-* „ *garos vocat*) nil morati, cum hostili gravique manu Saxo- „ niam festinant intrare; & iter agentes per Dalmatiam, opem „ quasi ab antiquis petunt amicis. Illi vero scientes eos ad Sa- „ xoniam festinare, Saxonesque paratos cum eis pugnare, „ pinguissimum pro munere eis projiciunt canem. Et quum „ non esset injuriam vindicandi locus, ad aliam pugnam festi- „ nantibus, cum ridiculosa satis vociferatione longius prose- „ quuntur amicos. Igitur quam repentino potuerunt impetu „ intrant Thuringorum fines, illam terram hostiliter perva- „ gantes. Rex autem Heinricus gravissima valetudine detine- „ tur, & Ungarorum ei adventus proximus nunciatur. Qui „ mox directis per Saxoniam nunciis, validissimum per qua- „ triduum collegit exercitum; ipseque licet invalidus corpo- „ re, animi tamen roboratus vigore, equum ascendit, & ob- „ viam hostibus ivit. Celer autem nuncius accurrit, qui Un- „ garos in Meresburg, quod castrum est in confinio Saxonum „ & Thuringorum ac Sclavorum, esse nunciavit, eosque jam „ non modicam puerorum ac mulierum prædam habere; vi- „ rorum vero immensam stragem fecisse. Rex igitur ut erat „ animo constans, talibus non terretur, sed magis magisque „ suos, ut pro patria pugnent, exhortatur. Nec mora: bel- „ lum incipitur, & ex Christianorum parte *Kyrie eleison* dici- „ tur; ex illorum vero parte turpis & Diabolica vox, *hui*, *hui*, „ *hui*, auditur. Inito itaque certamine, nutu divino Ungari „ cæduntur & fugantur: Rex & sui victoria decorantur: im- „ mensa captivorum turba absolvitur, atque vox gemitus in „ lætitiæ cantum mutatur. Hunc triumphum tam laude quam „ memoria dignum, Rex apud Meresburg in superiori cæna- „ culo domus regiæ per ζωγραφίαν notari præcepit, adeo ut „ rem veram potius, quam verisimilem judices. Rex vero vi- „ ctor reversus, modis omnibus gratiarum actiones honori di- „ vino, ut dignum erat, solvebat: tributumque quod hosti „ dare consuevit, divino cultui mancipavit, & usibus paupe-

„ rum deservire censuit. Post hæc pater patriæ & rerum Do„ minus, Imperatorque ab exercitu appellatus, famam po„ tentiæ virtutisque cunctis Regibus & gentibus longe lateque „ diffudit. Unde & aliorum Regnorum proceres eum adie„ runt, gratiamque in conspectu ejus invenire quærentes, fi„ dem talis ac tanti viri dilexerunt „. Hæc Conradus ab Henrico gesta post novem annorum inducias cum Hungaris compositas, adeoque ad annum 934. Unde quod Sigebertus ad annum 922. supra narravit de bello cum Ungaris juxta urbem Merseburg commisso, id omnino est ad annum 933. protrahendum.

Et de hoc Ungarico quidem bello dictum est satis. Alia vero singula Henrici Regis gesta ut ad suos annos consignentur, primo quidem de Sclavis Bohemis dicendum est; deinde de Abotritis, Redariis, Hevellis, & Danis: nam de Dalmatis postea sermo erit.

XI. Bohemicum bellum sub Henrico Aucupe Germaniæ Rege. Bohemiæ status post Borivojum Ducem.

Sigebertus *Spitineum Bohemiæ Ducem* facit *Watizlai* seu *Venceslai*, & *Boleslai* patrem, eumque ait anno 921. quum jam ad Christi fidem esset conversus, juste ac pie principatum tenuisse: cui *Venceslaus* eodem fere anno successerit, adversante sibi fratre *Bolizlao*; anno autem 930. idem Wenceslaus ab Henrico Rege subjugatus fuerit. Hæc neque cum Cosma Pragensi, neque cum aliis Rerum Bohemicarum Scriptoribus conveniunt. Nam Cosmas, Æneas Sylvius Piccolomineus, & Jo: Dubravius (ut reliquos missos faciam) ad unum omnes tradunt, *Boriwojo*, qui primus Christianam fidem circa annum 894. suscepit, filios fuisse *Zpitigneum* & *Wratislaum*. Boriwojo autem mortuo (juxta Cosmam) aut, secundum Dubravium, abdicante, cumque uxore Ludmilla ad arcem Tetinensem se conferente, successisse in Bohemiæ principatum *Zpitigneum*, qui primo quidem, donec sub tutoribus Detonio & Myrsone vixit, permodeste se atque civiliter erga omnes gessisse dicitur; sed postea sui arbitrii factus, quum a parentibus admoneretur „ ut Christianos de meliore nota sibi commen„ datos haberet, illorumque numerum ut in dies adaugeret; „ & quos ipsi adjutores publicorum negotiorum dederant, ne„ quid temere sine illis transigeret: respondisse fertur: Æque „ ditioni suæ subjectos esse qui non Christiani, atque illi qui „ Chri-

„ Christiani dicerentur; proin æqualiter utrosque augeri decere, ut decus Bojemiæ frequentia habitatorum exaugeatur; „ videant autem Detonius & Myrso, ut intra modum suum se „ contineant, parendo potius Domino suo, quam illi leges „ aliquas præscribendo: præteriisse enim tutelæ illorum tempus „. Quo responso tam acerbo parentibus reddito discedens Spitigneus, statim in via morbo tentatus perhibetur, & post diem octavum in arce Vicegradensi mortuus. Quumque sine filiis decessisset; revocatus ad principatum Borivojus pater, obtinuit, ut Wratislaus minor filius succederet, quem ipse suis præceptis institutisque informandum recepit: atque ut præterea in absentia patris haberet, quorum auctoritate in officio religionis contineretur, egit cum S. Methodio præsule, & cum Dobrosino affinitate sibi conjuncto, ne a latere filii discederent: data ei in uxorem Drahomira. Uratislaus autem, patre mortuo, & Præsule Romam profecto, matris Ludmillæ consilio pleraque, ac præcipue ea quæ ad religionem pertinent, administrasse narratur, rem Christianam magno studio amplificans. Quumque relictis duobus filiis, Wenceslao & Boleslao, in vivis esse desiisset, Drahomira ejus uxor (ut scribit Dubravius) regimen invasit, ac statim odium in Christianos diu dissimulatum detexit, edicto proposito, ut templa Christiani occluderent, a cultu ceremoniisque abstinerent, Sacerdotes populum ne docerent, ne ludimagistri discipulos: secus facientibus carcer, exilium, mors denunciata. Tum vero secundum tam impia tamque immania matris Drahomiræ facinora, Venceslaus, qui hactenus ne in principatum succederet, ætatis studiorumque excusatione utebatur, aviæ maxime Ludmillæ hortatu pollicentis, se quoque curarum nepotis fore participem, magno omnium assensu, regimen in Bojemos suscepit. Ad tollendam fraternam discordiam, in ipso statim principatus introitu decrevit, ut Boleslao fratri juniori Boleslavia cum territorio suo ultra Albim assignaretur: sibi thronum Pragæ retinuit. Mater Drahomira Boleslaum moribus suis congruentem secuta, Ludmillam Venceslao nepoti adhærentem, submissis sicariis interfici jussit. Quum Venceslaus ad singulare certamen adversus Radislaum Ducem Curimensem eo fine accederet, ut suorum saluti prospiceret, visi sunt Angeli, adversario dicentes, ne ferias.

Hæc

Hæc in Germaniam (pergit Dubravius) celeriter nunciata, aulam Cæſaris apud alios admiratione, apud quoſdam irriſione affecerunt. Otto tunc regnabat, qui Germanorum primus coronam Cæſaream legitime ſibi traditam in Germaniam intulit, vir illo honore ob celebrem pietatem & raram in bellis felicitatem non indignus, nec alienus a Venceslao propter eximias ipſius virtutes, & qui una cum aliis Germaniæ principibus majeſtatem Cæſaream officioſe comiterque conſervabat. Cetera de Imperatore, qui conſpectis duobus Angelis aurea cruce ad ſe accedentem Venceslaum ornantibus e ſolio proſiliens, brachiis excepit, regiis inſignibus decoravit, tributo quod Carolus quondam ſolvendum Cæſaribus inſtituerat, abſolvit, brachium S. Viti ei donavit: deque ipſo Venceslao, quem impius frater Boleslaus, matre hortante in convivio exceptum, & poſtea in Eccleſia orantem, adhibitis ſceleris comitibus interfecit: apud Dubravium lib. 5. legenda; quibus hæc ſubjungit de Ottone Cæſare necem S. Wenceslai vindicante. „ Acceſſit præ„ terea novus ex Cæſare Ottone terror, minitante fratricidii „ ultionem, quum primum Hunnicum bellum confeciſſet. „ Quippe Hunni ex Pannonia uſque in Sveviam progreſſi ur„ bem Auguſtam obſidione premebant, tanta ſuorum multi„ tudine, ut dubitaverit Otto, prodire ne in aciem contra „ tantas copias, an caſtris ſe tenere, ſecurius fuerit, ſed du„ bitantem Uldricus Auguſtæ præſul, in divorum numerum „ poſtea relatus, indicto unius diei jejunio, ad ineundam pu„ gnam impulit; certam ei victoriam, ſi pugnaverit promit„ tens; nec feſellit. Tantam enim inter Hunnos ſtragem Otto „ edidit, ut Lichus Auguſtanus fluvius, mutatis in cruorem „ aquis, alveum ſuum fædaverit. Capti in eadem pugna duo „ Hunnorum Duces, ſupplicia crucibus luerunt. Ex Cæſaria„ nis maxime inſignis Conradus, Ottonis gener, cecidit. At„ que hoc interim ſpatio, quod per moras hujuſce prælii inter„ jectum fuit, Boleslaus vicum quem inhabitabat, foſſis, „ vallis, mœnibus cingendum muniendumque ſuſcepit. Operi „ abſoluto, cinctoque oppido, nomen Boleslavia manet. Huic „ oppido quum Otto appropinquaret, miſſis obviam legatis, „ Boleslaus pacem magnis precibus cum ipſis oppidanis cœpit „ petere. Valde præciſe Otto eis reſpondit, aliter pacem coi-

„ re

„ re non posse, nisi dedito sibi fratricida Boleslao. Porro Bo-
„ leslaus, omnibus rebus ad sustinendam obsidionem necessa-
„ riis, frumento, pecore, telis, armis, viris instructus in op-
„ pido erat. Non ita Cæsar foris commeatu abundabat, va-
„ cuis ubique ex vicino horreis, & pecoribus in silvas longius
„ abactis. Unde paulo post factum, ut Cæsar ob rerum penu-
„ riam mutata duriore sententia, animum ad molliora inflecte-
„ ret. Quum igitur denuo Boleslaus, quamquam satis (ut di-
„ xi) instructus, conscientia tamen scelerum timidus, gratiam
„ Cæsaris ambiret, pacemque oraret, eam his tandem legibus
„ impetravit: Prima erat, ut commissa piacula omnibus mo-
„ dis expiaret. Altera, ut exules Christianos revocaret ab
„ exilio. Tertia, ut tributum nuper remissum, denuo ex-
„ solvendum reciperet. Ultima, ut eadem conditione atque
„ cæteri Germaniæ Principes, in nomen Cæsaris juraret.

Hæc Dubravius, anno quidem, quo cædes S. Venceslai, & pax ab Ottone Cæsare cum Boleslao fratricida post indictum bellum firmata contigerit, non expresso. Sed quantum ex rerum gestarum serie colligitur, inter annum 954. & 956. id (juxta Dubravium) peractum fuerit, oportet: nam bellum illud Hungaricum, quod ab eodem Dubravio paci cum Boleslao compositæ præmittitur, anno 955. commissum refertur ab Historicis. Sic Continuator Reginonis. „ Anno 955. Ungari „ cum tam ingenti multitudine exeuntes, ut non, nisi terra „ eos dehisceret, vel cælum eos obrueret, ab aliquo se vinci „ posse dicerent. Chunradus quondam Dux ibi occiditur, & „ ab exercitu Regis apud Lichum fluvium tanta cæde (Deo „ præstante) prostrati sunt, ut nunquam ante apud nostrates „ victoria talis audiretur aut fieret. Rex inde revertens, in „ Sclavos hostes dirigit, ubi simili potitus victoria, vasta illos „ cæde prosternit „. Vide Pagium ad ann. 955. a num. 2. ubi insignem eam de Ungaris victoriam ex Vvitikindo, Ditmaro, auctore vitarum S. Udalrici Augustani Episcopi ac Brunonis Archiepiscopi Coloniensis, aliisque describit. Verùm quum Sanctus Vvenceslaus anno 929 (Cosma Pragensi teste) ab impio Boleslao cæsus fuerit, quumque is non *Spitigneum*, sed *Vratislaum* patrem habuerit; constat manifeste, tam Sigebertum, quam Dubravium multipliciter in ea, quam supra recitavi, nar-

narratione erraſſe: quorum proinde ſingulas allucinationes mox proferam, ubi de Bohemis fuſius diſſeram. Interim ſtatuendum pro certo eſt, hæc omnia non ſub Ottone Cæſare, ſed ſub Henrico Aucupe accidiſſe.

XII. Bellum Henrici Aucupis cum Slavis Obotritis, & Danis. Slavorum Borealium gentes diverſæ.

Sclavos quod ſpectat, ii non Moravi ſunt aut Bohemi ſive Poloni, quorum ſupra facta eſt mentio, ſed *Heneti*, quorum nonniſi enunciatione, (ut recte Reineccius in diſſert. de communibus Germanicarum & Henetarum appellationibus obſervat) diſcernenda nomina ſunt, *Venedæ*, *Venedi*, *Heneti*, *Veneti*, *Vvinithi*, *Vvinuli*, quæ poſtrema duo adud Helmoldum leguntur. Primum igitur ſecundum litus maris Balthici, ac deinde poſt Viadrum, ad Occidentem plagam, ut loquitur Helmoldus, occurrunt, *Pomerani*, *Vvilzi*, hiſque oppoſiti *Rugiani* inſulares: *Vvarnavi*: *Obotriti*: *Polabi*: *Vvagiri*: *Lingones*. *Pomerani*, veteri appellatione adhuc celebres, ſonant maritimos. *Vvilzi*, & *Lutici*, ſeu *Lutizli*, appellatæ hæ quatuor gentes fuere: *Tolenzi*; *Redarii*, *qui & Riaduri*: *Circipani*: *Teyzini*. Significant autem *Vvilzi*, lupinos, forte a moribus barbaris, ſeu latrocinandi & prædandi conſuetudine. *Tolenzos*, & *Redarios* alibi Helmoldus pro eadem gente accipit, videnturque hi quidem ab urbe *Retura* dicti, illi ab amne *Tolenſo*, qui idem & ſedem eorum arguit. *Redarii* Stetinenſium fines inter Panim & Viadrum incoluere. *Circipani* a Pani fl. nomen traxerunt. *Kyzini* ad Gucegovium oppidum conſedere. *Rugiani* ſeu *Rani* a Rugia inſula nomen mutuati ſunt. *Vvarnavi* a Warnavo fl. in agro Roſtochienſi nuncupati fuere. *Obotriti* Megalburgenſem terram poſſederunt. *Polabos* ſuſpicor a regionis planitie nomen ſibi indidiſſe: oppidum habuere primarium Receburgum. *Vvagiri* habitarunt ad Aldeburgum. *Lingones* & *Linos* non diſcerno. Hos Helmoldus lib. 1. c. 1. illos cap. 18. nominavit. Conſervarunt nomen eorum Lune, & Luneburgum. Cæteræ Henetorum gentes in Orientali Slavia, ut alibi Helnoldus loquitur, ſeu intra Albim & Viadrum, hoc eſt, in Marchia Brandeburg. conſederunt. Nomina eorum ſunt, *Heruli*, ſeu *Heveldi*, *Leubuſii*, *Vvilini*, *Stoderani*, *Brizani*, cum multis aliis, quemadmodum eſt apud Helmoldum. *Herulorum* ſeu *Evelдorum* ſedes fuit ad fl. Havelum: atque haud ſcio, an non inde *Heveldorum* nomen manavit. *Leubuſii* oppido Lebuſio

ſio nomen dedere. *Vvilinis* & *Stoderanis*, è recentioribus quidam ſedes ad Berlinum & Brandeburgum tribuunt. Helmoldus *Stoderanos* & *Brizanos* in agro Havelbergenſi & Brandeburg collocavit. Hactenus Reineccius:

XIII. Bohemi, Sorabi, & ceteri Slavi ac Dani ab Henrico devicti, ita ut tributum ei & Chriſtianitatē promitterent. Vvormone Danorum Rege extincto, Haroldus filius Chriſtianam Religionem in Regno ſuo prædicari permittit: eamque opera Archiepiſcopi Unni una cum aliis amplectitur. Ex Helmoldo.

Helmoldus lib.1. cap.8. quænam fuerit Sclavorum hujuſmodi, nec non Danorum, Ungrorumque, ſub Conrado & Henrico Regibus, in Chriſtianam religionem ſævitia, exponit his verbis: „ Itaque regnante Conrado, orta eſt Ungarorum gravis irruptio, qui non ſolum noſtram Saxoniam, aliaſque cis „ Rhenum provincias, verum etiam trans Rhenum, Lotharingiam & Franciam demoliti ſunt. Tunc incenſis Eccleſiis, „ cruces a Barbaris truncatæ & ludibrio habitæ, Sacerdotes „ ante altaria trucidati; Clerus vulgo mixtus aut interfectus, „ aut in captivitatem ductus. Cujus ſigna furoris ad noſtram „ duraverunt ætatem. Dani quoque Slavos auxilio habentes, „ primo Nordalbingos, deinde Tranſalbinos (*a*) Saxones vaſtantes, magno Saxoniam terrore quaſſabant. Apud Danos „ eo tempore Worm regnavit, crudeliſſimus, inquam, vermis, „ & Chriſtianis non mediocriter infeſtus. Ille Chriſtianitatem, „ quæ in Dania fuit, prorſus demoliri molitus, Sacerdotes a „ finibus ſuis depulit, plurimos etiam per tormenta necavit. „ At vero Henricus, ſucceſſor Conradi, jam tunc a puero timens Dominum, & in ejus miſericordia omnem ponens fiduciam, Ungaros maximis prœliis vicit & triumphavit: Boëmos, & Sorabos, ab aliis Regibus edomitos, & cæteros (*b*) „ Slavorum populos uno grandi prælio ita percuſſit, ut ceteri „ qui perpauci remanſerant, & Regi tributum, & Deo Chriſtianitatem ultro promitterent. Deinde Daniam cum exercitu ingreſſus, Worm (*c*) Regem primo impetu adeo perterruit, ut imperata ſe facere mandaret, & pacem ſupplex „ depoſceret. Sic Henricus Rex victor apud Sleſwich, quæ „ nunc Heidebo dicitur, regni terminos ponens, ibi & Marchionem ſtatuit, & Saxonum Coloniam habitare præcepit. „ Videns ergo Sanctiſſimus Archiepiſcopus Unni, qui Rein-

a Krantz l.3. c.5. *qui nunc Holſati ſunt*.

b Krantz loc. cit. *ceteroſque Vvandalorum populos*.

c Krantz. *Gormonem* Regem vocat: eumque (cap.6.) uxorem habuiſſe ex Anglia Chriſtianiſſimam aſſerit: filiam Edelradi Anglorum Regis, idem Krantzius vocat Daniæ lib.4. cap.18.

„ wardo (*a*) successit in Cathedram, misericordia Dei nostri & virtute Regis Henrici, Danorum Slavorumque pertinaciam esse edomitam, ostiumque fidei in gentibus apertum esse; omnem suæ Diœcesis latitudinem elegit per seipsum circuire. Multis ergo Religiosis comitatus, pervenit ad Danos, ubi tunc crudelissimus Vvorm regnavit. Et illum quidem pro ingenita flectere nequivit sævitia; filium autem Haroldum (*b*) convertit, & fidelem Christo perfecit, ita ut Christianitatem, quam pater ejus semper odio habuit, ipse servari publice permiserit, quamvis ipsemet Baptismi Sacramentum (*c*) nondum perceperit. Ordinatis itaque in Regno Danorum per singulas Ecclesias Sacerdotibus, Sanctus Dei multitudinem credentium commendasse fertur Haroldo, cujus etiam fultus adjutorio & legato, omnes insulas Danorum penetravit, evangelizans verbum Dei, & fideles quos invenit illic captivos, in Christo confortans. Deinde vestigia secutus magni Prædicatoris Anscharii, remigans mare Balthicum, non sine labore pervenit ad Byrcam (*d*) principalem Svediæ civitatem, quo jam post obitum S. Anscharii nemo Doctorum annis septuaginta venire ausus est, præter solum, ut legimus, Reimbertum. Est autem Byrca oppidum Gothorum celeberrimum, in medio Svediæ positum, quod tractus quidam Balthici maris alluit, reddens portum optabilem, quo omnes Danorum, Norueorum, itemque Slavorum, ac Semborum naves, aliique Scythiæ populi pro diversis commerciorum necessitatibus, solenniter convenire solent. In eo ergo portu Confessor Domini egressus, insolita populos appellare cœpit legatione. Quippe Sveones & Gotthi propter varia temporum pericula & Regum cruentam feritatem, Christianæ religionis penitus obliti fuerant.

„ Sed

---

a Reinvvardus successit Hogero: Hogerus Adelgario: Adelgarius Reimberto: Reimbertus Anschario Hammenburgensi primo Archiepiscopo. Helmoldus l.1. c.7.

b Haroldum, adjuvante matre Tira, femina Christianissima, ita Christo fidelem perfecit, ut Christianitatem, quam pater exectabatur, ille excoleret. Krantz lib.3. cap.6.

c Baptizatus postea sub Ottone. Helmoldus lib.1. cap.9. At Krantzius in Metropoli lib.3. cap.16. Haroldum sub Unni Pontifice baptizatum, oscitanter scripsit: contra quam in Dania lib.4. cap.19. idem dixerat.

d Birca, mediterranea civitas non longe ab Upsala, quæ nunc Metropolis est Regni. Krantz lib.3. cap.6.

„ Sed favente gratia Dei a Sancto patre Unni denuo ad fidem „ revocati sunt. Perfecto ergo legationis suæ ministerio, quum „ jam redire disponeret Evangelista Dei, ægritudine corre- „ ptus, apud Byrcam fessi corporis sarcinam deposuit. Obiit „ autem peracto boni certaminis cursu Anno Dom. Incar. non- „ gentesimo tricesimo sexto, cui successit in Cathedra Vene- „ rabilis Adheldagus „. Eadem habet Albertus Krantzius in Metropoli lib. 3. a cap. 4. ad 6. ubi Unnonem obiisse dicit, „ Anno Dom. Incarn. 936. Indict. IX. circa medium Septem- „ brem (hic est annus magni Ottonis primus) quum in Ponti- „ ficatu exegisset annos sexdecim, a transitu autem Vvilleha- „ di, CLXVIII. „. Error in hoc postremo numero: nam *Vvillehadus*, (eodem Krantzio lib. I. cap. 7. scribente) *anno Dom. 788. III. Idus Julii Episcopus Bremæ*, jussu Caroli Magni, *ordinatus est*: „ Sedit autem (ut subjicitur cap. 8.) in Ecclesia „ Bremensi, post ordinationem suam, annos duos, menses „ tres, dies viginti sex: prædicavitque tam Frisiis, quam Saxo- „ nibus, post martyrium Sancti Bonifacii, omnes annos 35. „. Adeoque obiit anno 790. mense Novembri: centesimo quadragesimo sexto anno ante mortem Unnonis Archiepiscopi Hamburgensis.

Quæ igitur ab Helmoldo, Krantzio, aliisque de Slavis, Danis, Svedisque narrata sunt, palam faciunt, errasse supra laudatos Historicos, Continuatorem Reginonis, Hermannum Contractum, Marianum Scotum, & Sigebertum, dum tradunt, ab Henrico Germaniæ Rege, *Obotritorum & Nortmannorum Reges Christianos fuisse effectos*. Domiti quidem sunt ab Henrico tum *Dani*, sive Nortmanni, tum etiam Slavi *Obotriti, Redarii*, & *Hevelli*: sed *duos Reges*, *Danorum* scilicet, & *Slavorum Obotritorum*, Christianos factos fuisse, non constat ex Helmoldo: qui, extincto Wormone Daniæ Rege, de ejus filio Haroldo hæc tantum habet, quæ supra recitavi, atque hic repeto: „ Et illum quidem (idest Wormonem) pro ingenita „ flectere nequivit sævitia (Archiepiscopus nempe Hambur- „ gensis) filium autem Haroldum convertit, & fidelem Chri- „ sto perfecit, ita ut Christianitatem, quam pater ejus semper „ odio habuit, ipse servari publice permiserit, quamvis ipse- „ met Baptismi sacramentum nondum perceperit „. De *Sla-*

vorum vero populis idem Helmoldus, Regis eorum nomine ſuppreſſo, paulo ſuperius ſcripſerat: „ Et ceteros Slavorum „ populos uno grandi prælio ita percuſſit, ut ceteri, qui per- „ pauci remanſerant, & Regi tributum, & Deo Chriſtianita- „ tem ultro promitterent „. Nomen ergo Danorum Regis, quem Sigebertus *Chuipiam* fuiſſe, baptizatumque aſſerit, omnino commentitium: quum Henrici Regis temporibus, Rex Danorum fuerit *Gormo* ſeu *Vvorm*, ad mortem uſque Paganus, & filius ejus *Haroldus*, Chriſtianam quidem in Regno ſuo religionem prædicari permittens; non tamen eſt *baptizatus*, niſi circa annum 948. quo ab Ottone Henrici filio ac Succeſſore Rege ſubjugatus eſt, uti ex Helmoldo mox dicam.

C A P U T VII.

Joannis & Michaëlis conſpiratio a fratre eorum Petro Bulgarorum Rege compreſſa. Nicephorus Phocas Ruſſos in Petrum concitat: Sphendoſthlabus Ruſſorum Dux, victis Bulgaris, Myſiam occupat. Joannes Zimiſces Imperator, Nicephori ſucceſſor, Ruſſis deletis, Myſiam recuperat, Bulgaros ſubjicit. Hos rebellantes Baſilius Imperator domat, & Bulgariam Byzantino adjicit Imperio. Chrobatos in fidem recipit.

I. Petrus Bulgarorum Princeps fœdus cum Nicephoro Phoca Imper. init. conſpirationem fratrum Joannis & Michaelis comprimit. Filii ejus Boriſes, Romanus ac Simeon. Regnum Bulgaricum invaſum a Davide, Moſe, Aarone, & Samuele.

SUB idem fere tempus, quo Petrus Bulgarorum Princeps contractis cum Maria Chriſtophori Auguſti filia nuptiis pacem cum Græcis colebat, ideſt circa annum 927., in eundem Joannes frater, unaque cum eo nonnulli alii Procerum potentiores conjurationem inierunt. Incertus Continuator Porphyrogeniti in Vita Romani Lacapeni num XXVIII. „ Petro Bulgarorum Principi, Joannes frater cum aliis Simeonis Proceribus, ſtruxit inſidias. Deprehenſis illis, Joannes quidem flagris emendatus, in carcere includitur: reliqui acerbis ſuppliciis ſubacti ſunt. Horum Romanus Imperator a Petro certior factus, Joannem Monachum (eum qui Rector extiterat) mittit, prætextu quidem redimendi captivos; re ipſa vero, ut Joannem caperet, & Byzantium duceret: quod & ita contigit. Una quippe cum Joanne navim ingreſſus, a Me-

„ ſem-

„ ſembria in Urbem delatus eſt. Nec multo poſt projecto Monachi habitu, quum uxoris amplexus quæreret, Imperator „ illi ædes aſſignavit, multaque omnino prædia contulit; exque „ ſua ipſius Armeniacorum patria conjugem ei locavit, atque „ in Cæſaris domo præmagnificas nuptias fecit, ductoribus „ Sponſæ Chriſtophoro Imperatore, ac Joanne Monacho qui „ Rector extiterat. Quin & Michaël Monachus, ipſe Petri „ frater, Bulgarici Imperii cupidus, ſeorſum in Bulgariæ quadam arce rebellavit; multoſque Scythas, qui a Petri Principatu deſciverant, ad ſe pertraxit. Hi, Michaële vivis exempto, (*a*) Romanæ ditionis fines invaſerunt: ſic nimirum ut „ a Macetide per Strymonem ad Atticam Nicopolimque progreſſi, cuncta ibi populati ſint „. Et num.35. „ Quin dicta quoque Romani Imperatoris neptis Maria, Petri Bulgari „ uxor, haud raro in urbem veniebat ex Bulgaria, patris avique inviſendorum cauſa. Poſtremo autem venit, tres ſecum liberos adducens, quum jam Chriſtophorus ejus pater „ vivis exemptus eſſet. Multis itaque Avi munificentia donata divitiis, honorifice domum reverſa eſt „. Obiit Chriſtophorus Mariæ pater, *menſe Auguſto Indictione* 4., hoc eſt anno Chr. 931., eodem Continuatore teſte num.31.; ex tribus autem Mariæ filiis, primus quidem *Boriſes*, alter *Romanus*, tertius vero *Simeon* dictus eſt. Mortua vero Maria, Petrus cum Nicephoro Phoca anno 963. fœdus renovavit. Cedrenus pagin.646. „ Anno Mundi 6471. mortuus eſt Romanus Imperator (*filius Conſtantini Porphyrogeniti*) xv. die Martii menſis, Indict.vi. Eadem Indict. vi. menſe Aprili juſſu Auguſtæ „ Nicephorus Phocas Conſtantinopolim venit: & 2. die Julii, „ eadem Indict. vi. (*anno* 963.) ab Orientalibus exercitibus „ omnibus a Tzimiſca concitatis, Imperator ſalutatur: Per „ idem tempus Petrus Bulgarorum Rex, mortua ſua uxore, „ renovandæ pacis cauſa, fœdus cum Imperatoribus (*b*) icit, „ obſideſque dat filios ſuos Boriſen & Romanum: ac paulo poſt „ mori-

a Ideſt, *Macedonia*, uti Cedrenus, & Scylitzes ſcribunt in hæc verba: „ Qui, „ eo paulo poſt mortuo, iram Petri metuentes, Romanam invaſerunt ditionem: ac „ per Macedoniam, Strymonem, & Hellada (*Græciam*) profecti, & obvia quæque „ populati, Nicopolim tandem occuparunt, inque ea ſubſederunt. Verum hi poſteris temporibus, variis bellis a Romanis ſubacti ſunt.

b Theophanone ſcil. Romani junioris vidua, ejuſque filiis Baſilio & Conſtantino.

„ moritur. Filii ejus in Bulgariam remittuntur, ut paternum „ Imperium occupent, & Cometopulorum impetum reprimant. Nam Davidus, Moses, Aaron, & Samuelus, filii „ cujusdam in Bulgaria largiter potentis Comitis, res novas moliebantur, & Bulgaros concitabant: atque ita tunc res acta.

II. Nicephorus Phocas Russos in Petrum Bulgarorum Regem concitat, eo quod jussus Hungarorum incursiones cohibere, renuisset.

Petri Bulgari Regis obitus, a Leone Diacono ad annum 969. confertur. Nimirum, quando obsessis Dorostori à Rossorum Duce Sphendosthlavo Bulgaris, fugam ipse Petrus arripiens, in fonticum morbum incidit, paucisque diebus superstes, humanis excessit. Capti tunc à Rossis duo filii Petri, Borises & Romanus, Nicephoro Phoca adhuc imperante: quo demum extincto, à Joanne Tzimisca & Rossi devicti sunt, & Borises ab expugnata Urbe Presthlaba eductus, Constantinopolim adductus est. Rem fusius narrant Leo Diaconus, Cedrenus, Scylitzes, & Zonaras. Et Leo quidem Diaconus apud Pagium ad annum Chr. 965. num. XVI. sub Nicephoro Phoca hæc de Bulgaris, & Rossis habet. „ Imperator justo conscripto „ exercitu, adversus (*a*) Mysos processit. Ac quidem præsidia atque castella Romanis finitima quotquot erant, excursione unoque quasi impetu subegit: Regionem vero considerans, eamque sabulosam atque præcipitiis asperam præruptamque videns; est enim ora plurimum aquosa valdeque „ saltuosa, ac undique inaccessis montibus ambientibus clausa, „ ad Æmum atque Rhodopen sita, maximisque fluviis circumquaque irrigua; cavendum esse duxit, ne Romanas copias „ incomposito ordine per lubrica parumque tuta loca educens, „ velut pecora, Mysorum gladio cædenda præberet. Ajunt „ enim haud raro Romanos ibi internecione deletos esse. Itaque Byzantium regressus est: ac quem Calocyrum vocant, „ Patricia dignitate auctum, (hominem sane audentis omnino ac calentis ingenii) ad Tauroscythas, quos vulgo Rossos „ nominant, misit, data quindecim centenariorum auri summa, ejusque fidei commissa, qua illi accepta, Mysorum „ fines invaderent. Ac quidem ille ad Tauroscythas ire contendebat. Imperator vero equestres ludos editurus, in circo consedit. *Cetera*. Ce-

a Leo Diaconus Bulgaros vocat *Mysos*, & Bulgariam *Mysiam*. Russos etiam sive Rossos, *Tauros* & *Tauroscythas*: & Russiam, *Scythiam*: Patzinacas denique, *Unnos*.

Cedrenus una cum Scylitze, causam affert moti à Nicephoro Phoca in Mysos seu Bulgaros belli, cujus ad societatem Russos vocabat. Sic enim scribit pag. 660. „ Anno Imperii „ sui IV. Indictione X. Mense Junio (*idest, anno Chr.* 967.) Ni„ cephorus Phocas exiit, Thraciæ Urbes contemplatum. Quum„ que usque ad magnam sudam (Scylitzes, *ἄχρι τῆς λεγομένης* „ *μεγάλης τάφρου*, *usque ad magnam, uti vocatur, Fossam*:) „ pervenisset, Petrum Bulgariæ Principem hortatus est per „ literas, ne sineret Turcos Istrum trajicere, & Romanorum „ ditionem infestare. Bulgaro non obtemperante, sed omnis „ generis adhibitis prætextibus recusante, Nicephorus Calo„ cyrum Chersonis Principis filium, Patricia dignitate exor„ natum, ad Sphendosthlabum (*a*) Rossorum Principem „ mittit, eumque ad inferendum Bulgaris bellum sollicitat. „ Rossi obsecuti, Indictione XI. Augusto mense, Anno Impe„ rii Nicephori V. (*Christi* 968.) in Bulgariam impressione fa„ cta, multas Urbes ac castella Bulgarorum solo æquaverunt, „ prædaque potiti ingenti, domum redierunt. Eodem modo, „ atque etiam durius anno proxime insecuto (*Chr.* 969.) tra„ ctaverunt. *Zonaras pag.* 206. Turcis autem, Ungaris scilicet, „ Thraciam vastantibus, Bulgariæ Principi Nicephorus Impe„ rator scripsit, ne illos Istrum trajicere pateretur, & Roma„ nas Provincias infestare. Id ille recusavit, quod Imperator „ ipsi quoque auxilia negasset, quum ab iisdem invaderetur: „ nunc autem postquam pacem cum eis facere coactus sit, po„ stulare, ut fœdus rumpat, & armis sumptis bellum suscipiat, „ cujus rationem reddere non posset. Ibi igitur repulsam pas„ sus, Calocyrum Chersonis Principis filium, ad Russiæ Prin„ cipem Sphendosthlavum contra Bulgaros concitandum able„ gavit. Russicus igitur exercitus, Bulgariæ agros longe la„ teque populatus, prædam pene innumerabilem abegit; id„ que sequenti anno æque factum „. Fœdus itaque, quod Petrus Bulgarorum Rex, anno, ut supra dixi, 963. cum Ninephoro Phoca instauravit, ruptum est anno 965. quo anno quum Nicephorus incursiones Ungarorum cohibere vellet, quum-

a Qui Græcis *Sphendosthlabus*, idem Slavis & Russis *Svatoslavus* dicitur. Nimirum filius *Igori* & *Olgæ*, de quo jam hoc loco, quam Tomo sequenti sermo erit.

quumque Petro præcepisset, ut certamen cum iis iniret, repulsam ab eo passus, anno 967. & sequenti Russos in illum concitavit. Pergit enim Leo Diaconus ad ann. 968. num. 9. apud Pagium. „ Qui Regio nutu ad Tauroscythas Calocyrus „ Patricius missus fuerat, quum in Syria (a) versans, Tau- „ rorum amicitia junctus esset, auctor fuit, ut grandi conscri- „ pto exercitu Mysos invaderet: iisque expugnatis, regionem „ sibi obnoxiam faceret, inque sedium propriarum usum ad ha- „ bitandum retineret: opem quoque adversus Romanos fer- „ ret, ut Imperium ipsi consequi, rerumque summa potiri li- „ ceret. Id si præstaret, magna, ac quæ nec verbis exprimi „ possint, ex ærario Regio, reque privata in eum munera „ exportaturum. His Sphendosthlavus (hoc enim illi à Tauris „ nomen) animi impetum cohibere non poterat: sed divitia- „ rum spe suspensus arrectusque, terræ Mysorum possessionem „ somnians, ac quum alioqui vir ferventis animi esset, Tauro- „ rum pubem omnem ad eam expeditionem adegit. Sexagin- „ ta igitur millium fortium virorum collecto exercitu, exce- „ ptis calonibus, ac impedimentis, una cum Calocyro Patri- „ cio, quem & germanum amicitiæ legibus admiserat, adver- „ sus Mysos movet. Iamque eo Istrum adnavigante, & in con- „ tinentem excessum maturante, intelligentes Mysi, quod „ in eos ille moliretur, triginta millium virorum constipata „ cohorte, se illis objecerunt. Verum Tauri validissimo im- „ petu ratibus excedentes, scutaque obtendentes, ac strictis „ gladiis hinc inde Mysorum stragem dabant. Porro Mysi ne „ primum quidem impetum sustinentes, in fugam versi fusi- „ que, Dorystili, munito ejus gentis oppido, præ igna- „ via degenerique proposito se se incluserunt. Tunc autem „ ferunt & Petrum Mysorum Ducem, virum Religiosum ac „ venerabilem, inopinato fugæ eventu, nimio dolore per- „ citum, in sonticum morbum incidisse, paucosque dies su- „ perstitem, humanis excessisse. Verùm hæc in Mysia postea „ gesta sunt. (*Anno nimirum 969.*) Romanorum vero Im- „ perator, Taurorum molitionem consiliaque non nesciens, „ quum alioquin in omnem vitam curis sollicitus, animique „ per-

a Haud dubium, quin legendum sit, *in Scythia*, aut, in *Russia*. Illuc enim Calocyrus sese contulerat, non in Syriam.

„ pervigil fuiſſet haud e re ſua exiſtimavit, ut adverſus utramque gentem bellum ſuſciperet. Commodum ergo viſum eſt, ſi ex illis unam ſibi gentem conciliaret: Sic enim facile brevique alterius compotem fore. *Et ad annum 969. ſubdit.* „ Hinc adeo Nicephorus, quod nulla ſpes erat, Tauros miſſa legatione conciliatum iri; noverat enim Patricium Calocyrum, qui à recta via ſemel declinaſſet, ipſiuſque dominatum jugumque excuſſiſſet, ac magnæ auctoritatis apud Sphendoſthlavum eſſet, non facile illius ceſſurum voluntati, pacemque initurum; ad Myſos potius, qui eodem Chriſtiano cultu tenerentur, maluit legationem mittere. Ac ſane ad eos legatos mittit Nicephorum cognomento Heroticam, & Philotheum Euchaitarum Epiſcopum, eoſque meminiſſe rogabat, quod Chriſtiani eſſent (Myſi enim fidem Chriſtianam dubio procul profitentur:) expoſcebatque Regii Sanguinis puellas Virgines, quas Romani Imperatoris liberis uxores locaret, ut ex juncta affinitate inviolabilis, firmaque Romanos inter Myſoſque confœderatio amicitiaque conſiſteret. Myſi vero placidiſsime legatione ſuſcepta, puellas ex ſemine Regio plauſtris impoſitas (ſic enim comparatum Myſorum feminis, ut plauſtris vehantur) Nicephoro Imperatori miſerunt; orantes cum lacrymis ac ſupplicantes, ut quam citius ulciſceretur, eorumque cervicibus imminentem Taurorum ſecurim averteret: ac ſi modo tuendos ſuſciperet, tropæa adverſus Tauros conſtituturum; quippe qui etiam adverſus omnes, quibus Romana ſigna intuliſſet, iis ſplendide conſtitutis clareret.

III. Joannes Zimiſces Nicephori Phocæ ſucceſſor, Sphendoſthlabum Ruſſorum Ducem bello petivit, quod ereptam BulgarisMyſiam, ſibi retinuiſſet, non Græcis dediſſet.

„ Dum hæc Nicephorus molitur, die XI. menſis Decembris, exeunte anno 969. occiditur, ejuſque thronum Joannes Tzimiſces occupat, a Polyeucto Patriarcha coronatus Imperator: qui anno ſequenti 970. (ut idem Leo Diaconus narrat) multis curis anceps hærebat, cuinam prius momentum daret in trivio conſtitutus, ne ab officio aberraret. Tum enim annonæ penuria altaque jam triennium fames, Romanum depaſcebatur Imperium: ingruenſque Roſſica motio nihil ipſa fauſtum ſperandum ingerebat: ac nec Carthaginenſium Arabumque adverſus Antiochiam Syriæ incurſio, quæ Romanæ ditioni nuper acceſſerat. Enimvero fames quidem

„ insuperabile malum, frumentationem ex omnibus ubique „ emporiis prompta dissolvit, gravis adeo mali grassante vi „ inhibita. Agarenorum vero motus repressus, objecta illis „ Orientalium copiarum acie, Nicolao Patricio exercitus du- „ ce. Fuerat is Imperatoris Spado, multaque exercitatione „ magnam rei bellicæ peritiam nactus erat. Cum Sphendosthla- „ bo autem Rossici exercitus duce gentisque principe ineun- „ da pacis fœdera, missis ad eum Fœcialibus putavit. Missis „ itaque ad eum Legatis denunciat, ut pacta cum Nicephoro „ Imp. mercede recepta, ea ratione quod Mysos invaserat, „ ad suas sedes ac Cimmerium Bosphorum se recipiant; Roma- „ nis vero Mysiam, utpote ad ipsos attinentem, ac quæ olim „ Macedoniæ portio existat, relinquant „. Sphendosthlavus autem victoriis adversus Mysos elatus, (sic Leo Diaconus pergit enarrans) barbarica insania ac dementia respondit Legatis, se brevi Byzantium forti vallo cincturum. Imperator nihil cunctandum esse existimavit, indeque Magistro Bardæ cognomento Sclero, defunctæ Mariæ hujusce Imperatoris conjugis fratri, necnon Petro Patricio, a Nicephoro Imp. Stratopedarcha creato, præcepit, ut assumptis copiis, ad loca Mysis vicina iisque contermina transirent, atque ibi hiberna ducerent. His ab Imp. in mandato acceptis, in Europam veniunt. *Tauroscythæ* vero suorum partes segregantes, eisque sociam adjungentes *Unnorum*, *Mysorumque* manum, in eos immiserunt. Adversariorum copiæ longe majores erant, ac triginta millia virorum excedebant; qu um Bardæ Magistri acies non plures decem millibus haberet. Conserto prælio, utrinque cadebant qui animosiores atque impetu incitatiores erant. Tandem Scythæ in fugam versi sunt, quorum Romani ad profundam usque vesperam eos insecuti multam stragem fecerunt. Ajunt in eo prælio supra viginti millia periisse. Joannes vero Imperator Asiaticas copias in Europam per Hellespontum trajicere satagebat, ut in Thracia & Macedonia hiberna agerent, & vernam tempestatem expectarent. Hiberno squalore in vernam mutato serenitatem (*anno* 971.) sumto statim Imperator Joannes Tzimisces Crucis vexillo adversus Tauroscythas iter contendit. Postea devotionibus propitiato numine, classem ad Istrum mittit, amnis meatum servaturos, nequa Scythis ad patriam ac Cimmerium Bosphorum enavigan-

dii

di facultas esset, si quando illos in fugam verti contingeret. Ipse vero Byzantio profectus, Adrianopolim cum omni exercitu venit. Ad eam quum pervenisset, didicissetque ab exploratoribus, difficiles angustasque semitas (clusuras vocant) a Scythis non custodiri, consultissime se facturum arbitratus est, si statim occasionem arriperet, ac quanta liceret celeritate, angusta viarum transiret, priusquam Tauroscythæ ad ardua tuenda invalescerent. Quum Imperator iter aggressus est, præeuntem habens Immortalium, quos vocant, egregie armis protectam cohortem; pone sequebantur fortissimorum armatorum peditum decem millia supra quingentos, equitum vero tredecim millia: reliquus exercitus cum impedimentis & calonibus obsidionales ac reliquas omnis generis machinas convehens, lento gressu retro sequebantur cum Basilio præside, cui Imperator omnium horum curam commiserat. Ubi præter omnem opinionem lubrica præruptaque loca transivit, *Presthlabam* urbem, quæ *Mysorum* Regia est, invasit, crebo tubas jubens bellicum insonare, cymbala ululare, ac tympana strepere. Tauroscythas vero, ubi militari ordine peritiaque se invadentes Romanos conspexere, anxietas timorque cepit, firma tamen constipata acie, in campo agrique planitie ante oppidum Romanis obviam processerant, bestiarum more frementes. Romani conserta cum illis manu strenue pugnabant, belloque digna facinora edebant, ancipiti neutramque in partem nutante victoria. Porro Scythæ, qui fere pedites essent (nec enim equites dimicare solent, quod neque equestri disciplina exerceantur) Romanorum jacula non sustinuerunt, sed in fugam versi, intra murorum ambitum sese concluserunt: quopone insecuti Romani, dire trucidarunt. Ajunt enim, eo prælio desiderata supra quingentos octo millia Scytharum. Romanos interim oborta nox ab ulteriore pugna inhibuit. Postridie Imperator firma acie constipata phalange muros aggreditur, quasi assultu urbis potiturus. Dies erat, quam *magnam quintam* (*a*) *Feriam* vocant, qua Dominus ad Crucem sponte properans, salutaria discipulis documenta dedit. Rossi quo-

a Anno 971. Quinta Feria in cœna Domini incidit in diem 13. Apr. & dies Paschæ in diem 16. Aprilis.

que e propugnaculis ordinati, Romanos invadentes arcebant, in quos desuper jacula, plenisque manibus saxa jaciebant. Tandem scalis ad muros admotis urbs capta, immensa Scytharum strage. Tunc etiam *Borisem Mysorum Regem* cum uxore & duobus infantibus captum esse dicunt, quum sic genæ rutila lanugine florescerent, oblatumque Imperatori esse. Quo ille suscepto, virum coluit, Bulgarorum Regem appellans, in eam rem venire dicens, ut Mysus ulcisceretur, qui dira a Scythis perpessi essent. Tunc & in Regiam aulam facta irruptio, in quam Rossorum fortissimi contrusi erant. Hi fortiter restiterunt, & per portulam desilientes, multam stragem Romanorum fecere. Tandem capta a Romanis *Presthlaba* est intra duos dies. Joannes vero Imperator exercitu liberalius accepto atque refecto, *divinam Salvatoris Resurrectionem* celebravit: & ex Tauroscythis nonnullos seponens, ad *Sphendosthlabum* direxit, qui ei injungerent, ut aut arma poneret, & a Mysorum ditione abscederet: sin id nollet, omnibus viribus invadentes Romanos exciperet. Imperator paucos dies in urbe moratus, præsidioque relicto, quod ipsi tutandæ sufficeret, exque suo nomine *Joannopoli* nuncupata, cum omnibus copiis *Dorostylum* (*a*) movet: quam urbem inclytæ memoriæ *Constantinus Imp.* a fundamentis erexit, & in eam pulchritudinem ac magnitudinem, qua nunc visitur, provexit, tunc nimirum quando Crucis signo stellis radiantibus in cœlo conspecto, Scythas in ipsum irruentes profligavit. In itinere autem cepit Imperator *Pliscupam*, *Diniam*, compluraque alia oppida. Sphendosthlabus intellecta quam ad Presthlabam sui cladem acceperant, Tauroscytharum omni exercitu collecto ad septuaginta hominum millia, in Romanos aciem instruxit. Utroque exercitu in Dorostoli agro (Dristram vocare sueverunt) constituto, castrisque e regione positis, magna conserta pugna, in qua æquo marte primis congressibus utrinque certatum est, idque ad profundam vesperam, alternante victoria; at quum jam stella Veneris in occasum vergeret, Scythæ non sustinentes Romanorum impetum,

---

a Dorostolum, & Dorostylum. Alias, Durostolum, & Dristra, nunc Dristo appellata, urbs Mœsiæ inferioris ad Istrum fluvium. Presthlaba, seu Presthlavia in majorem & minorem a Cedreno dividitur pag. 704.

tam, in fugam declinarunt, intraque muros contrusi sunt, multis suorum eo prælio desideratis. Jam vero die elucescente, Imperator firmo vallo castra communivit. Scythæ vero e turribus prospectantes, tela, saxaque, machinasque petrarias in Romanos laxarunt. Tunc vero ipsæ quoque Romanorum incendiariæ triremes cum navigiis annonariis per Istrum adrepentes, apparuere. Hinc Scythæ lembos suos, lintresque colligentes pro urbis mœnibus subduxere, qua parte Ister præterfluens, alterum Dorostoli latus alluit. Postridie valida utrinque conserta pugna, in qua *Sphacelus*, cui tertiæ a Sphendosthlabo honoris partes Tauroscythæ tribuerant, occisus est, cujus interitu turbati Tauroscythæ, sensim sese in urbem receperunt. Imperator vero receptui canere jubens, Romanos ad castra revocavit. Interim Rossi conferta acie, Romanorum machinas incendere tentabant: non enim stridentes illarum ictus ejaculationesque ferebant.

IV. Rossici Belli continuatio.

Continuatum eodem anno 971. Græcos inter & Rossos bellum, de quo Leo Diaconus hæc scribit. Scythæ Sphendosthlabi sermonibus excitati, periculum se pro sua adituros salute, fortique pectore adversus Romanam aciem pugnaturos consensere. *Postridie* igitur, *sexta scilicet hebdomadæ die, mensisque Julii vigesima quarta*, sub ipso solis ortu atque ardoribus egressi ex urbe Tauroscythæ, tentandam sibi pugnæ aleam statuerunt: commissoque prælio, forti impetu Scythæ in Romanos impressionem fecerunt. Romanus quidam, Anamas vocatus, totis equo laxatis habenis ad Sphendosthlabum venit, atque ad humeri juncturam gladio ferit, eumque pronum dejicit, non tamen interimit. Ipse vero denso Scytharum agmine circumfusus necatur. Cujus nece aucti fiducia Rossi, Romanos pepulere. Imperator videns inclinare aciem, in adversarios irrumpit, ejusque exemplo Romani. Confestimque exorta procella pluviæ guttis commista, hostium faciem verberabat, pulvisque excitatus illorum oculos lædebat. Ajunt vero etiam virum quemdam equo albo invectum apparuisse, qui Romanis ductor esset, & ad irruendum in Scythas hortaretur, qui postea inventus non est, licet magna quærendo diligentia habita esset. Inde indubia pervasit existimatio, magnum Martyrem Theodorum fuisse, quem Imperator in præliis sibi adjutorem

torem solebat deposcere. Ajunt etiam ejusmodi aliquid accidisse ad vesperam pridie quam pugna committeretur. Byzantii Virgo Deo dicata videre sibi in visione videbatur Deiparam, viris flammeis eam stipantibus, quæ & diceret: Vocate mihi Theodorum martyrem. Moxque adductum esse virum armatum, cui dictum sit a Deipara; Joannes tuus, domne Theodore, apud Dorostolum Scythis pugnans, infesta hostium acie gravius premitur: sed vade cito, ut illi opem feras: nisi enim quamprimum veneris, res illi in grave periculum vertetur. Cui ille rursus: Paratus, inquit, sum, ut Dei ac Domini matri obsequar. Quo dicto statim ivisse, & in eum modum equum ex Virginis oculis evolasse. Romani vero præeuntem divinum virum secuti, hostibus congrediuntur, qui in fugam declinaverunt, atque ad muros usque alii super alios ruentes, dire ceciderunt. Ajunt, in hoc prælio ad quindecim millia quingentos Scythas fuisse desideratos: capta scuta viginti millia, enses plurimos; Romanorum vero occisos trecentos quinquaginta, multos esse vulneratos. Sphendosthlabus misis mane ad Joannem Imp. Legatis, paciscendi fidem exposcit, ea nimirum conditione, ut Tauroscythæ Romanis tunc oppidum traderent, captivos dimitterent; atque Mysia recedentes, patriam laresque suos repeterent. Romani vero liberam eis enavigandi facultatem facerent, nec abeuntes cum igniariis navibus invaderent. Adhæc etiam Imperator commeatum annonamque subministraret, ac dum ii Byzantium mercaturæ causa proficiscerentur, sicut antea consueverant, licentia daretur. Imperator quia pace exercitus incolumis foret, bello contra interitu periret, fœdus percusit, & singulis tritici medimnos duos mensus est. Qui frumentum acceperunt, numeratos dicunt ad viginti duo millia, qui ex sexaginta exercitus Rossici millibus interitum evasere; triginta enim & octo millia, Romana acies confoderat. Joannes vero Imp. *totos quatuor menses* expugnato Rossorum exercitu, Mysiaque recepta ac Dorystolo ex nomine Theodori magistri militiæ atque martyris, Theodorupolis novo titulo nuncupato: justo item relicto præsidio, cum maximis tropæis Byzantium venit, ubi cives pro mœnibus effusos offendit, coronis sceptrisque ex auro lapillisque pretiosis ipsum accepturos. Ducebant & currum auro compactum, quem equi albi trahebant. In eum ut ascenderet,

deret, rogabant, ac consuetum ducere triumphum. Ipse vero coronas quidem ac sceptra suscepit, majoraque his munera rependit; ut autem in currum ascenderet, induci non potuit, sed Dei matris Imagine Deum hominem Verbum amplexante, quam ex Mysia attulerat, in currus sella collocata, eique substratis purpureis Mysorum paludamentis atque coronis ac stemmatibus, ipse singulari equo invectus pone sequebatur, caput diademate cinctus, ac coronas sceptraque gestans in manibus. Hac triumphi specie per mediam civitatem, purpureis vestibus undique ornatam, instarque thalami lauri ramis auroque textis peplis contectam., ad magnum Dei Sapientiæ delubrum processit: gratiarumque actionis exsolutis precibus, ac Mysorum præmagnifica corona velut manubiarum primitiis Deo dicata, atque appensa, in Regias sese ædes recepit: adductumque Borem (*Borisum*) Mysorum Regem, regii cultus insignia ei ademit: thiaram scilicet purpura prætextam, auro ac margaritis interstinctam, vestemque purpuream, ac rubros calceos: ipsum vero Magistrorum dignitate ornavit. Tantis porro Joannes Imperat. brevi admodum tempore præter omnem opinionem peractis tropæis, atque Mysia Romanæ ditionis effecta, Byzantii hiberna ducebat.

V. Russicum bellum a Jo: Zimisce Imp. adversus Sphendosthlabum susceptum, relataque ab eodem Zimisce de Russis victoria, ex historicis Byzantinis describitur.

Quæ in Bulgaria sub Joanne Zimisce Imperatore ab ineunte anno 970. usque ad finem belli Rossici gesta ex Leone Diacono supra sunt recitata, eadem apud Scylitzem, Cedrenum ac Zonaram fusius leguntur. Verba Cedreni a pag. 666. accipe. „ Ceterum Rossis quum ii Bulgariam quo retulimus mo„ do subegissent, captis etiam duobus Petri filiis Borisa & Ro„ mano, domum reverti nequaquam placuit: sed locorum „ commoditatem admirati, longum valedicentes pactis cum „ Nicephoro Imp. initis, ibi commorari, ditionemque istam „ possidere statuerunt. Hanc eorum sententiam magis etiam „ confirmavit Calocyrus, qui se, si ab ipsis Romanorum desi„ gnaretur Imperator, Bulgaria eis cessurum, fœdus perpe„ tuum icturum, tributum ipsis promissum multiplicaturum, „ sociosque & amicos eos per omnem vitam habiturum „ pollicebatur. His Rossi vocibus inflati, & Bulgariam ut a „ se bello subactam sibi vindicaverunt, & Legatos Imperatoris„

„ ris, omnia eis a Nicephoro (*a*) pacta se persoluturum polli-
„ centis, barbaricæ arrogantiæ plenis responsis datis rejecerunt.
„ Proinde Imperator armis eam rem disceptare coactus, missis
„ literis celeriter exercitus ab Oriente in Occidentem trans-
„ fert, eisque Ducem a se nominatum præficit Bardam Magi-
„ strum cognomento Sclerum, cujus sororem Mariam privatus
„ adhuc legitimo sibi matrimonio conjunxerat: statuitque ve-
„ ris initio ipse quoque in bellum proficisci. Sed Rossi eorum-
„ que ductor Sphendosthlabus, audito Romanas copias traje-
„ cisse, conjunctis quos jam in sua habebant potestate Bulga-
„ ris, adscitis etiam ad belli consortium Patzinacis, & qui in
„ Pannonia versus occasum habitabant Turcis, exercitu belli-
„ coso congregato ad CCCVIII. virorum (*b*) millia, Æmum
„ egressi, universam Thraciam incendiis ac prædationibus va-
„ starunt: castrisque prope muros Adrianopolis factis, prælii
„ occasionem præstolati sunt. At Bardas, qui se numero ho-
„ stibus multo inferiorem sentiret, quippe duodecim omnino
„ millium exercitu instructus, artibus Imperatoriis statuit bar-
„ baros circumvenire, astuque & machinis tantam opprimere
„ multitudinem, neque eum is conatus frustratus fuit. Quippe
„ se cum suis intra muros continens, barbarisque crebro pro-
„ vocantibus ad certamen de summa rerum ineundum non ob-
„ temperans, metumque simulans, quantumvis suorum res
„ ab hoste agi ferrique cerneret, tamen suum tenebat proposi-
„ tum. Hoc pacto magnum sui contemptum apud Bulgaros
„ excitavit: ii enim rati omnino formidine ductum Bardam,
„ suos mœnibus inclusos tenere, neque audere egredi, libere
„ porro vagari, castra negligenter metari, & excubias debitas
„ posthabere, noctes potando per ebrietatem inter fistulas &
„ cymbala & saltationes barbaricas ducere, denique nihil
„ eorum quæ attinebat curare. Ergo Bardas occasionem na-
„ ctus,

a Hæc respiciunt tempora Joannis Tzimiscæ Imperatoris, quum legatos pro pace ad Sphendosthlavum misit, statim ac, cæso Nicephoro, Imperium mense Decembri exeunte anno 969. iniit. Ita & Zonaras pag. 209. in Joanne Tzimisce. „ Ceterum „ Russi, Bulgarorum natione & provincia subacta, unacum Ducibus Borise & Ro- „ mano obliti patriæ, illic Imperii Sedem constituere voluerunt, Calocyri potissi- „ mum impulsu &c.

b Mendum in Græco textu: & pro 308. *millia*, legendum 38. *millia*, uti supra ex Leone Diacono, tametsi Zonaras quoque pag. 210. habet, exercitu circiter CCC. millium coacto.

„ ctus, & quomodo hostes adoriretur accurate meditatus, die „ horaque ad hoc designatis, dispositis per opportunissima lo- „ ca insidiis, Joannem Patricium Alacasensem cum modica „ manu emittit, qui speculatum hostes excurreret, ubique ii „ essent, illico sibi renunciaret, hostibus appropinquantibus „ manum consereret, subitoque terga dans speciem fugæ ex- „ hiberet; non quidem ut effuse laxatis equorum habenis fuge- „ rent, sed paulatim & composito agmine recederent: non- „ numquam etiam æquo loco conversi cum hoste pugnarent, „ donec eum in insidias pertraherent; tum vero effuse, & nul- „ lo ordine fugam facerent. Erant barbari in tres divisi par- „ tes: in prima erant cum Rossis Bulgari, seorsim Turci, „ seorsim etiam Patzinacæ. Fors ita tulit, ut Joannes primo „ omnium in Patzinacas incideret; quumque, uti mandatum „ ei fuisse demonstravimus, oblique recedens fugam simula- „ ret, Patzinacæ turbatis suis ordinibus instabant, spe fugien- „ tes subito omnes delendi: Romani modo agmine composito „ fugientes, modo hostibus sese obvertentes, ac præliantes, „ ad insidias cursim tenebant: in quas medias ubi venerunt, „ laxatis habenis effuse fugerunt, ac Patzinacæ dissipatis ordi- „ nibus promiscue eos sunt insecuti. Sed ubi Bardas subito „ cum toto exercitu apparuit, re improvisa consternati, omis- „ sa persecutione, non quidem fugæ, sed defensioni sese para- „ runt. Vehementi autem cum impetu Bardæ exercitu irruen- „ te, atque altera quoque à tergo phalange compositis ordi- „ nibus ingruente, statim fortissimi quique Scytharum cecide- „ runt: & eorum phalange alte dissipata, cornibus Romano- „ rum coëuntibus, in medio deprehensi Patzinacæ, atque in „ orbem circumventi, non diu vim sustinuerunt, sed incli- „ nata acie prope universi sunt occisi. His hoc modo victis, „ Bardas quum ex captivis intellexisset, reliquos adhuc inte- „ gros instructa acie pugnam expectare, recta in eos ducit. Ii „ vero tametsi recens acceptus de Patzinacarum clade nuncius „ animos eorum insperata calamitate fractos dejecerat, tamen „ mutuo sese cohortati, adscitis etiam qui ex fuga conflue- „ bant, Romanis occurrunt, præmissis equitibus, ac subse- „ quentibus eos peditibus. Primo congressu equites à Roma- „ nis, quorum vis subsisti non posse videbatur, rejecti, inque

„ peditatum compulsi sunt: ibi se recollegerunt, & Romanorum impetum sustinuerunt. Aliquandiu dubio marte pugnatum est, donec Scytha quidam mole corporis & robore animi elatus, ante alios progressus, in ipsum fertur Bardam, qui eques ordines obibat, atque dictis animabat. Hujus cassidi Scytha quum gladium inflixisset, ictu delabente conatus irritus fuit. Bardas vero ense galeam Scythæ feriit: & ob vim manus ac ferri præstantem tincturam ictui tanta fuit efficacitas, ut medium Scytham dissecuerit. Sed & Constantinus Patricius, Bardæ frater, alium Scytham, qui unacum priore ingruebat, ac se ferocius gerebat, ut fratri opitularetur, caput ferire dum vult, declinante ictum barbaro, hujus equi cervicem gladio tangit, caputque amputat: collapsumque Scytham ab equo descendens, manu mento ejus arrepto jugulat. Hoc facinus Romanis animos auxit, Scythas autem metu implevit: itaque obliti mox virtutis, terga dederunt, turpemque nullo ordine fugam fecerunt, quos insecuti Romani, campum cadaveribus oppleverunt. Plures interfectis capti sunt, & superstites paucis demptis omnes fuerunt saucii. Quod nisi nox ingruens Romanos a persequendo hoste revocasset, nemo sane evasisset. De tot millibus barbarorum perpauci superfuerunt. De Romanis in acie ceciderunt viri xxv. Vulnerati sunt universi.

Pergit Cedrenus pag. 671. „ Tzimisces anno secundo (*a*) Imperii sui, in Rossos expeditionem suscepturus, quum animos militum liberalitate sua refecisset, Duces iis præfecit prudentia & artium imperatoriarum peritia nobiles: & reliquis omnibus apparandis eam impendit curam, nequid rerum necessariarum exercitibus deesset. Classem quoque curavit opera Leonis ejus, qui tunc rei navalis Drungarius, postea est Protovestiarius factus: & cum veteres naves refecit, tum novas fabricatus est, & classem justam constituit. Omnibus probe adornatis, ineunte vere (*anno* 971.) sacris Deo pro felici exitu operatus, & relictis ad cives mandatis, Constantinopoli exit. Quum ad Rædestum venisset, duo „ illi

a Annus secundus Imperii Joannis Tzimiscæ inchoatus est mense Decembri, exeunte anno 970. Itaque hæc expeditio, ineunte vere anno 971. suscepta.

„ illi occurrunt a Scythis miſſi, ſub legationis prætextu, ex-
„ ploratum res Romanas: quos expoſtulantes, & de injuriis
„ Scythicæ genti factis querentes, quum non ignoraret cauſam
„ eorum adventus, per tota caſtra circuire, & omnes ordines
„ contemplari, eoque facto domum redire, ſuoque Principi
„ dicere jubet, Romanum ſic ornato & dictis obſequente exer-
„ citu ad bellum contra ipſum gerendum venire. Hoc modo
„ dimiſſis exploratoribus, ipſe cum expeditis circiter quin-
„ quies mille peditibus, & quatuor equitum millibus, man-
„ dato reliquis, ut Duce Baſilio Cubiculario citra feſtinatio-
„ nem ſubſequerentur, ſuperato Æmo in hoſticum nemine ex-
„ pectante irrumpit; & prope urbem magnam Perſthlabam,
„ ubi Regia erat Bulgarorum, caſtra ponit. Ea ſubita res Scy-
„ this terrorem ſtuporemque incuſſit: & Calocyrus præſentium
„ malorum auctor, qui tum ea in urbe degebat, ne ſonitum
„ quidem tubæ exaudire ſuſtinens, cognito, ipſum Imperato-
„ rem ad rem gerendam adeſſe, furtim urbe elapſus, in ca-
„ ſtra Roſſorum venit. Eo viſo, Roſſis & de adventu Impe-
„ ratoris certioribus redditis, haud mediocris incidit trepida-
„ tio; tamen Sphendoſthlabo multis eos cohortato, & quæ
„ præſens rerum ſtatus requirebat concionato, animis receptis
„ ad urbem accedunt, & caſtra Romanorum caſtris opponunt.
„ Interim exercitus Imperatoris in planitiem, quæ erat ante
„ urbem, ſe conferens, in hoſtes nihil prorſus tale ſperantes
„ ſubito incidit: ii erant octo virorum millia & quingenti,
„ extra urbem in armis ſeſe exercentes. Qui quum aliquantu-
„ lum reſtitiſſent, mox defatigati, fugam fecerunt, & partim
„ ingloriam oppetierunt mortem, partim in urbem evaſerunt.
„ Dum hæc geruntur, Scythæ qui intra mœnia erant, ſentien-
„ tes Romanos ex improviſo irruiſſe, & cum ſuis manum con-
„ tuliſſe, ſubito ut cuique caſus armorum aliquid offerebat in-
„ ſtructi, urbe ſe ad ferendum ſuis auxilium effundunt: quibus
„ incompoſito venientibns agmine occurrentes Romani, ma-
„ gnam edunt cædem: & barbari ne aliquantulum quidem re-
„ ſiſtere valentes, dant terga. Sed quia Romani equites ci-
„ tatis equis viam in urbem ducentem occuparant atque inſe-
„ derant, fuga per campos palantes atque deprehenſi occidun-
„ tur. Itaque & cadaveribus tota planities conſtrata eſt, & in-

„ numeri capti. Proinde Sphagellus (cujus poſt Sphendoſthlabum ſumma erat inter Scythas auctoritas) Perſthlabani exercitus præfectus, jam de ipſa urbe retinenda anxius, portas claudit, ac vectibus objectis munit, & de muro omnis generis miſſilibus ac ſaxis ſubeuntes Romanos arcet. Nox oborta, obſidionem ſolvit. Poſtridie prima luce præſes Baſilius cum reliquis copiis adſuit, cujus adventus magnum gaudium Imperatori attulit: & collem quemdam conſcendit, ut Scythis eſſet conſpicuus. Interim copiæ inter ſe conjunctæ urbem cingunt. Multis hortato barbaros Imperatore, ut ab incepto deſiſterent, neque ſibi ipſis exitii cauſa eſſent, quum nihil proficeretur, Romani juxta incenſi ira, oppugnationem aggreſſi, ſagittis murorum defenſores abigunt, ſcalas muris opponunt: & quidam animoſus miles dextra gladium tenens, lævaque ſcutum ad capitis defenſionem elatum geſtans, primus per ſcalam in murum evadit, ſcuto ictus amoliens, & enſe obſtantes arcens, itaque per propugnacula adſcendens, diſſipatis qui ibi erant hoſtibus, ſuis tutum muri conſcendendi locum præbet. Hunc alii poſt alios imitantur: quumque hoc modo complures murum jam tenerent, cuneo facto Scythas pellunt, iique ſe de muris agunt præcipites. Aliis quoque diverſis locis multi priores imitati, per ſcalas in murum ſuccedunt: & Scythis trepidantibus quidam Romani, hoſte non animadvertente, ad portas nullo negotio perveniunt, iiſque apertis totum immittunt exercitum. Hoc modo urbe capta, Scythæ per angiportus diffugientes, deprehenſi interimuntur, mulieres & pueri captivi ducuntur. Capitur & cum conjuge & liberis (*a*) Boriſes Bulgarorum Rex, regni inſignia adhuc geſtans, & ad Imperatorem adducitur. Cui ſe Imperator admodum exhibuit humanum, Regem Bulgarorum appellans, omneſque captivos Bulgaros libere quo quiſque abire vellet permittens: non ad ſubigendos, ſed ad liberandos Bulgaros bellum ſe moviſſe dicens, ſoloſque Roſſos ſe hoſtium habere numero. Interim Scytharum animoſiores ad octo millia, locum in Regia munitum occupant, ibique aliquandiu latent: ac multos qui loci contemplandi „ aut

a Zonaras pag. 212. Perſthlava ſic expugnata, Boriſes quoque Bulgarorum Rex captus eſt, quem cum omnibus Bulgaris Imperator humaniter tractatum dimiſit.

„ aut spoliorum causa eo accederent, occulte arreptos interfi-
„ ciunt. Imperator re cognita, exercitum adversus eos mit-
„ tit: qui quum animo langueret, & oppugnationem tentare
„ non auderet, non hostium id metu, sed quod locus is muni-
„ tus atque inexpugnabilis videbatur; Imperator facile reme-
„ dium adhibuit: ipse sumptis armis primus omnium pedes
„ ad illum locum contendens. Id enim quum viderent mili-
„ tes, confertim arma rapiunt, & quivis Imperatorem præver-
„ tere cupientes, sublato clamore Rossos oppugnare aggre-
„ diuntur: fortiter iis oppugnationem tolerantibus, multis
„ locis ignem succendunt, itaque eos expugnant: nam vim
„ ignis non ferentes Rossi, per præcipitia sese dejicientes quis-
„ que aufugiunt: multi eorum igni absumpti, multi præcipiti
„ casu extincti, reliqui ferro occisi aut capti. Hoc modo in-
„ tra biduum tota urbs capta. Refecit eam Imperator, & a
„ suo nomine Joannopolim denominavit; impositoque valido
„ præsidio, rebus ad vitam necessariis abunde instruxit. Inde
„ festo Dominicæ Resurrectionis die acto, postridie ad Doro-
„ stolum, cui & Dristra nomen, iter ingreditur. At vero
„ Sphendosthlabus, tametsi audita Persthlabæ expugnatione
„ perturbatus haud injuria esset; infracto tamen animo suos
„ cohortatus, ut porro jam tanto se fortius gerant, constitutis
„ etiam, ut res ferebant, reliquis, & quos suspectos habebat
„ Bulgaros, omnibus (erant autem trecenti circiter) interfe-
„ ctis, adversum Romanos proficiscitur. Imperator institutum
„ iter persequens, urbes in eo sitas itinere capit, iisque præ-
„ fectos constituit, & multis castellis atque oppidis evastatis,
„ ac præda militi concessa, pergit. Ubi exploratores nuncia-
„ verunt Scythas adventare, delectum exercitum præmittit,
„ Duce Theodoro a Mistheja; jubetque hostium multitudi-
„ nem exquirere, & sibi indicare, & (si ita videatur commo-
„ dum) levi prælio eorum vires tentare: ipse cum instructo
„ universo exercitu pone sequitur. Theodorus cum suis ubi
„ ad hostes pervenit, dat in eos impetum. Rossi insidias sub-
„ esse veriti, progressu abstinent: multisque suorum ictis,
„ quibusdam etiam dejectis, fuga in vicinos montes densosque
„ & amplos saltus se dispergunt, ac per montana ad Dristram
„ perfugiunt. Rossi fuere numero septem millia; Romani ve-

„ ro

„ ro qui eos fuderunt, trecenti. Scythæ autem Sphendosthlabo conjuncti, auctores ei fuerunt, ut cum omnibus copiis (numerabantur autem trecenta triginta (*a*) virorum millia) duodecim ante Dorostolum milliaribus castra poneret, ibique Imperatoris adventum intrepide expectarunt. At Romanos recentibus victoriis elatos, & jamjam de summa rerum prælio decertatum iri sperantes, scientes insuper Deum se habere adjutorem, qui non inferentibus, sed passis injuriam opitulari soleret, non eos modo qui fortitudine aliis anteibant, sed jam & timidiores alacritas & audacia incessebat, ardentique pugnæ desiderio agitabantur. Ubi in conspectum mutuo venere exercitus, utroque Imperatore suos dictis, qualia præsenti rei accommodata erant, animante atque instigante, ut classicum cecinit, magna cum vi parique alacritate concursum est. Primo conflictu Romani vehementi facto impetu, multis dejectis hostium ordines labefactant: neque tamen cedunt hostes, neque Romanis eos persequendi datur facultas, Scythis sese confirmantibus, rursumque sublato clamore in Romanos irruentibus. Pugnatur aliquantisper æquo marte. Jam autem ad vesperam inclinante die, Romani sese cohortantes, & veluti acuentes mutuis exhortationibus, sinistrum Scytharum cornu premunt, & intolerabili vi ingruentes multos prosternunt. Quumque ad afflictam partem Scythæ coirent, suorum quosdam Romanus Imperator suis auxilio mittit, ipseque subsequitur, apertis cum Imperii signis, equo calcaribus incitato, & hastam infensam ferens, suosque verbis exstimulat. Acerrime tunc pugnatum, & variis vicibus prælio mutato (duodecies enim ferunt inclinatas acies) vix tandem Rossi desperata salute, inordinata fuga in campum se effundunt: eosque insecuti Romani, multos perimunt. De Rossis cecidere multi, capti etiam plures, reliqui Dorostolum fuga evaserunt. Imperator ob impetratam victoriam, sacrificio veneratus gloriosum Martyrem Georgium (*b*) (nam die hujus memo-
„ riæ

a Ε'ς τριακοσίας καὶ τριάκοντα χιλιάδας ἠριθμημένοι.

b *Georgium*. Solus Cedrenus hoc habet de *S. Georgio* Martyre, cujus festum quum die 23. Aprilis celebretur, indicare voluit id etiam prælium eo die fuisse commissum.

„ ftæ consecrato cum hoste conflictum fuit) postridie ad Dorostolum ducit, ibique castris communitis, classem Romanam opperitur. Nam ante hujus adventum oppugnationem aggredi nolebat, ne amne custode vacuo, navibus effugere Rossis liceret. Interim Sphendosthlabus Bulgaros quos captivos habebat, ad xx. millia numeratos, compedibus ac vinculis constringit, metuens, ne ii seditionem concitarent: & se ad tolerandam obsidionem parat. Imperator ubi classis appulit, oppugnare urbem incipit, & sæpe erumpentes urbe barbaros profligat. Quadam die sub vesperam Romanis ad cænam dissipatis, barbari bipartito agmine equites & pedites (tum primum ii equites visi sunt, hactenus pedites tantum pugnaverant) duabus se urbis portis effundunt: quarum una versus Orientem, quam custodire jussus erat Petrus castrorum præfectus cum Thracibus & Macedonibus: altera Occidentalis, ad quam in excubiis locatus erat Barda Sclerus cum Orientalibus copiis. Acriter dimicatum est, Romanis fortiter eos sustinentibus: & tametsi aliquandiu dubia stetit victoria, tamen ad extremum Romani sua virtute barbaros fundunt, multisque occisis, maxime de equitatu, in urbem reliquos compellunt. Romanorum sauciatus est nemo, neque, nisi tres equi, quicquam periit. Hoc pacto fracti barbari, & intra muros coacti, noctem istam insomnem exegerunt: & eos qui in pugna ceciderant feris atque terribilibus ejulatibus deploraverunt: ut quicumque audirent, non hominum lamenta, sed ferarum rugitus & mugitus putaret se percipere. Sub auroram omnes qui hinc inde per castella præsidii causa erant, ad se Dorostolum evocant, iique præsto fuerunt. Imperator quoque totum exercitum in campum qui est ante urbem, eduxit: & barbaros quum frustra ad pugnam provocasset, in castra reduxit, ac quievit. Ea die ad ipsum veniunt legati a Constantia, & aliis trans Istrum sitis castellis, veniam petentes, & se, ac munitiones dedentes: quibus benigne acceptis, mittit qui castella recipiant: simulque præsidia, quibus ea asservari quirent. Vespere jam facto Rossi omnibus urbis portis apertis, numero admodum aucti, in Romanos ob noctem nihil tale suspicantes irruunt: & quidem primo conflictu victores videbantur;

„ pau-

„ paulatim tamen Romani superiores sunt facti. Nam ubi Sphagellus fortissime pugnans cecidit, eo amisso animi barbarorum languere cœperunt, & remisit impetus. Per totam tamen noctem subsistunt, atque adeo ad meridiem usque: tum demum animadvertentes ab Imper. missam esse exercitus partem, quæ Rossos aditu in urbem excluderet, fugæ se dant; quumque vias in urbem ducentes invenirent obsessas, per campum fuga dispersi, ab insequentibus multi occiduntur. Ea quæ subsecuta proxime est nox, Sphendosthlabus urbis muros fossa profunda circumdabat, ne facile Romani cum impetu possent eos oppugnatum accedere: atque hoc modo urbe communita, statuit obsidionem fortissime perferre. Quia autem plerique militum ejus ob vulnera male habebant, & jam consumptis alimentis penuria imminebat, quum importari aliunde quicquam Romani non sinerent: observata nocte tenebrosa ac illuni, in quam imbres magni, grando terribilis, fulguraque & tonitrua horrenda inciderant, cum duobus virorum millibus lintres conscendit, & ad quærenda victui necessaria navigat. Quum collegissent prout quisque nancisci poterat frumentum, milium, & alias ad vitam sustentandam facientes res, rursum adverso flumine Dorostolum vehuntur; atque inter revehendum quum in ripa fluminis viderent calones haud paucos, quorum alii equos potabant, alii herbam aut ligna colligebant, navibus egressi, & per silvam absque strepitu incedentes, eos nihil tale cogitantes subito adoriuntur, multisque interfectis, reliquos palatim in proxima nemora se abdere cogunt; ipsi suis lintribus rursum conscensis, secundo vento Dorostolum redeunt. Imperator ut hoc percepit, molestissime tulit, & præfectos classis gravissime culpavit, quod barbaros Dorostolo avehi non sensissent: minatus etiam mortem, si quid præterea tale ipsis non observantibus fieret. Quo factum, ut ii utramque fluminis ripam diligentissime posthac custodirent. Enimvero Imperator quum LXV. continuos dies urbem oppugnasset, eam posthac obsidione & fame statuit tentare: ideo vias omnes fossis actis & præsidiis additis munit, nequis alimentorum petendorum causa exire urbe posset: ipseque in obsidione in-

„ te-

„ terim otio fruitur. Interim Scythæ intus fame pressi, simul „ a machinis oppugnatoriis hostium non leviter lædebantur, „ præcipue eo loco, qui Joanni Magistro, Romani Curcuæ „ filio, demandatus fuerat. Nam saxa torquens instrumentum „ ibi collocatum, obsessis multa damna dabat. Itaque gravis „ armaturæ delectos milites velitibus permistos emittunt, si „ qua ii ratione eam machinam pessumdare possent. Id ubi in- „ tellexit Curcuas, robustissimis suorum assumptis, celeriter „ ad eam defendendam se confert: invectusque in medios Scy- „ thas, ab equo missili icto ejicitur, atque a Scythis dilaniatus „ ferro interit: reliqui Romani concursu facto, & machinam „ integram conservant, & Rossos in urbem compellunt. *Die* „ *Julii mensis vigesima* (*anni* 971.) Rossi universi ad pugnam „ adversus Romanos exiverunt. Exhortabatur eos, & ad for- „ titudinem excitabat *Icmor*, vir post Sphagellum apud Scy- „ thas primo loco: non quod vel familia ejus præcipua esset, „ vel favorem aliorum sibi aliunde conciliasset, sed solius vir- „ tutis ergo ab universis in honore habitus. Hunc commissa „ pugna Anemas, Cretensium Ameræ Basilii Curupæ filius, „ unus Imperatoris stipatorum, cernens fortiter pugnam obi- „ re ac reliquos excitare, & Romanorum ordines conturbare, „ nihil vel vastitate corporis ejus vel robore deterritus, san- „ guine circa cor effervescente, equum huc illuc torquens, „ stricto qui ad femur pendebat gladio, impetum in eum dat „ vehementissimum; tantumque in sinistrum humerum juxta „ claviculam imponit vulnus, ut & collum abscinderet, & „ cum dextra manu amputatum caput in solum decideret. Ipse „ illæsus ad suos rediit. Exclamatum ad hoc facinus promiscue, „ Romanis ob victoriam lętum clamorem attollentibus, Scythis „ autem confusum ejulantibus, & vigorem suum dimittenti- „ bus. Tandem Romanis prementibus, Rossi fugam faciunt, „ eaque cum dedecore in urbem evadunt. Multi eo die perie- „ runt, partim ob locorum angustiam a se invicem conculcati, „ partim a Romanis assecutis eos in fuga cæsi. Quod nisi nox „ ingruens Spendosthlabum eripuisset, utique & ipse vivus in „ Romanorum venisset potestatem. Superstites a clade quum „ intra mœnia venissent, magno cum luctu ac planctu mortem „ Icmoris deploraverunt. Et Romani quum barbaris occisis

„ spolia detraherent, inter cadavera etiam mulieres invene-
„ runt virili habitu tectas, quæ inter maritos in Romanos pu-
„ gnaverant. Jam barbaris bello omnia erant adversa. Nam
„ neque suppetiarum spes erat, quum & ipsorum gentiles pro-
„ cul abessent, & finitimæ barbaræ gentes a Romanis sibi me-
„ tuentes auxilia denegarent: & commeatus ipsos deficeret,
„ quod Romana classe ripas accuratissime custodiente, nihil eis
„ poterat importari: eademque res obstaret, quo minus lem-
„ bis suis aufugere possent: quum interim Romanis quotidie
„ veluti ex perenni fonte omnia affluerent bona, & subinde
„ equestres terrestresque copiæ accederent. Itaque concilium
„ cogunt. Ibi alii noctu furtim confugiendum censebant; alii
„ Romanorum fidem pacemque implorandam, atque ita (ali-
„ ter enim non licere) domum redeundum: aliis aliud pro re
„ nata videbatur. Omnium tamen eo tendebant sententiæ,
„ belli finem esse faciendum. At Sphendosthlabus hortari, ut
„ adhuc semel cum Romanis congredi vellent, & vel fortiter
„ pugnando eos devincere; vel si victoria potiri non daretur,
„ gloriosam atque felicem mortem turpissimæ atque infami vi-
„ tæ præferre. Qui enim vitam toleraturi essent fuga servatam,
„ contemnentibus ipsos porro vicinis populis, quibus antea
„ terrori fuissent? Ea sententia placuit, assensique sunt omnes,
„ & polliciti extremum se pro vita sua certamen summa vi obi-
„ turos. Postridie ergo universi urbe exeunt, portasque clau-
„ dunt, ne quis in urbem è fuga pervenire possit. Commisso
„ prælio acriter pugnatur. Jam barbaris animose pugnantibus,
„ Romani & gravis suæ armaturæ pondere & Solis sereno me-
„ ridie ardore ac siti languere incipiebant: quum Imperator
„ re animadversa succurrit cum suis, & hostium vehementiæ se
„ objicit, utresque interim aqua & vino plenos adferri jubet:
„ inde quos æstus & sitis afflixerat recreati, violento impetu
„ in Scythas irruunt: iisque audacter subsistentibus, aliquan-
„ diu æquo Marte pugnatum est. Tandem Imperator sentiens
„ loci angustiam virtuti suorum obstare, ac Scythis eo animos
„ augeri, mandat Ducibus, ut retro in planitiem procul ab
„ urbe abducant, fugientiumque speciem non effuse, sed sen-
„ sim cedendo præbeant: atque ubi hostem longe ab urbe
„ avocarint, subito equis conversis aggrediantur. Jussa exe-
„ quun-

„ quuntur Duces, & Roſſi cedentes Romanos fugere opinati, „ mutuo ſeſe exhortati, magno cum fremitu eos inſequuntur: „ Romani, ut ad præſcriptum locum eſt perventum, converſi „ fortiter hoſtem invadunt. Ibi prælio fervente, ductor Theo- „ dorus a Miſtheja, equo ſuo lancea confoſſo, in terram cadit: „ & circa eum acre oritur certamen, Roſſis interficere, Ro- „ manis ſervare ſatagentibus. Ipſe ab equo collapſus, Scytham „ quemdam cingulo arreptum, hac illac peltæ inſtar obverſans, „ eo conjectas in ſe haſtas excutit, ſenſimque retro abiens, ad „ ſuos revertitur, donec Romani Scythis vi repulſis, eum pe- „ riculo eripiunt. Id prælium diremptum eſt, incerta etiam- „ num victoria. At Imperator animoſius quam ante præliari „ Scythas videns, tempuſque teri ægre ferens, ſuorumque „ ærumnas ejus belli miſerans, ſingulari pugna decernendum „ cenſet. Itaque Sphendoſthlabum per legatos provocat, & „ oſtendit præſtare, unius hominis interitu rem decidi, quam „ paulatim totas gentes perimi, ut victori in omnes paretur „ Imperium. Barbarus conditionem oblatam repudiat, ſuper- „ beque reſpondet: Melius quid ſibi ex re ſit, ſe, quam ho- „ ſtem intelligere. Si Romano Imperatori non vacet vivere, „ infinitas eſſe mortis vias: deligeret quam vellet. Ipſe ad „ bellum omni ſtudio ſe parat. Singularis pugnæ ſpe dimiſſa, „ Imperator omni modo id molitur, ut ingreſſu urbis Barba- „ ros arceat. Ad id negotii emittit Bardam Sclerum Magiſtrum „ cum ſuis Cohortibus: Romanum vero Patricium Conſtanti- „ ni Cæſaris filium, Romani Senioris nepotem, & Petrum „ exercitus præfectum cum ſuis copiis hoſtem invadere juſſit: „ eſtque acerrime utrinque pugnatum, & varie nunc ad hos, „ nunc ad alteros inclinata victoria diu anceps fuit. Ibi rurſum „ Ameræ Cretenſis filius Anemas equo hac illac obverſo, & „ vehementer calcaribus incitato, audacter in ipſum fertur „ Sphendoſthlabum, hoſtilique phalange divulſa, gladium ei „ in medium caput infligit, eoque ictu equo dejicit; ne tamen „ interficeret, arma quibus tectus erat barbarus, obſtiterunt. „ Ipſe circumventus, & multorum telis petitus, fortiſſime pu- „ gnans, ipſorum etiam cum hoſtium admiratione, interfici- „ tur. Ferunt ea pugna divinitus quoque Romanis latum auxi- „ lium. Nam ab auſtro obortam procellam in facies Scytha-

„ rum ingruisse, eosque impedivisse, ne suo arbitratu rem
„ gererent: & ab omni Romanorum exercitu conspectum
„ fuisse virum albo equo vectum, qui princeps pugnam obie-
„ rit, hostiumque ordines conturbaverit, nemini neque ante
„ neque postmodo cognitum. Eum ajebant fuisse Theodorum,
„ unum de pulcerrimas consecutis victorias Martyribus. Sane
„ his semper auspicibus atque antesignanis adversum hostes uti
„ solebat Imperator hic: & quo die hæc pugna est pugnata, is
„ festus fuit memoriæ illius Theodori exercituum ductoris.
„ Sed & veneranda quædam mulier Constantinopoli fidem fe-
„ cit, id visum fuisse divinum. Ea enim pridie istius diei in-
„ somnis visa sibi fuerat adstare Deiparæ, & audire eam dicen-
„ tem cuidam militi: Domine Theodore, meus ille & tuus
„ Joannes in periculo versatur, festina ad opem ei ferendam:
„ idque insomnium prima luce vicinis narraverat. Enimvero
„ Scythæ eo prælio funduntur: quumque se portis interclusos
„ a Barda sentirent, in campum fuga disperguntur, pereunt-
„ que innumerabiles, partim a se invicem conculcati, partim
„ a Romanis obtruncati, vulnerati pene omnes. Martyri Theo-
„ doro gratiam pro ope lata referens Imperator, fanum in
„ quo is humatus erat, ad fundamenta usque demolitus, aliud
„ magnificentissimum exstruxit, ac prædiis amplos habentibus
„ reditus donavit. Urbem, in qua (*a*) id erat, pro *Eucha-*
„ *nea*, *Theodoropolim* nominavit. Sphendosthlabus quum om-
„ nibus tentatis nihil successisset, nullam spem reliquam sibi
„ videns, ad pacificationem animum adjicit: missisque legatis
„ postulat ab Imp., se fide publica in numerum amicorum &
„ sociorum Romani Imperii recipi, sibique cum suis reditum
„ tutum concedi in patriam, & Scythis libere negotiandi cau-
„ sa in Romanorum ditionem venire permitti. Postulata hæc
„ omnia Imperator confirmavit, fatus illud decantatum: Ro-
„ mani moris esse hostem beneficio magis, quam armis vince-
„ re. Pactis initis, Sphendosthlabus etiam colloquium Impe-
„ ratoris petiit, estque admissus: & collocutus de quibus vo-
„ lebat,

a *Theodoropolim*. Zonaras pag. 214. elegantissimum ei templum Euchaniæ, sive Euchaitæ exstruxit, vetere diruto, in quo corpus ejus multis certaminibus defunctum, repositum erat, & urbem veteri nomine abolito, Theodoropolim appellavit.

,, lebat, receſſit. Ejus rogatu (*a*) etiam Imperator per lega-
,, tos a Patzinacis petit, ut ſocii amicique Romanorum fiant,
,, neque Iſtrum populandæ Bulgariæ cauſa tranſeant, utque
,, Roſſis per ſuam ditionem in patriam redeundi facultatem
,, concedant. Obiit eam legationem Euchaitorum Summus
,, Pontifex Theophilus. Patzinacæ reliqua pacti omnia; tan-
,, tum Roſſis per ſua tranſitum denegarunt. Quum Roſſi na-
,, vibus ſuis avecti domum verſus eſſent, Imperator Caſtellis
,, & Urbibus quæ ad ripas fluminis ſunt, communitis, Con-
,, ſtantinopolim rediit. Excepit eum urbis Patriarcha & Pon-
,, tificum ordo ac Senatus cum pæanibus & lætis victoriæ gra-
,, tulationibus coronatum: & adduxerant quadrigas magnifice
,, adornatas, quas quatuor albi equi traherent, eoque invehi
,, eum ac triumphare volebant. Sed Imperator nihil inſolens
,, aut ſuperbum admittens, moderate ſe geſſit: ſertiſque quæ
,, offerebant acceptis, albo equo triumphum ducit, quadrigis
,, Bulgaricas Regum veſtes impoſuit, ſupraque has Imaginem
,, Deiparæ, utpote quæ tutelam urbis gereret, eamque ſe præ-
,, cedere juſsit. Ut in forum venit, gratulatoriarum jam ſatur
,, acclamationum, actis pro parta victoria Deiparæ & ejus filio
,, gratiis, in conſpectu populi, Inſignibus Bulgarici Regni Bo-
,, riſem exuit (ea erant, corona aurea, tænia Byſsina, & cal-
,, cei rubei) indeque ad magnum progreſſus Templum, coro-
,, nam Bulgaricam Deo donarii loco ſuſpendit, Boriſen ad
,, Magiſtri dignitatem evehit, atque ita in Palatium reverti-
,, tur. Ceterum Sphendoſthlabus in patriam repetens, dum
,, per Patzinacas tranſit, inſidiis jam ante paratis & ipſum ex-
,, pectantibus illapſus, cum ſuis ad internecionem cæditur:
,, Succenſebant enim ei Patzinacæ, ob ictum cum Romanis
,, fœdus. Porro Imperator ut gratias Chriſto Servatori refer-
,, ret, Templum quod ſupra fornicem Chalces eſt, de novo
,, ædificavit, nulli ſumptui parcens, dum id quam ornatiſsi-
,, mum faceret. Abſolvit etiam ſubditos univerſos Fumario
,, tri-

a Zonaras pag. 214. Quæ quum Imperator omnia conceſſiſſet, Sphendoſthlavus ipſe eum adiit, orans, ut cum Patzinacis ageret, ut Ruſſis domum redituris per ſuam Provinciam tranſitum darent. Imperator nuum & hoc, & belli ſocietatem, atque illud etiam ab eis petiiſſet, ne Iſtro trajecto Bulgariam vaſtarent; Patzinacæ cæteris aſſenſi, tranſitum Ruſſorum dumtaxat negarunt. *Et paulo poſt.* At Sphendoſthlavus cum Ruſſis ſuis, in reditu, Patzinacarum inſidiis exceptus ad internecionem cæſus eſt.

,, tributo: & edixit, ut cum in aureo nummo, tum in obolo, ,, Servatoris insculperetur Imago, quod antehac non fuerat re- ,, ceptum: & alteri parti inscribi jussit, Jesus Christus Rex ,, Regum, Ἰησοῦς Χριστὸς Βασιλεὺς Βασιλέων. Quod Succes- ,, sores etiam observarunt.

VI.
Statuitur Epocha Russici belli.

Pagius Russicum bellum anno 973. finitum scribit: Ea enim Leonis Diaconi verba de Russis ex urbe Dorostolo ad pugnandum adversus Romanam aciem egressis: *Postridie igitur, sexta scilicet hebdomadæ die, mensisque Julii vigesima quarta*; sic ipse num. VIII. emendanda censet: ,, Legendum, *vigesima* ,, *quinta*, qui dies hoc anno (973.) in feriam sextam incidit ,,. Verum suscepta a Joanne Tzimisce ab ineunte vere anni 971. usque ad finem belli Russici expeditio, quum nonnisi *quatuor mensibus*, Leone Diacono teste, duraverit, eodem an. 971. mense Julio finem acceperit, oportet. Verba Leonis Diaconi repeto: ,, Joannes vero Imper. totos quatuor menses expugnato ,, Russorum exercitu, Mysiaque recepta, ac Dorostolo ex no- ,, mine Theodori Magistri militiæ στρατηλάτου atque Martyris, ,, Theodoropolis novo titulo nuncupato; justo item relicto ,, præsidio, cum maximis tropæis Byzantium venit ,,. Leoni Diacono concinunt Cedrenus & Scylitzes: hanc enim expeditionem a Joanne Zimisce inchoatam scribunt, *vere ineunte anno Imperii ejus secundo*, adeoque circiter *mensem Aprilem anni* 971. Atqui *Presthlaba* juxta eundem Leonem, capta fuit *Feria quinta in Cœna Domini*, hoc est *die* 13. *Aprilis* ejusdem anni, ibique celebrata Paschæ solemnitas *die* 16. ejusdem mensis & anni. Tum vero *paucos dies in urbe* moratus, cum copiis Dorostolum movit, captis in itinere, *Pliscupa*, *Dinia*, aliisque oppidis: in Dorostoli agro pugna commissa (scribente Cedreno) relataque de Russis victoria in festo *S. Georgii Martyris*, hoc est, *die* 23. *Aprilis*: mox altera pugna commissa, in qua interiit *Sphogellus*, cui tertiæ a Sphendosthlabo apud Russos honoris partes tribuebantur. Posthæc duravit obsidio *Dorostoli* (eodem Cedreno teste) *continuos* LXV. *dies*, idest, usque ad finem *Junii*: tum arctius obsessa: statuit enim Imperator *obsidione & fame* eam expugnare: *Die* 20. *Julii* (eodem Cedreno teste) exeuntes ex urbe Russi pugnarunt cum Romanis, victique, cum dedecore in urbem rediere, interfecto *Icmore*, viro

post

post Sphagellum apud Russos primo loco. Demum *die* 21. *Julii* (ejusdem utique anni 971.) pugnata ultima pugna, qua deletus fuit Russorum exercitus, coactusque Sphendosthlabus pacem petere. Itaque recte a Leone Diacono scriptum: *Totos quatuor menses a Joanne Zimisce expugnatus Rossorum exercitus, Mysiaque recepta*: nimirum a mense Aprili ad Julium anni 971. Recte etiam ab eodem Leone dictum: *Postridie igitur, sexta scilicet hebdomadæ die*: nam *die* 20. *Julii* (ut modo ex Cedreno dicebam) „ Scythæ sub ipso Solis ortu, atque ardo„ ribus egressi ex urbe Dorostolo, tentandam sibi pugnæ aleam „ statuerunt „: Dies autem *vigesima Julii anno* 971. *in Feriam quintam* incidit, quum eo anno *Litera Dominicalis* esset *A*: adeoque *postridie* ejus diei, *Feria sexta* fuit; non tamen *vigesima quarta Julii* (uti oscitantia amanuensis scriptum legitur) sed *vigesima prima Julii*; quemadmodum ex dictis apparet. Quod vero tam Leo Diaconus, quam Cedrenus, Scylitzes & Zonaras dicunt, καὶ γὰρ δὴ καὶ συνέτυχε τὸν δὲ τὸν ἀγῶνα κατ' αὐτὴν συνενεχθῆναι τὴν ἡμέραν, καθ' ἣν εἰώθαμεν ἑορτάζειν τὴν μνήμην τοῦ στρατηλάτου: „ Et quo die hæc pugna est pugnata, is „ festus fuit memoriæ illius Theodori exercituum ductoris: „ id inquam, mendum est, & pro, *die Festo S. Theodori*, legendum, *reportata ea victoria precibus S. Theodori, quem ea die Joannes Imp. invocaverat*: nam bis in anno apud Græcos memoria S. Theodori recolitur, nimirum *die* 7. *Februarii*, quando ejus martyrium contigisse fertur, & *die* 8. *Junii*, quando ejus Reliquiæ sunt translatæ: mense autem Julio, nulla fit ejusdem commemoratio. Sed quid miramur, Græcos Scriptores factam die 21. Julii a Joanne Imp. Sancti Theodori votivam commemorationem, pro festo ejusdem Sancti Martyris die accepisse; quum Emus Baronius hunc ipsum Theodorum *Stratelatem*, hoc est, *Ducem*, confundat cum altero Martyre *Tyrone* appellato? Sic enim scribit Adnotat. ad diem 9. Novembris, qua S. Theodorus in Martyrol. Rom. colitur: „ De eodem „ Beda, Usuardus, Ado, & alii Latinorum. Græci autem XIII. „ Kal. Martii (*idest* 17. *Febr.*) in Menologio, & in Constitu„ tione Emmanuelis Imp.. Hic ab eis dictus est Theodorus „ Tyro, ad differentiam Theodori Ducis: appellatus est & „ Amasenus ob locum ubi passus est: dictus & Euchaita, a ci-

„ vitate,

„ vitate, in quam ejus Corpus translatum est, quæ ab eodem „ postea nominata est Theodoropolis a Joanne Zemisce Imp., „ qui ob ingentem victoriam ejus precibus habitam, eidem „ amplissimam erexit Basilicam, annuamque celebritatem auxit, „ ut scribit Zonaras in 3. Par. Annal. in Joann. Imp. & Cedre- „ nus in Compen. in eodem „ Et paucis interjectis. „ Hujus res „ gestas ac præclarum Martyrium descripsit Metaphrastes die „ 17. Februarii „. Mendum in numero: legendum proinde, *die 7. Februarii*, ubi idem Baronius de S. Theodoro, qui eadem die 7. Febr. in Martyrol. Rom colitur, vocaturque *Dustor Militum*, hæc adnotat: „ Græci etiam de ipso agunt hac die in „ Menologio, festumque diem celebrant, ùt constat ex novel- „ la Constit. Emmanuelis Imp. quam habes apud Theodorum „ Balsam. in Nomocan. Photii Tit. VII. cap. I. Alius est item „ Theodorus, qui ad differentiam hujus, cognomento dictus „ est Tyro, de quo pluribus acturi sumus ad diem 9. Novem- „ bris. Ob nominis tamen convenientiam alter pro altero ac- „ ceptus aliquando reperitur. Hujus res gestas ab Augaro quo- „ dam, qui spectaculo præsens fuit, conscriptus, recitat hac „ die (VII. *Febr.*) Metaphrastes, quas retulit Lipom. Tom. 5. „ & Surius Tom. I. „. Cum tamen certum sit, Theodorum Ducem a Tyrone esse diversum, & hunc primo sabbato jejunii & die 17. Febr. a Græcis coli; illum vero die VII. Februar. & die 8. Junii. Quem autem Latini celebrant die 9. Novembris, esse *Tyronem Theodorum*, non *Ducem Militum*; Nam hujus, Ducis scil., die VII. Febr. apud eosdem Latinos diserta fit commemoratio his verbis: „ Heracleæ S. Theodori Du- „ ctoris Militum, qui Licinio imperante, post multa tormenta „ truncatus capite, victor migravit in cœlum „: At vero *de Theodoro Tyrone* ad 9. Novembris sic legitur: „ Amaseæ in „ Ponto natalis S. Theodori militis, qui tempore Maximiani „ Imperatoris: *& cetera* „. Sed de utroque Theodoro fusius sermo redibit in notis ad Kalendarium Græco-Moschum.

VII. Bulgarici tumultus post obitum Joannis Zimiscæ Imp. Basilius Porphyrogenitus Imp. Bulgaris devictis.

Nunc ad res Bulgaricas revertor. Russis devictis, atque Bulgaria ab Joanne Zimisce recepta, Romanoque Imperio adjuncta, Borises & Romanus, Petri quondam Bulgarorum Regis filii, Constantinopolim abducti ibi degebant. Cedrenus pag. 694. „ Simul atque diem extremum clausit Tzimiscas Im- „ pera-

„ perator, (*a*) Bulgari defecerunt, (*anno scil. 976.*) & Imperium in se quatuor fratribus commiserunt, Davido, Mosi, Aaroni, & Samuelo, filiis unius, cui erat magna inter Bulgaros potentia, Comitis, a qua re & Comitopuli appellabantur. Etenim de Petri gente reliquos mors abstulerat: Borises autem & Romanus, hujus filii, abducti, ut ante retulimus, in urbem, ibi degebant, Borises Magistri dignitate a Tzimisca ornatus, Romanus a Josepho Cubiculario intimo castratus. Mortuo Tzimisca, ex urbe profugerunt, & in Bulgariam contenderunt. Ac Borisen quidem Romano habitu indutum, dum per silvam quandam transit, Bulgarus quidam Romanum esse ratus, interficit. Romanus incolumis mansit, & aliquanto post in urbem rediit, ut suo loco dicetur. De quatuor autem istis fratribus, Davidus quidem statim obiit. Moses autem Serras oppugnans, saxo a muro ictus periit. Aaronem Romanis rebus, ut ferebatur, faventem, frater Samuelus cum sobole interfecit: solo Bladosthlabo, qui etiam Joannes vocabatur, filio ejus erepto a Radomiro Samuelis filio, quem & Romanum vocant. Is Samuelus, homo bellicosus, ac quietis impatiens, nactus licentiam, Romanis exercitibus bello adversus Sclerum occupatis, totum Occidentem incursionibus vexavit, non Thraciam modo & Macedoniam ac Thessalonicæ propinqua; sed Thessaliam quoque, Græciam, & Peloponnesum: ac multa cepit Castella, quorum præcipuum Larissa: hujus incolas cum totis familiis in intimam transtulit Bulgariam, & suorum militum tabulis inscripsit, eorumque opera contra Romanos usus est: avexit etiam Reliquias S. Achillei, qui Episcopus Larissæ fuerat: & Prespæ, ubi regiam habebat suam, deposuit. Proinde Basilius Imperator, ut primum Scleri negotio se expediit, ulcisci Samuelis maleficia cupiens, collectis Romanis exercitibus, in Bulgariam ipse ducere statuit, ne communicata quidem re cum Barda Phoca Scholarum etiamnum Domestico, & reliquis Orientalibus Ducibus. Ergo per Rhodopæ ac Ebro flumini regiones propinquas, Bulgariam ingressus, Magistrum Leonem Melissenum a tergo relinquit, „ qui

Bulgariam Byzantino adjicit Imperio.

a Obiit die 10. Januarii ineunte anno 976 eique sublato succeſſere Basilius & Constantinus, Romani Junioris filii.

„ qui anguſtias cuſtodiret: ipſe faucibus & ſilvis, quæ ſunt ad
„ Triaditzam (olim hæc Sardica dicebatur) peragratis, in lo-
„ co cui Stoponio nomen, caſtra ponit, ibique de oppugnanda
„ Sardica cogitationes inſtituit. Audiebatur etiam Samuelem
„ montes, qui circum jacent, tenere, ab aperto prælio metu
„ abhorrentem, & undique inſidias, hoſtis lędendi cauſa, ten-
„ dentem. Dum his intentus eſt Imperator, Stephanus Schola-
„ rum Occidentalium Domeſticus, quem ob ſtaturæ humilita-
„ tem Contoſtephanum appellabant, Leoni Meliſſeno inimi-
„ ciſsimus, nocte ſe jam intendente Imperatorem adit: horta-
„ turque, ut omnibus rebus poſthabitis, motis caſtris Con-
„ ſtantinopolim recurrat. Meliſſenum enim inhiare Imperio,
„ & ad urbem ſumma celeritate proficiſci. Hoc ſermone con-
„ turbatus Imperator, ſtatim caſtra moveri jubet. At Samuel
„ incompoſitum hoſtium diſceſſum pro fuga (ut par erat) ha-
„ bens, ſubito in eos cum clamore ac ſtrepitu irruit, territoſ-
„ que in fugam conjicit, caſtris eorum potitur, & impedimen-
„ tis omnibus, ipſiſque adeo Imperatoriis ſignis. Imperator
„ quum ægre per fauces Philippopolim perveniſſet, inveniret-
„ que Meliſſenum in ſua ſtatione morantem, diligenter ſibi
„ demandatam obire cuſtodiam, exprobrat mendacium Con-
„ toſtephano, quod tanti mali cauſa fuiſſet: eumque non fe-
„ rentem placide objurgationem, ſed ferociter reſponſantem,
„ & contendentem ſe recte conſuluiſſe, impudenti hominis pe-
„ tulantia irritatus, ſolio deſiliens, crinibus ac barba arripit,
„ & in terram proſternit.

VIII.

Bulgaricum bellum anno 976. inceptum, & anno 1019 terminatum. Scleri rebellio. Uladimirus Ruſſorum Dux ſuppetias Imper. Baſilio adverſus rebelles mittit.

Bardæ Scleri Magiſtri rebellio, poſt mortem Joannis Tzimiſcæ anno 976. inchoata, duravit uſque ad annum 979. quo is in pugna victus (ut ſcribit Cedrenus pag. 693.) cum paucis elapſus, Martyropolim confugit: inde fratrem ſuum Conſtantinum ad Choſroën Babylonis Principem mittit, ſocietatem & auxilium petitum: quumque ille moras nectens, neque annueret neque denegaret, quod petebatur, ideoque Conſtantinus diutius abeſſet; coactus ipſe quoque Sclerus cum omnibus ſuis eodem abit. Imperator Baſilius, Phocæ Bardæ literis de Scleri clade & Babylonica profectione certior factus, dignis honoribus Phocam remuneratus, ad Choſroën Babylonis Amermumnam literas mittit, Legato ad eam rem Beſta Nicephoro, cui Uranus

nus cognomen; ab eoque contendit, ne quam perduellis rationem habeat. Dat Legato etiam literas ab Imper. consignatas, quibus Sclerum & quos secum is habebat, omnium peccatorum venia dignabatur, siquidem resipiscerent, & suum dominum agnoscerent, & domum quisque suam se conferrent. Quum ad Chosroën pervenisset Uranus, literæque Imperatoris innotuissent, Chosroës sinistra suspicans, & Legatum & Sclerum omnesque qui cum ipso erant Romanos in custodiam tradidit. De perduellibus, qui cum Sclero eo non venerant, Leo captivus & Andronici Lydi Ducæ (qui jam è vita excesserat) filii, Christophorus Epeicta, & Bardas Moncus, Armacurium, Latum saxum, & alia munita Castella in Thracensi Provincia occuparunt: indeque factis eruptionibus, ditionem Imperatoris infestando usque ad *Indictionem* VIII. (quæ Kalendis Septembris anno Chr. 979. inchoata est) perseverarunt: neque finem ante latrociniorum, quam promissa ipsis per Nicephorum Patricium Parsacutinum impunitate ad Imperatorem transiverunt. Imperator itaque, ut primum Scleri sociorumque ejus negotio sese expedivit, bellum Bulgaricum, cujus supra facta est mentio, anno 980. suscepit.

Indictione XV. Anno (*a*) Mundi 6494. mense Octobri (Christi 986.) terra vehementer concussa, multæ domus atque templa corruerunt, & pars sphæræ magnæ Dei ædis: quam Imperator magnifice refecit. (Verba hæc sunt Cedreni pag. 696.) Interim Romani Imperii Proceres Imperatori succensentes, Phocas Bardas, & quidam cum ipso, quod Bulgaricam instituens expeditionem, ipsos sprevisset, nulloque numero habuisset: alii alias ob contumelias: Eustathius Magister Maleinus, quod ignominiose a dicta expeditione fuerat dimissus: Charsiani in domo Maleini coëuntes die Augusti XV. Indictione XV. (anno Chr. 987.) Bardam Phocam Imperatorem designant, diademateque & aliis Imperii insignibus exornant. Duravit hæc Bardæ Phocæ rebellio usque ad ann. 989. Sic enim pergit Cedrenus pag. 701. „ Enimvero Phoca Aprili mense mortuo, „ Indictione secunda, anno ab origine rerum 6497., ejusque

 „ re-

a Recte Pagius legendum monet, *Anno Mundi* 6495. Nam Indictio XV. inchoata est Kalendis Septembris anno Chr. 986. qui erat inchoatus annus Mundi 6495.

„ rebellione compressa, Sclerus (*a*) libertatem consecutus, „ se ipsum recollegit, & pristinum conatum persequi cœpit. „ Quod ubi rescivit Imperator, per literas eum hortatur, ut „ tandem Christiani sanguinis fundendi finem faciat homo & „ in judicio vitæ gestæ rationem redditurus: vel sero intelli- „ gat quid expediat, & Magistratum sibi divinitus prælatum „ agnoscat. His literis Sclerus emollitus quum ei fide publica „ de impunitate cautum esset ac securitate, & Curopalatæ di- „ gnitas in ipsum collata, cum Imperatore in gratiam rediit. „ Non tamen dignatus eum Deus est, ut oculis suis Imperato- „ rem intueretur: nam in itinere visus sensum amisit, cæcus- „ que ad Basilium est introductus. Et is conspecto Sclero, di- „ xisse fertur adstantibus: quem ita metuebam ut contremisce- „ rem, is aliorum manibus deductus venit „. Elmacinus lib. 3. Hist. Saracenicæ cap. 6. quo anno Bardæ Phocæ rebellio inchoata sit, & quomodo compressa, exponit: „ Bardas Pho- „ chas (inquit) rebellionem suam prodidit, seque Imperato- „ rem nuncupavit in Giumada (*b*) posteriore, anno Hegiræ „ 377. & possedit omnes eas regiones, quæ sunt ad litus ma- „ ris. Quumque negotia ejus feliciter succederent, timere sibi „ vehementer ab illo cœpit Imperator Basilius, quem & pecu- „ nia jam deficiebat. Unde coactus fuit mittere ad Regem „ Russorum, qui inimici ejus erant, auxilium ab eo implorans. „ Is autem id ei promisit, petita ab eo affinitate: duxitque Rex „ Russorum sororem Basilii Imperatoris Romanorum, post- „ quam hic ab eo obtinuit, ut Religionem Christianam am- „ plecteretur. Misitque ad eum Basilius Episcopos, qui Reli- „ gione Christiana imbuerent tum ipsum, tum omnem popu- „ lum ejus. Atque ante illud tempus nulla eis fuerat religio, „ nec professi erant quidquam. Sunt autem populus magnus, „ & ab eo tempore ad hoc usque omnes sunt Christiani. Hinc „ contendit Russorum Rex cum omnibus copiis suis ad Impe- „ ratorem Basilium: quumque eum jam convenisset, statuerunt

„ occur-

a Quomodo Sclerus è carcere Babylonico liberatus fuerit, & post reportatam de Persis victoriam ad Romanam ditionem redierit, atque Bardæ Phocæ perfidia in castello Tyropæo inclusus fuerit, & post ipsius Phocæ interitum libertatem consecutus sit: narrat Cedrenus a pag. 696. ad 700.

b Giumada posterior anno Hegiræ 377. inchoatus est die 28. Septembris anno Christi 937.

„ occurrere Bardæ Phocæ, & terra marique ad eum contenderunt, & in fugam eum verterunt, potitusque est Basilius toto suo Regno, & vicit Phocam, eumque occidit tertio Muharrami (*a*) anno 379. Et portatum fuit caput ejus Constantinopolim, atque ibidem affixum. Rebellaverat autem annum (*b*) unum, & menses septem. *Et paucis interpositis*. Sclerus imperio suo renunciavit (idest, rebellioni valedicens, in gratiam Basilii rediit) initio mensis Regebi anni 379.. Et compositum fuit totum negotium, idque eo modo, *ut Sclerus esset Curopalates* „. *Mensis Regeb* est septimus an. Arabici: quumque ann. Arabicus 379. inchoatus sit die 10. Aprilis an. Christi 989., sequitur, mensem Regebum anni 379. inchoatum fuisse die 3. Octobris anni Christi 989. Quæ ab Elmacino de suppetiis Basilio Imperatori a Rege Russorum missis narrantur, ea Cedrenus quoque confirmat, dum pag. 699. eodem Basilio adversus Calocyrum Delphinam unum è Phocæ Ducibus confligente sic scribit: „ Inde partem exercitus Bardas Phocas *Calocyro Delphinæ* Patricio tradit, & ad Chrysopolim, quæ ab altera freti parte contra Constantinopolim sita est, mittit: ipse cum reliquo Abydum petit, sperans, hoc modo angustiis occupatis, se Constantinopolitanos rerum necessariarum inopia subacturum. Imperator multis frustra hortatus Delphinam, ut a Chrysopoli decederet, neque castra è regione Urbis haberet: noctu navibus adornatis Rossos imponit; (nam ab iis suppetias impetraverat, quod sororem suam Annam Bladimero eorum Principi matrimonio conjunxisset) cumque his, non sentiente hoste, freto trajecto, eos adortus, nullo negotio opprimit „. *Cetera*.

IX. Basilius Imp. adversus Samuelem Bulgarorum Regem expeditionem suscipit. Iberiam & Phœnicem peragrat. Principi Venetiarum nuptum

Anno itaque 989. „ Civilium bellorum mole ac curis liberatus Basilius Imperator (verba hæc sunt Cedreni p. 701.) de ulciscendo Samuele Bulgarorum Principe, aliisque regulis consilia iniit: qui ipso rebellionibus occupato licentiam nacti, haud exigua damna Romano Imperio intulerant. Exit ergo in Thraciam & Macedoniam, & Thessalonicam descendit,

a Idest, die 12. Aprilis anni 989.

b Nimirum, juxta Arabicam supputationem: nam ab anno Hegiræ 377. & mense Giumada posteriore, usque ad ann. Heg. 379. & mensem Moharramum, effluxit annus unus cum septem mensibus.

tradit filiam Argyri, fororem Romani qui post imperavit.

„ dit, gratias actum magno Martyri Demetrio. Tum Magi-
„ strum Gregorium Taronitam ibi cum valido præsidio relin-
„ quit, ad reprimendas Samuelis grassationes. Ipse Constanti-
„ nopolim reversus, inde in Iberiam proficiscitur: nam ejus
„ regionis Curopalates Davidus moriens, Imperatorem sua-
„ rum possessionum hæredem scripserat. Eo igitur profectus,
„ constituta hæreditate, & Georgio Davidi fratre eo adducto,
„ ut is se interiore Iberia contentum fore, neque aliena inva-
„ surum promitteret; icto foedere cum eo, & accepto ejus fi-
„ lio obside, in Phoeniciam pergit, secum ducens etiam suæ
„ Phoeniciæ genere nobilissimos: quorum primarii erant Pacu-
„ rianus, Phebdatus, & Pherses fratres germani, quos etiam
„ Patricio honore decoravit. Postquam in Phoeniciam ventum
„ est, Tripolis, Damasci, Tyri, Berytique Ameras (nam hi
„ paulo ante ipso civili contra Phocam bello detento, inito
„ foedere, contra Antiochiam arma tulerant, & Damianum
„ Patricium ejus urbis Præfectum pugna congressum interfece-
„ rant, urbique haud exiguum periculum objecerant) coëgit
„ Romanis parere: & quantum ejus fieri poterat, rebus istis in
„ tutum redactis, acceptis etiam obsidibus, redit Byzantium.
„ In reditu eum per Cappadociam iter facientem, Magister
„ Eustathius Maleinus hospitio excepit cum universo exercitu,
„ omniaque abunde suppeditavit „. Et post pauca, relata
Nicolai Chrysobergii Patriarchæ morte, & inauguratione Sisi-
nii facta *anno Mundi 6503. Indict. VIII.*, hoc est, Chr. anno
995. „ Hoc maxime tempore Samuelus moto in Thessaloni-
„ cam bello, copiis suis in insidias distributis, paucos quosdam
„ excursionem usque ad eam urbem facere jubet. Quod ut
„ sensit Præfectus Gregorius, Asotem filium suum mittit, qui
„ exploraret hostium multitudinem & sibi indicaret. Is in emis-
„ sarios eos incidens, fusos insecutus, imprudens in medias in-
„ cidit insidias. Gregorius re cognita, illico ad ferendum au-
„ lium festinat, ut filium hostium manibus eriperet. Sed &
„ ipse a Bulgaris circumventus, fortiter pugnans interficitur.
„ Hac Ducis clade intellecta, mittitur totius Occidentis Præ-
„ fectus Magister Nicephorus Uranus: nam & hic pretio dato,
„ Babylone Constantinopolim profugerat. Is ut Thessaloni-
„ cam pervenit, certior fit, Samuelum animo elatum, quod
„ Ducem

,, Ducem Gregorium Taronitam interfecisset, filiumque ejus
,, cepisset, Thessalica jam Tempe transgressum, & Pæneum
,, amnem transmisisse, & in Thessaliam, Bœotiam atque At-
,, ticam, & per Isthmum Corinthiacum etiam in Peloponne-
,, sum grassari. Itaque & ipse suis cum copiis ad radices Olym-
,, pi facto itinere, ibique impedimentis relictis, Thessaliam
,, magnis itineribus peragrat: campisque Pharsaliæ & Apidano
,, amne transmissis, in ripa Spercheii amnis castra ponit, in
,, opposita ripa Samuelo sua castra habente. Ingentes imbres
,, tum deciderant, & fluvius alveo turgente stagnabat: itaque
,, eo quidem tempore prælium nullum sperabatur. Sed Ura-
,, nus sursum deorsumque tentato flumine, vadum invenit;
,, eoque intelligens se exercitum in oppositam ripam traduce-
,, re posse, noctu cum suis amnem transit: Bulgarosque secu-
,, re dormientes adoritur, innumerosque interficit, nemine
,, se defendere auso. Ipse quoque Samuelus, & filius ejus Ro-
,, manus, profunda acceperunt vulnera, fuissentque capti,
,, nisi inter cadavera delituissent, & nocte insequenti in mon-
,, tes Ætolicos aufugissent: per quorum deinde cacumina ad
,, Pindum montem, atque hinc in Bulgariam evaserunt. Ura-
,, nus interim Romanos captivos liberat, occisos Bulgaros spo-
,, liat, castra eorum diripit, ingentique parta præda, suos
,, Thessalonicam reducit. Samuelus domum reversus, filiam
,, suam, Asotæ Taronitæ filio libertate reddita, in matrimo-
,, nium collocat. Nam ejus amore puella correpta, mortem
,, se sibi conscituram minabatur, nisi eo marito potiretur. Nu-
,, ptiis confectis, generum cum filia Dyrrhachium mittit, &
,, regionis ejus custodiæ præficit. Verum Asotes eo profectus,
,, uxore quoque in suam sententiam traducta, cum ea in Ro-
,, manas triremes, quæ finium tuendorum causa litus illud le-
,, gebant, confugit, iisque ad Imperatorem perfertur, ab eo-
,, que Magistri ipse, uxor Zostæ honore afficitur. Idem lite-
,, ras Imperatori attulit a Chryselio, uno eorum, quorum sum-
,, ma erat Dyrrhachii potentia: is pro mercede stipulatus sibi
,, & duobus suis filiis Patricios honores, promittebat Impera-
,, tori se urbem eam traditurum. Quumque per literas Impe-
,, rator confirmasset se promissa omnino præstaturum, Dyrrha-
,, chium Eustathio Patricio Daphnomalæ traditum est, & Chry-
,, selii

„ selii filii Patriciatus honore decorati sunt, illo morte præ-„ vento. Sub idem tempus Paulus Magister Bobus, vir Thes-„ salonicæ primarius, & Malaceinus Protospatharius, pruden-„ tiæ ac facundiæ celebris, delati quod animis ad Bulgaros in-„ clinarent, hic Byzantium, ille in Thracensem Pediadem „ translati sunt. Idem ne sibi eveniret, veriti quidam illustres „ Adrianopoli, & qui gestis erant clari Magistratibus, quod in „ suspicionem & ipsi venissent, ad Samuelum sese contule-„ runt, Batatzes cum tota familia, Basilius Glabas solus, cujus „ filium Imperator per integrum triennium in custodia deten-„ tum, tandem dimisit. Tunc etiam Principi Venetiæ Impe-„ rator nuptum tradidit filiam Argyri, sororem ejus Romani, „ qui post Imperio potitus est: hoc modo sibi gentem devin-„ ciens Venetam. Per Philippopolim quoque impressionem in „ Bulgariam (*a*) fecit, custodia hujus urbis commissa Patri-„ cio Theodorocano: multisque Triaditzæ eversis castellis, „ Mosynopolim redit.

X. Bulgarica trans Æmum loca a Basilii Ducibus capta. Saraceni in Cœlesyriam irrumpentes compressi.

Anno Mundi 6508. Indict. XIII. (*Christi anno millesimo*) „ Gravem exercitum Basilius mittit adversus Bulgarica trans „ Æmum castra, Ducibus Patricio Theodorocano, & Nice-„ phoro Protospathario Xiphia. Capta ab his major minorque „ Persthlaba, atque Pliscopa: victorque domum rediit Roma-„ nus exercitus. Insequenti anno (*Chr.* 1001.) rursum Impe-„ rator in Bulgariam abiit. Ibi se, urbemque Berrhœam ejus „ Princeps Dobromerus dedit, & Proconsulis afficitur hono-„ re. At qui τὰ Σέρβια, Serbia præsidio tenebat Nicolaus, „ quem diminutiva forma ob staturæ brevitatem Nicolitzam „ vocabant, oppugnato ab Imp. castello, fortiter ac alacriter „ resistebat: donec ab Imp. vi castello expugnato, simul & ipse „ in ejus potestatem venit. Id castellum translatis alio Bulga-„ ris, Imperator Romano munit præsidio: ac inde Constanti-„ nopolim redit, eo etiam Nicolitza abducto, ac Patricii ho-„ nore ornato. Verum Nicolitzas homo inconstans, urbe pro-„ fugit, furtimque ad Samuelum elapsus, cum eo Serbia op-„ pugnat: quam obsidionem celeriter superveniens Imperator „ facile discussit, Nicolao & Samuelo diffugientibus. Et Nico-„ litza

a Zonar. pag. 224. Post hæc ipse Imp. bellum intulit Bulgaris, & quibusdam Sardicæ castellis expugnatis, Mosynopolim redit.

„ litza a quodam Romanorum manipulo, in quem inciderat, „ captus, & in vinculis adductus, Constantinopolim missus, „ in carcerem conjicitur. Inde in Thessaliam profectus Imper„ rator, castella a Samuelo diruta reficit, quæ a Bulgaris tene„ bantur expugnat, Bulgarosqoe Bolerum (loci hoc nomen) „ transfert: omnibusque castellis præsidio munitis, ad Bodena „ pervenit. Bodena castellum est saxo prærupto impositum, „ per quod saxum aqua paludis Ostrobi occulte infra terram „ defluit, indeque rursum emergit. Quumque deditio non „ fieret, vi expugnat: Bulgaricum præsidium Bolerum depor„ tat: & castello præsidio valido imposito, Thessalonicam abit. „ Qui præfuerat ei castello Draxanus, vir bellicosus, ab Imper. „ impetrat, ut Thessalonicæ sibi liceret degere: ibique uxo„ rem ducit filiam primi Pribatariorum ædis Martyris Deme„ trii. Quumque bis ea maritum patrem fecisset, ipse profu„ git. Deprehensus, socero intercedente, veniam impetra„ vit: & quum denuo profugisset, rursum est eodem modo di„ missus: aliis autem duobus liberis procreatis, tertium ut pro„ fugit, captus, inque palum suffixus est. Interim Numeritæ „ & Ataphitæ Arabes quum Coelesyriam, ipsamque etiam An„ tiochiam (*a*) graviter vexarent incursionibus, Magistrum „ Nicephorum Uranum Imperator Prætorem Antiochiæ mit„ tit, succedere ei in præturam Thessalonicæ jusso Patricio „ Davido Arianita: & Philippopolis præturam ob gravem æta„ tem resignante Theodorocano, eam Nicephoro Protospatha„ rio Xiphiæ mandat. Uranus ut Antiochiam venit, duobus, „ aut tribus præliis Cistrinitam Arabum Ducem contudit, faci„ leque persuasit, ut is porro quiesceret, omniaque reddidit „ pacatissima.

XI. Castra Samuelis Bulgarorum Regis direpta.

Anno insequenti, Indictione xv. (*Chr.* 1002.) Bidynam urbem obsidet: & octo menses oppugnatione protracta, eam vi capit. Dum hæc agit Imperator, Samuelus expeditos ducens, Adrianopolitanos obiter adoritur, die Assumptioni Deiparæ festo, quo publica tum de more peragebatur solemnitas. Subito igitur irruens, magna parta præda discedit. Imp. Bidyna diligentissime communita, in urbem incolumis reditum instituit, obiter omnia Bulgarica castella vastans atque subigens. Sed

a Lat. Cedreni interpres, perperam, pro Antiochia habet, *Africam*.

quum ad urbem Scopias accederet, deprehendit trans Axium flumen (nunc Bardarius appellatur) Samuelum negligenter castra habere. Hic enim fretus amnis abundantia, & eum ob aquarum insolentem affluxum transiri non posse ratus, securus erat. At Imperator per vadum a quodam suorum inventum copias traducit: itaque re insperata consternatus Samuelus, ita effuse fugit cum suis, ut nemo eorum hosti pectus unquam ostenderet. Ipsius tabernaculum, totaque castra capta. Sed & urbem Scopias Imperatori tradidit, ei a Samuelo præfectus Romanus, Petri Bulgarorum Regis filius, Borisæ frater, Simeon etiam Avi nomine appellatus: quem ejus officii causa, Imperator Patricium Præpositumque designat, Abydoque præficit. Inde Imperator ad Pernicum ducit, quod tuebatur Cracras, vir bello optimus. Ibi quum haud parum temporis trivisset, & in oppugnatione multos amisisset; quum & castellum inexpugnabile sentiret, & Cracram neque blandiendo, neque pollicitationibus subigere posset, ad Philippopolim transit, indeque in urbem revertitur.

XII. Samuele mortuo, Bulgaris imperat Gabriel Romanus.

Indictione VIII. Anno Mundi 6518. (*Chr.* 1010.) Ægypti princeps Azizius ob levem causam & offensas ne relatu quidem dignas, fœdere quod ei cum Romanis erat rupto, & Templum Hierosolymis ad Sepulcrum Christi sumptuosissime conditum evertit; & religiosa perdidit Monasteria, & qui in iis piæ vitæ exercitationibus erant dediti, eos per omnes terras extorres egit. Anno insequenti (1011.) hiems fuit gravissima, quæ omnes fluvios, paludes, ipsumque mare in glaciem coëgit. Mense Januario ejusdam Indictionis, apprime horrendus fuit terræmotus, qui duravit usque ad monum Martii diem. Porro Basilius Imperator quotannis in Bulgariam expeditionem faciebat, & obvia quæque populabatur ac vastabat. Ideo Samuelus castra sub dio locare, aut aperto prælio concurrere non audens, undique attritis viribus amissoque vigore suo, statuit fossis ac septis factis eum ingressu Bulgariæ excludere. Et quia norat solere eum per Cimbam Longum, & Cleidium intrare, angustias illas septo late producto munit atque intercipit, justoque firmat præsidio: & sic Imperatorem opperitur. Postquam eo venit Imperator, & intrare est conatus, fortiter eum arcuere custodes, eos qui penetrare niterentur, de superiore

loco

loco ferientes atque vulnerantes. Ibi de transitu desperantem jam Imperatorem, Nicephorus Xiphias Philippopolis tum præfectus monet, ut loco eo maneat, septumque illud oppugnare continenter pergat: se alio abiturum, operamque daturum, ut salutare aliquid conficiat. Hoc modo re composita, cum suis montem ad meridiem claustris iis objectum celsissimum, cui Balathistæ nomen, magnis itineribus circuit, & XXIX. die Julii, Indictione XII. (*anno Chr.* 1014.) de superiore loco subito ingenti cum strepitu Bulgaros a tergo adoritur: qui quum re insperata perterriti fugerent, Imperator defensoribus vacuum septum diruit, ac fugientes insequitur. Multi tum Bulgari occisi, multo plures capti. Ipse Samuelus ægre evasit, filii opera, irruentes fortiter repellentis, patremque equo impositum in castellum Prilapum abducentis. Captivis Bulgaris, qui fuisse ad XV. millia feruntur, oculos Imperator eruit, singulisque centuriis unoculum præficit, atque his ductoribus eos ad Samuelum mittit. Quos Samuelus isto numero atque ordine venire videns, animi ad calamitatem eam fortiter ferendam non habuit satis: sed oborta vertigine exanimatus, in terram corruit. Aqua autem, & unguentis a præsentibus utcumque recreatus, quum sese aliquantulum collegisset, frigidæ haustum petiit: quumque bibisset, cardiagmo correptus, biduo post (*a*) obiit. Successit ei filius Gabrielus, qui & Romanus dicebatur, patre robustior ille, sed prudentia longe inferior, natus captiva quadam Larissæa: Iniit decimaquinta (*b*) Septembris, Indictione XIII. (*eodem anno Chr.* 1014.) Quumque nondum integrum imperasset annum, venatum exiens, interficitur a Joanne, qui & Bladisthlabus, filio Aaronis, quem ipse neci aliquando subtraxerat.

Antequam hoc fieret, Theophylacto Botaniata Thessalonicæ post Davidum Arianitam præfecto, Samuelus Nestoritzam unum de potentissimis Bulgaris, magno cum exercitu ad eam

a Samuelis Bulgarorum Regis obitus a Cangio confertur ad XV. Septemb. anni 1014. At Lupus Protospatha sic habet: „ Anno 1015. apparuit Cometa mense „ Febr. & Samuel Rex obiit, & filius regnavit „. Mendum in anno 1015.

b Initium Regni Gabrielis filii Samuelis die XV. Sept. anni Chr. 1014. At Lupus Protospatha: „ Anno 1016. occisus est filius prædicti Samuelis ab ejus consobrina „ leg. consobrino filio Aroni, & regnavit ipse „. Cod. Andriæ Ducis. *A Fitrada ejus consobrino filio Arronii*. Leg. *Joanne*, seu *Bladisthlavo*.

urbem misit. Quem Theophylactus, filio suo Michaëlo comitatus, pugna congressus fudit: magnaque præda parta, & multis captis, cum his ad Imperatorem tunc septum in angustiis apud Clidium oppugnantem venit. Imperator angustiis quo diximus modo superatis, ad Strumpitzam accedit: & castello, cui Matzucium nomen, potitus, Strumpitzæ jam propinquans, Theophylactum Botanitatem Thessalonicæ Ducem colles ad Strumpitzam sitos superare jubet, & septa obvia incendere, sibique hoc modo iter Thessalonicam ducens expedire. Proficiscentem præsidiarii nihil obstantes, ire quo volebat passi sunt. Sed quum mandatis peractis ad Imperatorem redire vellet, in insidias ad hoc ipsum collocatas in porrectis in longum angustiis incidit: circumventusque, & desuper saxis telisque petitus, omni se defendendi prærepta facultate, ob compressos in arctum ordines, & loci angustiam omni exitu carentis, cum magna sui exercitus parte perit. Imperator ea clade nunciata, maximum percepit dolorem: & progredi ulterius non ausus, retro abiit ad Zagoria, ubi castellum erat Melenicus longe munitissimum, saxo impositum, & præcipitiis vallibusque profundissimis cinctum. Eo ex vicinia passim confugerant Bulgari, Romanorum admodum securi. Ad eos Imperator mittit Sergium Spadonem, unum ex intimis sui cubiculi ministris, hominem cordatum ac facundum, qui ipsorum animos periclitaretur. Is multa suadendo atque probabiliter disserendo, eos eo adduxit, ut rem recta via reputantes, positis armis se, & castellum Imperatori dederent: quos Imperator humanissime excepit: & castello præsidio sufficienti imposito, Mosynopolim rediit. Ibi ei moranti nuncius de obitu Samueli affertur vigesima quarta Octobris die (*anno Chr.* 1014.) Exinde statim Mosynopoli Thessalonicam abit, atque hinc ad Pelagoniam usque proficiscitur nullo cum maleficio, nisi quod regiam Gabrieli Butelianam incendit. Missis etiam militibus, castella Prilapum, & Stypejum capit. Inde ad fluvium Tzernam venit, eumque ratibus & utribus inflatis trajicit, ac Budena: & inde nona Januarii (*anno* 1015.) die Thessalonicam redit.

XIII. Gabrieli Romano occiso, Bulgarorum Rex fit Joannes Bladisthlabus.

Initio veris (*anno* 1015.) rursum in Bulgariam it, ac Budenæ castellum (nam præsidium fide violata, arma contra Romanos ceperat) magna vi obsidens, fide publica accepta se dedere

dere præsidiarios cogit, eosque Bolerum deportat. Tum in angustiarum medio duo castella ædificat, unum Cardiæ, alterum Sancti Eliæ nomine: & Thessalonicam redit. Hic degenti, Gabrielus, qui & Romanus appellabatur, per quemdam Romanum Chirotmetum (id nominis ab incisa manu est) promittit se ipsi servum atque subjectum fore. Sed Imperator fallaces literas esse suspicans, Xiphiam & Constantinum Diogenem, qui Botaniatæ in prætura Thessalonicensi successit, cum exercitu in regionem Moglenorum mittit: qui quum eam depopulati, urbem obsiderent, supervenit ipse, & amnis qui urbem alluebat alveo averso, suffossis murorum fundamentis, & interjecto cavernis, ligno aliaque ignis capace materia, incendio muros evertit. Quo viso, oppidani miserabiliter supplices facti, se & munitionem dediderunt. Captus est ibi Domitianus Caucanus, homo potens, & Gabrieli consiliarius: & Moglenorum principes Elitzes, aliique procerum multi, & manus haud parva militum. Armis ferendis idoneos Aspracaniam deportat Imperator: colluviem reliquam dividi jubet, & castellum, cui Notia (*a*) nomen, incendi, Moglenis vicinum. Quinta die Chirotmetus Romanus venit, famulos secum adducens Joannis Bladisthlabi, Aaronis filii, & literas, quibus hic significabat, se Gabrielo vitam eripuisse, nuncque ad se rediisse Bulgaricum imperium: promittebatque se servum & subditum Imperatori fore. Iis perlectis, Imperator suam sententiam Aurea Bulla consignatam Joanni mittit. Paucisque post diebus Romanus redit, literas Joannis & Principum Bulgariæ afferens, quibus ii se subditos Imperatori fatebantur. Adjungit se etiam Imperatori Caucanus, Domitiani apud Moglenos capti frater: estque ab eo honorifice habitus. Ceterum Imperator certior factus, Joannem dolo ac fallaciter scripsisse, ac contraria suis promissis moliri, in Bulgariam revertitur: & Ostrobo, Soscoque adjacente regione ac campestri Pelagonia depopulatis, quotquot Bulgaros cepisset, eis oculos effodit. Et usque ad urbem Achridem, regiam Bulgariæ, accedit. Qua potitus, rebus omnibus recte constitutis, pergere, & ad Dyrrhachium proficisci intendit: quod & ejus loci res, ipsius præsentiam requirebant. Etenim quandiu Trymalia, & viciniores

a Al. Enotia.

res Serviæ partes in poteſtate Bladimeri (gener is fuit Samueli) manſerunt, hominis juſti ac pacis & virtutis ſtudioſi, pacatum fuerat Dyrrhachium. At poſtquam Joannes Gabrielum (*a*) interfecit, deceptumque falſis juramentis Bladimerum, & opera Davidis Bulgarorum Archiepiſcopi ſe dedentem, paulo poſt perfide necavit; magnopere Dyrrhachiana res concuſſa atque perturbata eſt, quod Joannes urbem eam identidem per ductores ſuos, aliquando etiam præſens oppugnaret. Sed Imperatoris inſtitutum res haud parva impediit. Etenim ad Achridem proficiſcens, poſt ſe reliquit cum manu militum Georgium Gonitziatem Ducem militum, & Oreſtam Protoſpatharium captivum, jubens eos in campeſtria Pelagoniæ graſſari. Eos univerſos Bulgari, Duce Ibatza, viro nobiliſsimo & ſpectatæ virtutis, in inſidias attractos trucidarunt. Ejus cladis dolore concitus Imperator, in Pelagoniam revertitur: Ibatzamque perſecutus, Theſſalonicam venit, indeque Moſynopolim, miſſo cum exercitu ad Strumpitzæ oppugnationem Davido Arianita. Miſit & alium exercitum in Triaditzæ caſtella, Duce Xiphia: qui omnibus quæ ſita erant in planitie ſubactis, caſtellum cui Bojon nomen, expugnavit.

XIV. Chazaria & Aſpracania Baſilio Imp. deduntur. Patzinaci in auxilium Bulgarorum adſciſcuntur. Ruſſi pro Græcis militant.

Imperator Conſtantinopolim reverſus Januario menſe, Anno mundi 6524. (Chr. 1016.) claſſem in Chazariam mittit, Duce Mongo, Andronici Ducæ Lydi filio. Is adjuvante Sphengo fratre Bladimeri, ejus qui Baſilii Imperatoris ſororem in matrimonio habebat, regionem eam ſubegit, principe ejus Georgio Tzulo in primo conflictu capto. Tum etiam Senacherimus, ſuperioris Mediæ princeps, quam hodie Aſpracaniam nominant, cum univerſa ſua familia Imperatori acceſsit, tradita ei ſua ditione, quod vicinis Agarenis ipſum prementibus, ad reſiſtendum non ſatis haberet virium: eſtque factus Patricius, & Cappadociæ Dux: recepitque ſuæ ditionis loco Sebaſteam, Lariſſam, Abaram urbes, aliaque multa prædia. Aſpracaniæ autem Imperator præfecit Baſilium Patricium Argyrum: cui ob rem male geſtam abrogatum imperium, & ſucceſſor miſſus Nicephorus Comnenus Protoſpatharius, qui provinciam qua verbis, qua vi uſus, Imperatori ſubjecit. Eodem an-

a Male Latinus Interpres habet *Samuelum*, pro, *Gabrielum*.

anno, Indict. XIV. Imperator (*a*) urbe egressus, in Triaditzam venit, & castellum Pernicum obsidione cinctum oppugnat. Dies autem 88. quum ibi perseverasset, præsidiariis fortissime defendentibus, multisque Romanis cadentibus, sentiens se quod conatus erat consequi non posse, re infecta discedit Mosynopolim. Ibi quiete refectis copiis, appetente vere in Bulgariam intrat, & castellum Longum circumsessum expugnat: ac missis in campestria Pelagoniæ Davido Arianita ac Constantino Diogene, multum pecoris atque hominum inde abigit. Incenso castello, captivos in tres partes distribuit, quarum unam ROSSIS auxiliariis, alteram Romanis, tertiam sibi assignat. Progressus inde ad Castoriam usque, quum eam urbem tentasset, ac inexpugnabilem sentiret, retro abduxit. Acceperat enim literas a Tzitzicio Dorostoli præfecto, Theudatæ Iberi Patricii filio, quibus indicabatur, Cracram numerosissimo exercitu contracto, se cum Joanne conjunxisse, eosque adscitis in societatem Patzinacis, in Romanorum ditionem irrupturos. His literis perturbatus, illico convertit iter, inque transitu, Bosograda castellum capit atque incendit: Berrhoeam reficit; eversisque circum Ostrobum & Moliscum sitis castellis, subsistit, accepto nuncio, Cracræ & Joannis impressionem, quam moliti erant, impeditam esse, Patzinacis eos auxilio frustratis. In reditu castellum expugnat Setænam, ubi regiam (*b*) Samuelus habebat, ac plurimum frumenti reposuerat. Frumentum milites diripere jubet: Cetera omnia cremat. Secundum hæc adversus Joannem non procul a se dissitum emittit cohortes Scholarum Occidentalium & Thessalonicensium,

Du–

a Quæ a Cedreno, Scylitze, & aliis Græcis Scriptoribus de rebus a Basilio Imp. ab anno 1016. ad 1019. in Bulgaria gestis narrantur, ea ex Elmacino in histor. Saracen. lib. 3. pag. 264. accipe. *Anno* 407. (Hegiræ nimirum, qui die 11. Junii anno Chr. 1016. inchoatus est) „ irruit quidam e Principibus Bulgarorum in Catomenon „ Ministrum Samuelis, qui Rex erat Bulgarorum, eumque occidit, & tyrannice oc„ cupavit Regnum: Scripsitque ad Imp Basilium, se velle ei subjici atque obedire. „ Atque in eo fuit annum integrum. Hinc occidit eum quidam militum ejus. Et „ scripserunt Primores Bulgarorum ad Imp. Basilium, se desiderare eum, & cupere „ ei subjici. Unde abiit Imperator Romanorum ad Bulgaros mense Scevalo anno 408. „ (hoc est, exeunte Januario anni 1018.) & potitus regno eorum, arcium præfectos „ constituit Romanos, idque anno 44. Imperii Basilii Imperatoris, qui annus erat „ 1330. Alexandri (*inchoatus mense Sept. anni* 1019.) Rediitque Imperator Con„ stantinopolim & commisti sunt Romani cum Bulgaris, ac matrimoniis juncti, & „ cessarunt quæ inter eos fuerant inimicitiæ.

b Ἐν ᾧ βασίλεια ἦσαν τῷ Σαμουήλ.

Duce Constantino Diogene. Iis profectis, insidias quum tenderet Joannes, Imperator de suorum sollicitus salute, equo ante suos provectus, idque unum fatus: Siquis bellator est, me sequatur, cursum contendit. Hoc ut comperere Joannis exploratores, territi in sua castra redierunt, nihil aliud vociferantes, quam, *Bezite, Tzesar*. (*a*) Omnibus cum ipso Joanne incomposite fugientibus, Diogenes cum suis, animis receptis, eos insecuti, magnam cædem peragunt, capiunt ducentos gravis armaturæ, & equos ac supellectilem, Joannis, & ejus patruelem. Imperator his rebus gestis, ad Bodena redit, indeque omnibus constitutis, Byzantium, die nono mensis Januarii, Ind. xv. Anno Mundi *6526*. (*Christi* 1018.)

XV. Jo: Bladisthlabus Rex Bulgarorum cæditur. Bulgari Basilio Imp. se suaque castra dedunt. David Bulgariæ Archiep., & Maria Joan. Regis vidua cum filiis, aliisque optimatibus honorifice excipiuntur. Basilius triumphans Byzantium ingreditur.

Joannes licentiam consecutus, ad oppugnandum Dyrrhachium barbarico cum fastu proficiscitur: & inito prælio, sternitur: incertum, a quo: quum imperasset annos duos, menses quinque. Imperator a præfecto Dyrrhachii Nicephoro Patricio Pegonita, certior de morte Joannis factus, statim expeditionem facit. Qumque ad Adrianopolim venisset, occurrunt ei frater & filius famosi illius Cracræ, lætum ferentes nuncium, dedere se Imperatori celebre illud Pernicum, & alia 35. castella: quibus quum dignos habuisset honores, & Cracram ad Patriciam extulisset dignitatem, Mosynopolim venit. Eodem venerunt & Legati e Pelagonia, & Morobisdo, & Lipenio, urbes Imperatori dedentes. Inde Serras proficiscitur: eodemque venit Cracras cum iis, qui 35. ista dedita castella obtinuerant, suntque honorifice excepti. Accessit etiam Dragomutzus Strumpitzam dedens, estque Patricio honore affectus: secum adducens etiam Joannem Chaldiæ præfectum Patricium, qui a Samuelo captus, in custodia XXII. annos detentus fuerat. Simulatque Strumpitzæ Imperator appropinquavit, ad eum venit Davidus Bulgariæ Archiepiscopus, cum literis Mariæ morte Joannis viduæ, promittentis se, modo certa quædam postulata obtineret, Bulgaria cessuram. Occurrit etiam Bogdanus interiorum castellorum Dominus: atque ipse etiam Patricio ornatur

a Βιζάτε; Τζαίσαρ. Cangius in Famil. Dalmat. cap. 6. num. 25. pag. 316. Cujus (Imperatoris) adventu territi Bulgari, fugam statim capessunt, *Ecce Cæsar*, (quo loco Scylitzes ait, Βιζατε Τζαίζαρ, Galli dixissent, *Voici*, vel *Veci Cesar*, quasi vox hæc Gallica, uti ab Aurelianensibus pronunciatur, apud Bulgaros tum obtinuerit.

tur gradu, quod jampridem rebus Imperatoris faviſſet, ſuumque ſocerum interfeciſſet. Inde Scopia abit: urbique relinquens præfectum Davidum Patricium Arianitam, per caſtella Stypium, & Proſacum revertitur, comprecationibus & gratulationibus eum venerantibus ſubditis. Inde ad dextram partem inclinans, Achridem ingreditur, ibique caſtra facit, omni populo cum pæanibus, plauſu, & fauſtis acclamationibus occurrente. Urbs eſt Achris in ſublimi poſita colle, proxime lacum maximum, unde Drinus fluvius verſus Septentrionem effluit. Deinde verſus Occidentem deflectens, in Jonium (*a*) intrat apud Iliſſum caſtellum, quæ urbs caput erat totius Bulgariæ, & regia Regum Bulgariæ, ibique eorum repoſiti theſauri: quos Imperator aperuit, magnamque pecuniæ vim invenit, & coronas ex unionibus conſertas, auroque intextas veſtes, atque auri centenaria centum: quæ is congiarii loco in milites ſuos erogavit. Urbi præfecit Euſtathium Patricium Daphnomelum, adjuncto valido præſidio: atque exiit in caſtra, excepitque ad ſe adductam Joannis Bladiſthlabi viduam cum filiis tribus, & ſex filiabus: adducebat ea ſecum etiam ſpurium Samueli filium, & duas filias Radomeri, filii Samueli, ac filios quinque, de quibus unus oculis erat orbatus a Joanne, quo is tempore Radomerum Samueli filium ejuſq; uxorem & generum Bladimerum interfecit. Habebat Maria ex Joanne etiam alios tres filios: ſed ii in montem Tmorum, qui unus eſt de verticibus Ceraunicorum montium, confugerant. Imperator eam benigne & comiter exceptam, cum reliquis aſſervari juſſit. Adjunxerunt ſe Imperatori præterea alii etiam Bulgarici proceres, Neſtoritzes, Zaritzes, & junior Dobromerus, quiſque cum ſuis cohortibus: acceptique ſunt comiter, & ab Imp. iis ut ipſo dignum erat, honos habitus. Quin & Pruſianus Bladiſthlabi filius cum fratribus, quos in Tmorum effugiſſe docuimus, diuturna fracti obſidione (milites enim juſſu Imperatoris inſederant montium deſcenſus) ab Imper. caveri ſibi petunt, & deditionem promittunt: quibus is humaniter reſpondit. Achride porro ad lacum Preſpam iter faciens, duo condit caſtella: unum in monte interjacente, quod Baſilidem vocat: alte-

a Al. εἰς τὸν Ὄρινον, in *Orinum*.

alterum in dicta palude. Prespa, Diapolim petit: ibique erecto tribunali, Prusianum cum fratribus accipit; orationeque plena humanitatis consolatus, eum Magistri, reliquos Patricia dignatur excellentia. Adductus est etiam Ibatzes, oculis spoliatus, quos quo pacto amiserit, referre operæ pretium est, quum ea narratio jucundum habeat quippiam & admirabile. Hic narrat Cedrenus, quo pacto Eustathius Daphnomelus Achridæ præfectus, Ibatzem, (post mortem Bladisthlabi quum ejus uxor, filii, ac proceres Bulgarorum, ut supra, deditionem fecissent) rebellantem, seque in arce Brochoto seu Pronista dicta communientem, in festo Assumptionis Deiparæ convivium omnibus apparantem, adortus excæcaverit, & ad Imperat. adduxerit. Adductum etiam scribit Cedrenus Nicolitzam illum, toties captum, totiesque dimissum, qui in montibus se occultaverat: quem Imperator Thessalonicam custodiendum misit. Mox pergit pag. 716. „ Ipse Imperator rebus Dyrrha-
„ chii, Coloniæ, ac Dryinopolis suo arbitratu rectissime con-
„ stitutis, & provinciis præsidio ducibusque munitis, permis-
„ soque, ut captivi Romani, qui vellent, ibi manerent, reli-
„ qui ipsum sequerentur, Castoriam venit. Hic ad ipsum ad-
„ ductæ sunt duæ Samueli filiæ: quæ quum viderent Mariam
„ Joannis quondam uxorem Imperatori adstare, impetum in
„ eam fecerunt, tamquam interfecturæ. Sed Imperator earum
„ ferociam sedavit, pollicitus amplissimas se ipsis opes largitu-
„ rum. Mariam Zostæ munere ornatam cum filiis suis Con-
„ stantinopolim misit. Xiphiæ porro opera, quæ erant in Ser-
„ biis & Sosco castella omnia solo æquat, & in castellum Stagus
„ venit. Ibi se ipsi offert Elemagus Belegradorum princeps,
„ servili habitu cum collegis suis. Imperator inde Athenas
„ proficiscens, in itinere Zetunium transiens, ossa Bulgarorum
„ contemplatus occisorum, quo tempore Samuelum Nicepho-
„ rus prælio fudit, admiratus est: ac multo magis murum in
„ Thermopylis exstructum (qui etiamnum Scelos vocatur)
„ apud Rupenam ad deterrendos Bulgaros. Ut Athenas ve-
„ nit, Deiparæ pro victoria gratias egit, Templumque donariis
„ splendidis ac magnificis exornavit. Hinc Constantinopolim
„ rediit, invectusque est triumphans per magnas fores Aureæ
„ Portæ, ornatus corona aurea superbe cristata: præeuntibus
„ Ma-

„ Maria, Samueli filiabus, & reliquis Bulgaris. Actum hoc „ Indictione secunda, Anno ab origine mundi 6527. (*Christi* „ 1019.) Atque hoc modo prosequentibus eum victoriæ gratulantibus acclamationibus, magnum Templum iniit: quumque ibi carmine cantato, Deo gratias pro tam felici successu „ egisset, in Palatium abiit.

XVI. Subacta Bulgaria, etiam Chrobatorum Principes fratres duo, Basilio Imper. se dedunt.

Subacta Bulgaria, Imperatori se dedidit etiam contermina Chrobatorum gens, & ejus Principes, fratres duo: quibus Imperator honores ac opes amplas tribuit. Solus adhuc Imperium detrectabat, Sermo, Sirmii Dominus, Nestongi frater. Ad hunc Constantinus Diogenes, finitimæ provinciæ præfectus, Legatum mittit, interposito jurejurando affirmans, cupere se ipsum convenire, ac de rebus necessariis colloqui. Quod si ipse insidias vereretur subesse, tribus tantum famulis stipatum se ad ripam profluentis ibi amnis accessurum. Idem ipse quoque faceret. Obtemperat Sermo, atque hoc modo cum Diogene congreditur. Ibi quum jam collocuturi essent, Diogenes pugionem quem in sinu abditum gestabat, subito in latus Sermonis adigit, eumque interficit: famuli fuga elabuntur: Diogenes vicinis exercitibus contractis, valida cum manu ad Sirmium proficiscitur: Viduæque exterritæ, magnis insuper pollicitationibus persuadet, ut se Sirmiumque Imperatori traderet. Ea Byzantium missa, ibi primario cuidam civium matrimonio copulata est. Diogenes recens captæ ditioni præfectus. *Cresimirus*, *&* *Svatoslaus* seu *Goyslavus*, erant illi fratres duo Chrobatorum Principes, qui Basilio Imperatori Croatiam sibi subjectam dedentes, ab ipso Patriciatus honorem & amplas opes consequuti dicuntur. Sed quum Cresimirus mortem circa annum 1024. obiisset, quumque Croatæ defectionem ab eodem Basilio Imp. molirentur, id tunc temporis factum videtur, quod Lupus Protospatha narrat in hæc verba: „ *Anno* 1024. transfretavit Bugianus in Curbathia, & comprehendit ipsam Princi„ pissam uxorem Cosmici, & direxit illam Constantinopolim. In codice Ducis Andriæ, pro *Curbathia*, legitur *Corbacbia*: & pro *Cosmici*, *Cisigni*. Bugianus autem, idem ipse est, ac qui ab eodem Lupo ad ann. 1018. appellatur *Basilius Catapanus qui & Bugianus*: aliis vero *Bojanus*. Ita quippe citatum Lupi Protospathæ locum intelligit Cangius in Familiis Dalmati„ cis

cis cap. v. de Regibus Dalmatiæ & Croatiæ: qui num. xi. pag. 298. hæc habet: „ Sed & fcribunt Scylitzes & Zonaras, „ Imperatorem Bafilium Porphyrogenitum, poft profligatos „ ac penitus deletos Bulgaros anno 1019., Croatiam deinde „ in jus fuum redegiffe, duofque fratres, qui ei imperabant, „ conceffiffe Coftantinopolim, ubi Palatinis dignitatibus do„ nati fuere. In Sermonem vero Neftongi fratrem, Sirmien„ fem Dominum, qui Græcorum poteftati fubjicere fe recu„ faverat, miffum cum exercitu Conftantinum Diogenem, qui „ colloquii fpecie in caftra fua evocatum, contra datam fidem „ interemit: obfeffoque poftmodum Sirmio, urbem dedere „ Sermonis uxorem coactam, Conftantinopolim pariter ad„ ductam, nobili Græco rurfum conjugio copulatam: Con„ ftantino Diogene Croatiæ & Sirmienfis tractus præfecturam „ exinde obtinente. Lupus Protofpatha Croatiam expugna„ tam a Bojoanne, quem Bugianum vocat, videtur indicare, „ fcribens anno 1024. in Croatiam defcendiffe cum exercitu, „ cepiffeque uxorem Cofmici, eamque Conftantinopolim „ amandaffe. Ex quibus conjicere eft, binos iftos fratres non „ alios fuiffe a Crefimiro, & Sveftislao, aut Goyslavo: quum „ præterea Crefimirus Imperialis Patricius ab Archidiacono „ Spalatenfi appelletur, quem ille ait regnaffe anno 1015. „ Neque forte alius fuerit Cofmicus a Crefimiro, cujus in prin„ cipatum fucceffit.

Verum hoc de argumento fufius differam Tomo fequenti, ubi de Croatiæ Regum ferie fermo erit.

FINIS TOMI TERTII.





I N-

INDEX
TOMI TERTII
PARS PRIMA.

De Sanctis Cyrillo & Methodio Slavorum Apostolis:
DEQUE
Chazaris, Bulgaris, & Moravis ad Christi Fidem conversis.

CAPUT I. DE Sanctis Cyrillo ac Methodio, Chazarorum, Bulgarorum, & Moravorum Apostolis. pagina 1.

I. S. Cyrillus, qui & Constantinus Philosophus, reprehendit Photium, duas animas in quovis homine constituentem. Ibid.

II. Quo tempore S.Cyrillus id Colloquium cum Photio habuerit: & quando in Chazariam missus sit, & a quo? & an in Russiam? p. 3.

III. Nomen, patria, parentes Sancti Cyrilli seu Constantini Philosophi. pag. 6.

IV. Acta SS. Cyrilli ac Methodii, edita & manu exarata. Utraque eorum Vita ab Henschenio evulgata expenditur. Item quæ de iis Andreas Dandulus, & Stredovuskius scribunt. pag. 8.

V. Sancti Cyrilli ad Chazaros Evangelica expeditio. An etiam Methodio fratre comite? definitur ejus expeditionis tempus & occasio. pag. 12.

VI. Situs Chazariæ. Sermo Chazarorum a Sclavico diversus. p. 14.

VII. Bulgaris primum, Deinde Moravis, Cyrillus ac Methodius Evangelicam doctrinam tradunt. pag. 18.

VIII. Mittitur Cyrillus cum Methodio in Moraviam. Uterque Romam evocatur a S. Nicolao Papa, eoque mortuo, ab Hadriano II. honorifice recipiuntur. pag. 20.

IX. Quomodo Bogoris Bulgarorum Rex ad Christi fidem conversus sit, nomenque Michaelis acceperit? ex Græcis Scriptoribus Porphyrogenito, Cedreno, Curopalata, & Zonara: & quo anno? ex Baronio, Henschenio, & aliis. pag. 23.

X. Quid de ejusdem Bulgarorum Regis conversione alii Græci scriptores tradant? Leo nempe Grammaticus, Simeon Logotheta, Georgius Monachus, & Nicetas in Vita S. Ignatii? pag. 29.

XI. Refertur Pagii sententia, qui asserit, Bulgaros anno 861. Christianam fidem accepisse. pag. 35.

XII. Ostenditur, Bulgarorum Regem ad Christi fidem conversum fuisse aut anno 865. exeunte, aut ineunte 866. pag. 39.

XIII. Triplex Bulgarorum ad Christi fidem conversio. pag. 45.

CA-

CAPUT II. Moraviæ situs & Moravorum initia: & prima eorum ad Christi fidem conversio sub Wrolpho Lauriacensi Archiepiscopo. Instituti eorundem ab eodem duo Episcopatus. Duces eorum, Moymarus, & Privvina. Moymari successores Rastices & Sventoplucus: Privvina, Hezilo, & Braslavus. Historia conversionis Bajoariorum & Carantanorum. Confinii & Carinthiæ Duces. S. Cyrilli dignitas & dies emortualis. Bajoariorum Præsulum querelæ adversus Moravos. Latino, non Græco Ritu Methodius Slavicam linguam in Sacris celebrandis apud Moravos induxit. pag. 50.
I. Moraviæ situs. ibid.
II. Moravorum origines a Cureo & Dubravio traditæ expenduntur. pag. 51.
III. Prima Moravorum mentio circa annum 825. Urolphus Archiepiscopus Lauriacensis erigit in Moravia duos Episcopatus. Moymarus & Privvina, Moravorum Duces: Hunnorum Abrahamus Canzauchi, Liudevitus & Tutundus: duo etiam Episcopatus in Avaria ab eodem Urolpho instituti. Eugenii II. Papæ Epistola. pag. 56.
IV. Historia de Conversione Bajoariorum & Carantanorum: ubi de Præsulibus Juvavensibus & Slavorum: deque ducibus Moravorum Moymaro & Privvina. pag. 61.
V. Animadversiones in Auctorem Conversionis Bajoariorum & Carantanorum, & in Hansizium ipsius illustratorem, qui Slavos Carantanos cum Slavis Winidis seu Transalbianis confundunt. p. 67.
VI. Slavorum Winidorum Reges a Carantanis Ducibus diversi. pag. 71.
VII. Hunnis ejectis Slavi Pannoniam inhabitant. pag. 72.
VIII. Slavi Carinthiæ Duces. Confinii Comites. Moravorum Duces. pag. 74.
IX. Moymarus & Privvina, Duces Moravorum. Moravi Latinis Juvavensibus subjecti usque ad tempora Methodii. pag. 77.
X. Auctor narrationis de conversione Bajoariorum & Carantanorum, anno 871. scribebat. pag. 82.
XI. Quo sensu dicantur Hunni a Carolo magno a Pannonia ejecti? nimirum subjugati, non deleti. pag. 83.
XII. Juvavenses Archiepiscopi, & Moravorum Episcopi. Hunnis Dux Tutundus & Moraviæ Moymarus. Duces Confinii, & Carinthiæ. pag. 84.
XIII. Ratimarus Dalmatiæ & Croatiæ Rex. pag. 89.
XIV. Tempora Regum Dalmatiæ & Croatiæ, quorum Catalogum Diocleates, Marulus, Orbinus, & Cangius texunt, non esse recte disposita. pag. 91.
XV. Privvina, Hezilo, & Braslavus, Pannoniæ inferioris inter Dravum & Savum Moravorum Duces. pag. 95.
XVI. Rastices, alias Ratislaus, & Rastislavus, Moraviæ Rex, post Moymarum, diversus a Svatopluco, seu Sventibaldo, ipsius nempe

pe nepote. Ad Christi fidem conversus (ut ajunt) a SS. Cyrillo & Methodio. pag. 99.

XVII. Tam Rastices Moraviæ Rex, quam Viztrachus Bohemiæ Dux, & Sclavitagus ejus filius, & Tabamuizil Abotritorum; Dalmatæ quoque, Sorabi, Siusi, & Winidi, a Ludovico Rege Germaniæ deficiunt, & ab eodem subjugantur. Rastices dolo Svatoplucbi seu Sventibaldi nepotis, comprehensus, Ludovico traditus, & ab eodem excæcatus, atque in Monasterium anno 870. detrusus est. pag. 102.

XVIII. Quid de Rasticis seu Ratislai Moraviæ Regis obitu sentiendum? Quid de ejus pietate? pag. 107.

XIX. An S. Cyrillus fuerit Episcopus? pag. 109.

XX. De die emortuali S. Cyrilli. pag. 115.

XXI. Quonam anno Moravi a SS. Cyrillo & Methodio ad Christi fidem conversi? seu doctrinis evangelicis imbuti? quando Methodius apud Moravos usum linguæ Slavicæ in sacris celebrandis invexit? pag. 119.

XXII. Binæ literæ: altera Moguntini Archipræsulis, altera Salisburgensis suorumque Suffraganeorum ad Jo. IX. Papam adversus Moravos, eorumque Præsules. pag. 123.

XXIII. Slavicam quidem linguam in sacris celebrandis præ Latina induxit Methodius, non tamen Græcum Ritum, aut Græcos Episcopos, & Clericos. Ante Methodii tempora jam Moravos Christiana Sacra accepisse, constat tum ex Annalibus Francorum, tum ex Epistolis Bavariæ Præsulum, tum demum ex Vita SS. Cyrilli & Methodii. pag. 129.

CAPUT III. De Moraviæ Episcopis & Archiepiscopis. Refertur ac refellitur Catalogus Græcus Archiepiscoporum Moraviæ & Bulgariæ. Item Catalogus Episcoporum Olomucensium. pag. 131.

I. SS. Cyrillus & Methodius a Nicolao PP. Romam evocati ad reddendam rationem prædicationis Evangelicæ: Ab Hadriano Papa honorifice excepti. Ab eodem Methodius consecratus Episcopus, in Moraviam remittitur. Ibid.

II. Apud Jo: VIII. Papam accusatur Methodius Episcopus Moravorum, quod aliter doceret, ac Romæ professus fuerat. Romam anno 879. evocatur, vetaturque Slavicum sermonem in sacris adhibere. Binæ hac de re Joannis Papæ Epistolæ. pag. 132.

III. Pagii allucinatio circa Weleradiensem Archiepiscopatum a Sancto Cyrillo, ut putat, erectum. Joannes Papa Sergium Slavum a Georgio pseudo Episcopo ordinatum Belogradensem Episcopum, deponit. pag. 136.

IV. De Agathone Moravorum, Gabriele Achridæ, & Simeone Debelti Episcopis, a Photio in sua Pseudosynodo anni 879. commemoratis. Deque Silvestro, qui a Quieno dicitur Bulgaris per Hadrianum Papam consecratus Episcopus. pag. 138.

V. Agathon, non Theophylactus, a S. Ignatio ad Bulgaros missus primus Episcopus. pag. 140.

VI. Gre-

VI. Gregorius, non Gabriel, post Agathonem, Episcopus a Græcis summissus Bulgariam curabat. pag. 141.
VII. Catalogus Archiepiscoporum Bulgariæ a Græco Schismatico Auctore concinnatus, apud Cangium & Quienum. pag. 142.
VIII. Methodius in numero Archiepiscoporum Bulgariæ perperam collocatur. Item *Gorasdus* ab ipso Methodio ordinatus, non recte dicitur. pag. 144.
IX. Post Agathonem, primus Bulgarorum Episcopus Græcus Schismaticus *Gorasdus* qui & Georgius. Secundus *Clemens*: tum reliqui in Catalogo enumerati. Quandonam Autocephalia Episcopis Bulgarorum concessa? pag. 145.
X. Quid de Gorasdo & Clemente Bulgariæ Episcopis, auctor Schismaticus in vita ipsius Clementis effutiat? pag. 147.
XI. Svatoplucus Moraviæ Rex a Methodio primum excommunicatus, deinde absolutus. Methodius a Jo. VIII. Papa Archiepiscopus Moraviæ creatur, eique Wichinus Episcopus subjicitur: facultas insuper conceditur, Slavico sermone in sacris celebrandis utendi. Joannis Papæ hac de re Literæ. pag. 149.
XII. Ex Joannis Papæ Epistolis convincitur mendacii Auctor Græcus Vitæ Clementis Episcopi Bulgariæ, qui Methodium ad Græcorum Schisma pertrahere, & Latinos erroris arguere satagit. pag. 153.
XIII. Bulgariæ Reges a Græcis ad Romanam Ecclesiam confugiunt. Eorum series. De Clemente, Damiano, Davide, & aliis Bulgarorum Episcopis. ibid.
XIV. Methodius in Moraviam reversus, quemdam sibi adversantem offendit Episcopum an. 881. pag. 158.
XV. Quisnam ille Episcopus, Methodii adversarius? Et quam ob causam? pag. 159.
XVI. Wichinus Nitrensis Episcopus, Arnulphi Imperatoris & Regis Germaniæ Cancellarius & mox Pataviensis Episcopus ineunte anno 897. pag. 161.
XVII. Wichingus anno 900. Pataviensem Ecclesiam deserere compulsus, ad Nitriensem rediit, aut alibi in Moravia sedit. pag. 164.
XVIII. Joannes Moravorum Archiepiscopus post Methodium: ejusque Suffraganei *Benedictus*, *Daniel*, & *Vichingus*. pag. 166.
XIX. Expenditur Catalogus Olomucensium Antistitum: ubi enumerantur 1. Cyrillus. 2. Methodius. 3. Joannes. 4. Silvester. 5. Ioannes alter sub Severo Pragæ Episcopo ordinatus. pag. 167.
XX. Demonstratur Moraviæ Archiepiscopos fuisse, 1. Cyrillum. 2. Joannem. 3. Silvestrum; idque ab anno 880. usque ad annum 935. pag. 171.

PARS

PARS SECUNDA.

De Slavis Borealibus, Moravis, Bohemis:

DEQUE

Nortmannis, Hungaris, Patzinacitis, Chazaris, Bulgaris, & Russis.

CAPUT I. MOravorum, Slavorum Borealium, & Northmannorum res gestæ ab anno Christi 876. usque ad annum 888. sub filiis Ludovici Germaniæ Regis. pag. 172.

I. Dejecto Rastislao Moraviæ Rege, Sventibaldus ejus nepos a Ludovico Germaniæ Rege substituitur. Ludovico defuncto, filii ejus Carolomannus, Ludovicus, & Carolus paternum Regnum inter se partiuntur. ibid.

II. Methodius Moravensis seu Pannoniensis Antistes, apud Jo: VIII. Papam delatus quod errores doceret, & quod Slavica lingua in re divina uteretur, ita se Pontifici purgavit, ut is, approbata ejus innocentia, usu quoque linguæ Slavicæ indulto, Archiepiscopum illum constituerit, Moravia & Pannonia a Sede Pataviensi exemtis. pag. 173.

III. Jo. VIII. Papæ epistolæ de Archiepiscopatu Methodii, deque indulto Slavicæ linguæ in re divina usu. pag. 175.

IV. Refellitur eorum error, qui Slavicæ linguæ in Rebus divinis usum ab Hadriano PP. concessum, deinde a Jo. VIII. primum vetitum, mox permissum scribunt. pag. 176.

V. An septem Episcopi sub Archiepiscopo Moraviensi? pag. 178.

VI. Slavi Linones & Siusli a Ludovico Germaniæ Rege subacti. Caroli Calvi Imperatoris mors. Conventio inter Ludovicum Balbum Caroli Calvi filium, & inter Ludovicum Ludovici Senioris Germaniæ Regis filium. pag. 179.

VII. Northmanni apud Carbonariam a Ludovico Rege caduntur. In Saxonia vero superiores existentes, occidunt duos Episcopos, XII. Comites, & XVIII. Satellites regios, exceptis plurimis in captivitatem abductis. pag. 181.

VIII. Sclavi Dalmatii, Behemi, & Sorabi in Thuringiam invadentes, a Poppone Comite prosternuntur. Carolomannus moritur. Ludovicus ejus frater, Arnulfo Carolomanni filio Carinthiam concedit. pag. 183.

IX. Carolus Ludovici frater, Imperator coronatur. Nortmanni incenso Niumago Palatio recedunt. Altera Nortmannorum grassatio sub Regibus Godefrido & Sigifrido, qua Leodium, Trajectum, Colonia, Brunna, aliæque urbes incendio sunt vastatæ. Vala Metensis Episcopus occisus. Ludovicus Germaniæ Rex moritur. Carolus Imp. probrosam pacem cum Nortmannis facit, ea conditione, ut Godefridus Rex Christianum se fieri polliceretur, eique Fri-

Frisia provincia concederetur & Gisla Lotharii filia in uxorem daretur. pag. 184.
X. Nortmannorum incursiones in Regnum Lotharii. Eleemosynæ ab Aelredo Rege in Indiam missæ. pag. 192.
XI. Exorti in Pannonia tumultus ob præfecturam Limitis Arboni concessam. Sventibaldus Moraviæ Rex Pannoniam triennio diripit. Caroli Regis interventu, pax inter Arnulfum Regem & Sventibaldum fit, Pannonia Transdanubiana Sventibaldo concessa. Braslavus inter Dravum & Savum Dux. pag. 193.
XII. Henricus Comes & Arno Episcopus Nortmannos fugant. Gotifridus Nortmannorum Rex, infidelitatis correptus, occiditur. Gisla ejus uxor ad Imp. transmittitur. Hugo Gislæ frater, tamquam conspirationis Gotifridi fautor excæcatur. pag. 196.
XIII. Nortmanni Parisios obsident. Henricus Comes in bello cadit. Carolus Imp. concessa Sigifrido Nortmannorum Regi pecunia, eum recedere facit. Reversus Sigifridus, in Frisia interficitur. Carolo è Regno dejecto, Arnulfus in Regni solio ponitur. pag. 201.
XIV. Expenditur asserta ab Helmoldo annorum septuaginta Nortmannicæ Persecutionis epocha. pag. 205.
CAPUT II. Prima Hungarorum in Pannoniam irruptio. Hungari, Turci, Cabari, Chazari, Uzi, & Patzinacitæ, ex Constantino Porphyrogenito. Bellum Hungaricum cum Bulgaris. Thuroczii circa Hungaros allucinationes. pag. 213.
I. Francicum Regnum in plura divisum post obitum Caroli filii Ludovici senioris Germaniæ Regis. Arnulphus Germaniæ Rex. ibid.
II. Hungarorum primus in Pannoniam adventus. Scythiæ descriptio ex Annalista Metensi. pag. 215.
III. Hungarorum prima sedes, & migrationes diversæ. pag. 216.
IV. Constantini Porphyrogeniti Textus de Hungaris aliisque populis profertur, & exponitur. Ac primum de Patzinacitis, Chazaris, & Uzis. pag. 220.
V. De Hungaris, seu Turcis, & Cabaris, & Sabiris. pag. 232.
VI. Hungari an. 889. in Pannoniam invadunt. pag. 244.
VII. Quid Byzantini Scriptores narrent, de pugna Græcorum cum Simeone Bulgarorum Rege, deque Ungaris semel iterumque adversus Bulgaros confligentibus. pag. 245.
VIII. Relata primum a Græcis ope Hungarorom de Bulgaris victoria. Mox consilio Michaelis Bogoris olim Bulgarorum Regis, post triduanum jejunium, resumptis armis, Bulgari Græcos profligant & Hungaros imparatos invadunt cæduntque. pag. 249.
IX. Fabulosæ Thuroczii de Hungaris narrationes. pag. 250.
CAPUT III. Svatoplucus Moraviæ Rex, Ducatu Bohemiæ ab Arnulpho Germaniæ Rege auctus, in eum rebellat. Ab eodem Arnulpho bello petitur, superatur, & an. 894. moritur; relictis filiis, Regni Moraviæ hæredibus, Moymiro & Svatopluco. pag. 253.

I. Sva-

I. Svatoplucus Moraviæ Rex filium Arnulphi ex sacro Fonte levatum, Svatoplucum seu Zventibaldum appellat: & ab Arnulpho Ducatum Bohemiæ accipit. pag. 253.
II. Exponitur causa, cur Arnulphus Svatopluco Moraviæ Regi Ducatum Bohemiæ tradiderit. Per eam occasionem Borivojus Bohemiæ Dux Christianam Fidem amplectitur. pag. 256.
III. Pax ab Arnulpho cum Moravis renovata. Primum bellum Nortmannicum ad Guliam fl. Alterum ad Thiliam seu Clylas. pag. 257.
IV. Arnulphus Germanię Rex, armis adversus Svatoplucum Moraviæ Regem ac Bohemiæ Ducem sumptis, auxiliantibus sibi tum Hungaris, tum Braslavone Slavoniæ Duce, tum etiam Simeone Bulgarorum Rege, Moravia vastata, Svatoplucum in ordinem redigit. Bellum contra Slavos Obotritos gestum, in quo Arn Episcopus occumbit. Ætas Reginonis Abbatis Prumiensis. Ludovicus filius Arnulfo nascitur. Arnulfus in Italiam evocatur. pag. 260.
V. Epocha belli Moravici. Fabulosa Thuroczii narratio de Hungaris in Moraviam intrantibus sub Svatopluco. pag. 263.
VI. Arnulphi Regis gesta in Italia, & in Gallia. pag. 266.
VII. Svatoplucus Moraviæ Rex anno 894. moritur, relicto filiis Moymiro & Svatopluco Regno. Hungari post ejus mortem in Pannoniam invadunt. pag. 267.
VIII. Fabulæ Neotericorum Scriptorum de obitu Svatopluci Moraviæ Regis, referuntur, ac refelluntur. pag. 269.
CAPUT IV. Arnulfus Germaniæ Rex a Formoso Papa coronatur Imperator. Pax a Græcis cum Hungaris inita. Bulgari Hungaros profligant. Pannonia Braslavoni Duci tuenda committitur ab Arnulfo. Moravi & Sorabi legatos ad Arnulfum mittunt. Duces Bohemiæ petunt opem ab Arnulfo adversus Moravos. Dissidio inter Moymirum & Svatoplucum Moraviæ Principes orto, Moymirus Svatoplucum è Moravia pellit. Gesta Zventibaldi filii Arnulfi. Arnulfus Imperator moritur. pag. 275.
I. Zventibaldus Arnulfi filius Regno Lotharii præficitur. Arnulfus Imperator a Formoso Papa coronatur. ibid.
II. Pacem Græci cum Hungaris faciunt. Bulgari victoriam referunt. Pannonia Braslavoni Duci tum adversus Hungaros, tum adversus Moravos tuenda ab Arnulfo committitur. pag. 277.
III. Moravorum & Soraborum legati pro pace custodienda Arnulfum accedunt. Duces Bohemorum suffragium Arnulfi petunt contra inimicos Moravos. pag. 278.
IV. Dissidium ortum inter fratres Moymirum & Svatoplucum, Moraviæ Principes. Moymirus Moraviam retinet, pulso fratre, quem ex ergastulo Arnulfus Imp. eripit. Arbo Bajoariæ Comes: Liutboldus Austriæ. Braslavo Dux Slavoniæ. pag. 280.
V. Wichinus Pataviensem Episcopatum arripit, a quo dejicitur. pag. 283.
VI. Zventibolchi filii Arnulfi gesta. Arnulfus Imperator moritur. pag. 284.

CAPUT V. Moravi pacem cum Ludovico Rege Arnulfi filio firmant. Antistitum Noricorum querelæ de Archiepiscopo & Episcopis a Jo: IX. Papa in Pataviensi Diœcesi institutis. Quid Pontifices Benedictus VII. Leo VII. & Agapitus II. de Diœcesibus Pannoniæ Orientalis & Occidentalis constituerint. Archiepiscopatus & Episcopatus Moravorum a Jo. VIII. instituti. Hungarica irruptio in Italiam, Bajoariam, Pannoniam, Moraviam, & Carinthiam. pag. 287.
I. Bajoarii & Bohemi in Moraviam invadunt. Moravi pacem cum Ludovico Rege firmant. Hungarica clades post obitum Arnulfi Imperatoris. ibid.
II. Hungaricæ cladis epocha, iuxta diversos Scriptores. pag. 289.
III. Antistitum Noricorum querelæ, quod Jo. IX. Papa unum Archiepiscopum, & duos Episcopos in Diœcesi Pataviensi ordinasset, & quod Wichingus Nitriensis Episcopus ad Pataviensem Ecclesiam esset evectus. pag. 291.
IV. Post Hungaricam incursionem, Archiepiscopus & Episcopi a Jo. IX. in Moravia instituti, superstites fuere. pag. 294.
V. Hungaricæ cladis epocha diversimode a diversis traditur. pag. 295.
VI. Pagii, & Mutii verba de clade Hungarica. pag. 297.
VII. Multiplex Hungarorum incursio. pag. 301.
VIII. Moraviæ Archiepiscopatus & Episcopatus sub Joann. VIII. & IX. pag. 303.
IX. Benedictus VII. Leo VII. & Agapitus II. Orientalem Pannoniam Pataviensi, Occidentalem Salisburgensi assignant. pag. 306.
X. Expenditur Antistitum Noricorum ad Jo: IX. Papam Epistola, qua contendunt, Maravensem Ecclesiam Pataviensi fuisse subjectam. pag. 310.
XI. Dubravii circa Hungarorum irruptionem allucinationes. p. 314.
XII. Thuroczii sphalmata circa Hungaricam historiam recensentur ac refelluntur. pag. 316.
XIII. Hansizii narratio de Hungarorum irruptionibus probatur. pag. 323.
XIV. Moraviæ Regnum post cladem Hungaricam incolume. p. 327.
CAPUT VI. Bulgarorum Reges Simeon & Petrus: Germanorum Conradus, & Henricus Auceps. Hungari factam cum Henrico ad novennium pacem rumpunt, & ab eodem profligantur. Idem Henricus Bohemos, Slavos, Abotritos, & Nortmannos subigit. pag. 330.
I. Commissum ab Hungaris cum Græcis & Bulgaris prælium. ibid.
II. Simeon Bulgarorum Rex Constantinopolim obsidet, & pace facta recedit. pag. 331.
III. Commissa a Simeone Bulgarorum Rege cum Græcis ad Aceloum pugna. pag. 332.
IV. Res Constantinopolitanæ sub initia Imperatorum Romani Senioris, & Constantini Porphyrogeniti. pag. 335.
V. Aliud

V. Aliud Bulgarorum sub Simeone adversus Græcos prælium: & pax demum sancita. pag. 337.
VI. Simeonis infelix cum Chrobatis prælium. Ei mortuo succedit filius Petrus Bulgarorum Rex: qui contractis cum Maria Christophori Cæsaris filia nuptiis, fœdus cum Romano Seniore & Constantino Porphyrogenito firmat. pag. 341.
VII. Series Bulgarici belli; & reliqua ad Simeonem ejusque filios spectantia. pag. 342.
VIII. Hungarorum irruptiones post Conradi Germaniæ Regis obitum. Seditiones in Bajoaria, & Germania. pag. 345.
IX. Henricus Auceps Germaniæ Rex pacem cum Hungaris ad novennium facit. Eos post novennium in ditionem Germanicam irrumpentes profligat. pag. 348.
X. Henrici Aucupis prælia cum Hungaris, Bohemis, Dalmatis, Slavis Abotritis, & Danis. pag. 353.
XI. Bohemicum bellum sub Henrico Aucupe Germaniæ Rege. Bohemiæ status post Borivojum Ducem. pag. 356.
XII. Bellum Henrici Aucupis cum Slavis Obotritis, & Danis. Slavorum Borealium gentes diversæ. pag. 360.
XIII. Bohemi, Sorabi, & ceteri Slavi ac Dani ab Henrico devicti, ita ut tributum ei & Christianitatem promitterent. Wormone Danorum Rege extincto, Haroldus filius Christianam Religionem in Regno suo prædicari permittit: eamque opera Archiepiscopi Unni una cum aliis amplectitur. Ex Helmoldo. pag. 361.
CAPUT VII. Joannis & Michaelis conspiratio a fratre eorum Petro Bulgarorum Rege compressa. Nicephorus Phocas Russos in Petrum concitat: Sphendosthlabus Russorum Dux, victis Bulgaris, Mysiam occupat. Joannes Zimisces Imperator, Nicephori successor, Russis deletis, Mysiam recuperat, Bulgaros subjicit. Hos rebellantes Basilius Imperator domat, & Bulgariam Byzantino adjicit Imperio. Chrobatos in fidem recipit. pag. 364.
I. Petrus Bulgarorum Princeps fœdus cum Nicephoro Phoca Imper. init. conspirationem fratrum Joannis & Michaelis comprimit. Filii ejus Borises, Romanus ac Simeon. Regnum Bulgaricum invasum a Davide, Mose, Aarone, & Samuele. ibid.
II. Nicephorus Phocas Russos in Petrum Bulgarorum Regem concitat, eo quod jussus Hungarorum incursiones cohibere, renuisset. pag. 366.
III. Joannes Zimisces Nicephori Phocæ successor, Sphendosthlabum Russorum Ducem bello petivit, quod ereptam Bulgaris Mysiam, sibi retinuisset, non Græcis dedisset. pag. 369.
IV. Russici Belli continuatio. pag. 373.
V. Russicum bellum a Jo: Zimisce Imp. adversus Sphendosthlabum susceptum, relataque ab eodem Zimisce de Russis victoria, ex historicis Byzantinis describitur. pag. 375.
VI. Statuitur Epocha Russici belli. pag. 390.
VII. Bulgarici tumultus post obitum Joannis Zimiscæ Imp. Basilius Por-

Por-

Porphyrogenitus Imp. Bulgaris devictis, Bulgariam Byzantino adjicit Imperio. pag. 393.
VIII. Bulgaricum bellum anno 976. inceptum, & anno 1019. terminatum. Scleri rebellio. Uladimirus Russorum Dux suppetias Imp. Basilio adversus rebelles mittit. pag. 394.
IX. Basilius Imp. adversus Samuelem Bulgarorum Regem expeditionem suscipit. Iberiam & Phœnicem peragrat. Principi Venetiarum nuptum tradit filiam Argyri, sororem Romani qui post imperavit. pag. 397.
X. Bulgarica trans Hæmum loca a Basilii Ducibus capta. Saraceni in Cœlesyriam irrumpentes compressi. pag. 400.
XI. Castra Samuelis Bulgarorum Regis direpta. pag. 401.
XII. Samuele mortuo, Bulgaris imperat Gabriel Romanus. p. 402.
XIII. Gabrieli Romano occiso, Bulgarorum Rex fit Joannes Bladisthlabus. pag. 404.
XIV. Chazaria & Aspracania Basilio Imper. deduntur. Patzinacæ in auxilium Bulgarorum adscifcuntur. Russi pro Græcis militant. pag. 406.
XV. Jo: Bladisthlabus Rex Bulgarorum cæditur. Bulgari Basilio Imp. se suaque castra dedunt. David Bulgariæ Archiep., & Maria Joannis Regis vidua cum filiis, aliisque optimatibus honorifice excipiuntur. Basilius triumphans Byzantium ingreditur. pag. 408.
XVI. Subacta Bulgaria, etiam Chrobatorum Principes fratres duo, Basilio Imperatori se dedunt. pag. 411.





